




DECISIONVM

REGNI LUSITANIAE

GEORGIO DE CAEDO DE HISPANO





PRACTICARVM OBSERVATIONVM,  
S I V E  
DECISIONVM  
SVPREMI SENATVS  
REGNI LUSITANIÆ  
P A R S P R I M A

In qua de donationibus Regiis, circa jurisdictionalia & jura Regalia, ita accuratè & methodicè tractatur, ut nihil propemodum hac in parte desiderari queat.

*Opus numeris omnibus absolutum, & cunctis, in Foro practiquè militantibus, summè necessarium.*

AUCTORE

GEORGIO DE CABEDO I. C. HISPANO,  
Celeberrimo Consiliario Regio, Palatij Senatore, Senatusque  
supplicationum Cancellario dignissimo.

*Cum Indice duplici, Decisionum uno, altero materiarum & sententiarum, utroque copioso.*



940.14271



A N T V E R P I Æ.

Apud JOANNEM BAPTISTAM VERDUSSEN, viâ vulgò Cammerstract,  
sub signo duarum Ciconiarum.

M. D C. L X X I V.

Unidad	de Granada
Paciente	de número
Historia	de número
Estado	
Tubo	156
Número	

124094301

BIE	DA HOSPITAL REAL
	21 ADA
Sala	B
Estado	050
	066



P

DO



tis  
ex  
ma  
an  
me  
tan  
fer  
po  
an  
cu  
m  
fo  
  
m  
h  
te  
ri  
re  
ic  
e  
g  
n  
Z

MAXIMO ET POTENTISSIMO  
P H I L I P P O  
C A T H O L I C O  
R E G I H I S P A N I Æ



HUIUS NOMINIS III. ET LUSITANIÆ II.  
DOCTOR GEORGIUS DE CABEDO  
EIUS CONSILIARIUS ET PALATII SENATOR

*Perpetuam felicitatem exoptat.*



V M. primùm, PHILIPPE REX CATHOLICE, maxime & potentissime, in Senatorium ordinem adscriptus, ad obeundum munus animum appuli, mihi nihil prius fuit, quàm ut ipsius Senatus acta præclara, Senatorumque judicia diligenter observarem & asservarem; atque tunc meis, publicisque in posterum rationibus consulturum ratus, si ex huiusmodi congressibus doctissimorum hominum, scripta suffragia magistratibus nostris, & legum peritis darem. Cùm autem multos jam annos in Senatu versatus, à PHILIPPO AUGUSTO patre tuo æternæ memoriæ, Senator palatij creatus essem, & ad Consilium Coronæ Lusitanæ Madritium adscitus, quando plus dabatur otij, quæ pridem observaveram & collegeram, expendere accuratius occepi. Quadriennium porro erat, cùm in patriam valetudinis causa rediens, communicato cùm amicis, utque perdoctis, consilio, Decisiones ipsas (sic Opus inscribi placuit) non jam premere constitui, sed tandem promere. Non huc ambitio me (ingenuè fateor) non popularis ventus impulit, sed publicus fructus, fori præsertim.

Tibi autem, REX potentissime Opus ipsum qualecumque offero, animo devincto adstrictoque; sive publicè, ob istam qua tuos amplecteris, humanitatem; sive privatim, ob eam qua me semper excepisti, benignitatem, tam Madriti, quoties sese obtulit occasio, quàm rediens in celeberrimo illo, & verè Regio Divi Laurentij palatio, ad Scuriale. Accipe igitur regnorum multorum Moderator, Senatus, ac Senatoris tui Decisiones; idque eadem illa fronte, & benignitate, qua Auctorem: efficies enim, ut ejusdem Operis partes aliæ, quæ circa jurisdictionem & donationes Regias versantur, tuis etiam auspiciis in lucem exeant. Majestatem tuam incolumem diu servet Deus optimus maximus.

# AUCTOR CANDIDIS LECTORIBUS S.



Reposueram, Lectores humanissimi, nihil in hoc genere scribere, quod quisquam meum legeret: scio enim quam difficile sit in juris commentariis cuiquam placere; videbam itidem quantum jus nostrum civile scriptorum commentariis quotidie obruatur; ita, ut eorum multitudinem viri docti merito fastidiant. Remisi tamen ipse mihi propositum, quod in communi omnium errore, meus sane non perinde accusandus videretur; & si eius criminis arcesseret, cum multis esset mihi ea dicenda causa, & ut Poeta ait: Stulta est clementia, cum tot ubique

Vatibus occurras, periturae parcere chartae.  
De eo sane non curabam, ut hinc aliquid mihi nominis vendicarem; video enim quam sit hoc miserum, praesertim cum Dei optimi maximi beneficio & Regum nostrorum, a vigesimo octavo aetatis meae anno, quo in Senatorum numerum cooptatus fui, multo ante expeditionem Africanam, per gradus, ad omnes in Republica nostra honores pervenerim, qui nostrae professionis viris deferri solent sed illud potissimum habui, ut viri docti (quos multos habet nostra Lusitania) hac opera nostra quali quali in communem & publicam utilitatem frui possint: quod si id non assequar (nec enim mihi tantum tribuo) saltem viam illis aperiam, ad majora prosequenda. Illud autem maxime in his Decisionibus curandum duxi, ut clara essent, nec multis Doctorum allegationibus obscura fierent, alioquin potius confusiones, quam decisiones dici possint: sic namque in doctissimis dominorum de Rota decisionibus factum videmus, sic & in aliis, Aegidij de Bellamera, Cassadori, Guidonis Papa, & Matthaei de Afflictis, quibus sine controversia, omnes nostri primum locum concedunt. Poteram huic priori parti plures adjungere, id tamen non feci, ne liber multum cresceret, legentibusque fastidium pareret, & illud Martialis mihi placuit, ad librum suum:

Quod si cui forte legeris,  
Sis licet usque malus, non odiosus eris.

Decisiones igitur has, Lectores humanissimi, & qui bonique consulite; sic enim efficietis, ut aliae partes quas praemanibus habeo, quam cuius lucem habeant: nullum enim esse librum tam malum, ut non aliqua ex parte prodesset, solebat dicere Plinius Senior, ut auctor est Plinius Iunior ejus ex sorore nepos, in epistola quadam ad Macrum.



# INDEX DECISIONUM.

## DECISIO I.

**D**E Rectore justitiæ seu Præsidi senatus supplicationis.  
 II. Quas qualitates habere debeat Rector justitiæ senatus supplicationis.  
 III. De præcedentia senatorum.  
 IV. Officialis, cui primum concessa est dignitas sine administratione, & sic titulariter (ut dicitur) si postea habeat ejusdem officij administrationem, an præferendus sit ei qui post dignitatem, & ante ipsam administrationem sibi concessam adeptus est simile officium cum administratione.  
 V. De præcedentia senatorum palatij.  
 VI. Quis ordo servandus sit in votis senatorum.  
 VII. De senatorum votis ad concordiam reducendis.  
 VIII. De salariis senatorum.  
 IX. De expeditoribus causarum gravaminum.  
 X. De votis senatorum absentium, & defunctorum.  
 XI. De supplicationibus, quas nostri, *agravos ordinarios* vocant.  
 XII. Revisio sententiæ supremi senatus, si semel à Principe denegetur, causa cognita, utrum possit iterum concedi.  
 XIII. Quid sit Curia, & de officio Prætorum curialium.  
 XIV. Quæ sit causa merè criminalis, quæ civilis, quæ mixta, partim criminalis, partim civilis, & de auditoribus criminalium causarum.  
 XV. De vocatione testium ad curiam testimonij ferendi causa.  
 XVI. De decimis litium, & intellectu regulæ Cancellariæ.  
 XVII. Ponitur aliquot casus in senatu decisi, circa decimas litium, & intelliguntur nonnullæ regulæ Cancellariæ.  
 XVIII. De eadem materia, & quis sit iudex competens in causis decimarum litium.  
 XIX. De salariis Advocatorum, & an finita lite per clientem, ei possit remuneratoria donatio fieri.  
 XX. An qui fuit Advocatus unius partis, possit in illamet causa ejusdem partis esse iudex.  
 XXI. Quando summa petita in lebelllo debeant cumulari ad videndum, an subsint jurisdictioni iudicum.  
 XXII. Circa prorogationem jurisdictionis, multa notabilia traduntur.  
 XXIII. Intelligitur Ordinatio lib. 5. tit. 42. §. ult. circa aliquos casus, qui in senatu decisi fuerunt.  
 XXIV. An privilegiū superveniens proferat in lite jam cœpta.  
 XXV. Circa eandem materiam privilegij supervenientis senatori.  
 XXVI. De privilegio fori famuli senatoris in criminalibus.  
 XXVII. An colonus conducens per publicam scripturam, si conveniatur finito tempore, tamquam reconductor, ordinariè, an per assignationem decem dierum conveniendus sit?  
 XXVIII. Intelligitur Ord. lib. 3. tit. 16. in princ. circa assignationem decem dierum, an peremptorij sint.  
 XXIX. Intelligitur Ord. lib. 5. tit. 50. in princ. circa informationes faciendas in chartis, quas vocant (*de segurança real.*)  
 XXX. Examinatur casus notabilis circa Ordinationem l. 3. tit. 16. in princ. an decem dies currant, si facta sunt in senatu cum petitione gravaminis.  
 XXXI. Intelliguntur Ordinationes lib. 3. tit. 45. §. 10. & lib. 4. tit. 6. in princ.  
 XXXII. Iudex, qui cognoscit de proprietate, idem potest cognoscere de possessione, si modò ad utrumque sit competens.  
 XXXIII. An per instrumentum factum inter contrahentes, contra heredes eorum via executiva procedi debeat.  
 XXXIV. Circa juramentum decisorium, multa notabilia traduntur, ex quibus aliqua leges Regiæ intelliguntur.  
 XXXV. Casus in quibus uxoris citatio ad lites de jure regni necessaria est.  
 XXXVI. Casus qui in senatu interloquendo expediuntur, & non per deliberationes, quas nostri vocant, *tençois.*  
 XXXVII. De clausula posita per debitorem in scriptura, ut non audiatur in iudicio, quoad debitum deponat.  
 XXXVIII. De exceptionibus oppositis regio rescripto, si appellatum fuerit, ad quem iudicem pertineat cognitio.  
 XXXIX. De condemnatione expensarum, quæ fit jus dicentibus.  
 XL. De instrumentis dierum apparitionis, quæ *dias dapa-recer.* dicuntur.

XLI. An iidemmet iudices, quorum jurisdictionis declinatur, & iudicium incompetens fore allegatur, possint de tali incompetencia cognoscere, & pronuntiare?  
 XLII. An iudices appellationis, illam ex actis desertam fore, pronuntiare possint?  
 XLIII. An super filiatione possit agi remedio legis Diffamari, C. de ingenuis, & manumis.  
 XLIV. Quot senatores requirantur in sententia recusationis alterius senatoris, seu iudicis officialis.  
 XLV. An in recusationibus, juramentum in supplementum probationis deferatur.  
 XLVI. Si per instrumentum provisum sit parti, ut appellatio recipiatur, possit denuò in actis controversi, an sit casus appellationis.  
 XLVII. An Ordin. l. 3. tit. 71. §. 28. incip. *E poderão iuz.* locum habeat in causis criminalibus.  
 XLVIII. An lata sententia in senatu possit contra illam excipi, quòd iudex, qui illam in priori instantia tulit, incompetens erat.  
 XLIX. An iudex cui precatorem, seu litteræ requisitoria presentantur, oppositis exceptionibus impediendis illius executionem, de illis cognoscere possit.  
 L. De restitutionibus minorum concedendis.  
 LI. An confratriæ sanctæ Misericordiæ gaudeant restitutionis beneficio.  
 LII. An dispositio Extravag. l. 3. tit. 3. parte 3. locum habeat in auditoribus dominorum terrarum litteratis.  
 LIII. De subscriptione quæ fit in casu Ordinationis lib. 3. tit. 46. §. *E acontecendo.*  
 LIV. An exempti conventi coram Prætere curiali possint declinare ad iudicem laicum sui domicilij.  
 LV. An quæ fuit olim inhonesta, si nunc sit clausa, & facta honesta, dicatur honesta, quoad hoc, ut si quis eam rapiat, incurrat pœnam legis.  
 LVI. An captus in carceribus injustè, si postea constet, quòd debeat incarcerari, etiam si mox relaxetur, debeat relaxari.  
 LVII. De chartis securationis, quas nostri, *cartas de seguro,* vocant.  
 LVIII. An attendendum sit tempus primæ, an verò secundæ capturæ illius, qui captus, primæ capturæ tempore fuit inventus sine habitu, & tonsura clericali, postea verò è carcere aufugit, & iterum captus habitum, & tonsuram deferre inventus est, ad hoc, ut gaudeat privilegio clericali.  
 LIX. Quòd supplicatio de gravamine æquiparetur appellationi ab interlocutoria, quæ de jure canonico permittitur, & an, & quando iudex à quo possit gravamen, aut attentata revocare.  
 LX. An iudex, & notarius simul quis esse possit, & acta scribere.  
 LXI. An Rex tamquam magister, seu gubernator, & perpetuus administrator ordinum militarium, possit committere causam terminandam simul & super possessorio, & super proprietate.  
 LXII. Si instrumento sit apposta clausula, ne debitor audiatur excipiens, antequam summam debitam deponat, & actor certam quantitatem petat, aut quod ex calculo deberi constiterit: utrum debitor ita conventus possit calculi rationem eligere, & absque deposito debeat audiri.  
 LXIII. Jus tertij, an liceat illud allegare.  
 LXIV. An consiliarij Regis recusari possint tamquam suspecti.  
 LXV. Charta securitatis utrum proficiat ei, qui incarcerationis pro uno crimine, ad aliud illam impetravit.  
 LXVI. An in causa alimentorum admittatur appellatio.  
 LXVII. De carceratis sub fidejussoribus datis.  
 LXVIII. An fructus veniant in petitione, aut libello, etiam si non petantur.  
 LXIX. Circa fructuum restitutionem.  
 LXX. Quando dicatur læsio enormissima.  
 LXXI. An rabello notularius, & judicialis simul, accusatus ob falsitatem commissam in uno ex his officiis, amobus, an uno privari debeat.  
 LXXII. Quid importent verba hæc, sine strepitu, & figura iudicij, in commissionibus factis per Regem ad aliquas causas.  
 LXXIII. Decuriones utrum possint aliquem incarcerare,

# INDEX DECISIONVM.

- ¶** Vel pœna carceris condemnare.  
**lxxxiv.** Decuriones utrũ possint statuto limitare, & taxare numerum cauponarum, & stabulariorum.  
**lxxxv.** De gratis, seu remissionibus delictorum.  
**lxxxvi.** Circa tempus quo concedi debent chartæ tuitivæ.  
**lxxxvii.** An iudex, coram quo testis falsum deponit, possit illum punire de falso.  
**lxxxviii.** An commissio delicto, cujus auctor nescitur, iudex possit inquirere etiam nulla præcedente infamia.  
**lxxxix.** An in casu decisionis proximæ, testis qui putat se solum de illo crimine scire, teneatur vocatus illud testificari?  
**lxxx.** Quis iudex competens sit ad dandum tutorem, seu curatorem clerico minori, prodigo, aut mente capto.  
**lxxxxi.** De inventario bonorum clerici mortui, qui filios minores relinquit: ad quem iudicem pertineat illud facere.  
**lxxxii.** De spolio intra annum & diem, quis sit iudex competens.  
**lxxxiii.** Debitor carcere vincetus pro debito utrum à creditore sit interim alendus si aliunde non habeat unde se alat.  
**lxxxiv.** Ad quem iudicem pertineat facere inventarium bonorum Archiepiscopi, seu Episcopi vita functi in hoc regno.  
**lxxxv.** An iudex Ecclesiasticus possit imponere pœnam pecuniariam laico.  
**lxxxvi.** An iudex Ecclesiasticus possit arrestare debitum in manibus laici.  
**lxxxvii.** An decuriones possint statuere circa observantiam dierum festorum.  
**lxxxviii.** De præventionem iudicis secularis, circa executionem testamenti.  
**lxxxix.** De falsa moneta.  
**xc.** De salvo conducto præstito Mauris.  
**xc. i.** De collectis pro Ecclesiæ constructione, seu reparatione.  
**xcii.** An dominus rei locatæ possit expellere conductorem ad longum tempus ex supervenienti casu.  
**xciii.** De morte superveniente servis culpa alicujus, an ad pretium illorum teneatur.  
**xciv.** An Canonicus qui est in servitio sui Episcopi, ab eo salarium petere possit.  
**xcv.** De jure piscationis in flumine publico.  
**xcvi.** De renuntiatione majoratus facta per fratrem majorem natu, & legitimum successorem, in sororem juniorem.  
**xcvii.** An fatuus testari possit.  
**xcviii.** An uxores viduæ gaudeant privilegiis maritorum.  
**xcix.** An filij ejus patris, qui ad secundas nuptias transiit, apud illum, an apud avum sint educandi.  
**c.** Nepos naturalis pedonis, an succedat avo, sicut tali patri succedit filius naturalis.  
**ci.** *Intelligitur Ordin. lib. 4. tit. 71. in princ. in illis verbis. Nem outro impedimento, por que não possão ambos casar*  
**cii.** Referuntur casus in senatu decisi circa intellectum Ordin. lib. 4. tit. 31. §. 3.  
**ciii.** Nominans ad emphyteusim, an alienare dici debeat.  
**civ.** An in donatione rei emphyteuticæ requiratur consensus domini directi.  
**cv.** Quando quis rem suam invito vendere cogatur.  
**cvi.** An sicut marito de jure nostri regni licitum est, constante matrimonio, ex mobilibus communibus facere mediocrem elemosinam, uxori id etiam licitum sit.  
**cvii.** Adsignatur ratio ad Ordin. lib. 4. tit. 77. §. penult.  
**cviii.** An pater possit uni ex filiis, causa dotis dare meliorem proprietatem ex suis bonis.  
**cix.** An repudiatio hereditatis rerum immobilium fieri possit absque uxoris consensu.  
**cx.** An tempus obligationis, an solutionis attendatur in solvenda pensione per emphyteutam.  
**cx. i.** An tempus triginta dierum ab Ordinatione præfixum ad dominos directos deliberandum velintne emphyteusim emere, continuum, an utile sit.  
**cxii.** An quilibet de populo possit impugnare electionem officialium oppidorũ, quæ sit per præfides provinciarũ.  
**cxiii.** Utrũ liceat pacisci, aut transigere in causa criminali.  
**cxiv.** An mulier quinquagenaria possit maritum ad emphyteusim nominare? circa intellectum Ordin. lib. 4.

- tit. 75. §. ultim. ad fin.  
**cxv.** An successor in bonis Regiæ Coronæ teneatur ad debita prædecessoris? circa intellectum Ordin. lib. 4. tit. 35. §. 1.  
**cxvi.** Concubina utrũ possit à concubinario petere mercedem operarum, quas illi præstitit.  
**cxvii.** Compensatio in dubio præsumitur potius, quam donatio, & actus sequens in dubio fieri ex præcedenti causa.  
**cxviii.** Assesuratio quamvis fiat à socio, debet legitime probari, nec sufficit asseveratio assesuratori.  
**cxix.** De servitute aquæ ducendæ  
**cxx.** An dicatur attentatum committere litigans, qui pendente causa impetravit à domino directo renovationem emphyteusis, super qua litigium pendet.  
**cxxi.** An in majoratibus possit consuetudo modum succedendi à testatore datum immutare.  
**cxxii.** De fidejussore, qui solvit pro principali.  
**cxxiii.** Utrũ usuræ debeantur genero propter moram non solutæ dotis.  
**cxxiv.** Adulterium mariti an possit uxor objicere, excipiendo, vel agendo post ejus mortem ad lucrandam bonorum medietatem ad ipsum spectantem, jure regni.  
**cxxv.** Mulieri bonorum communium dimidiam, ad se ex conjugio pertinentem, coram seculari iudice repetenti, utrũ obstat sententia divortij ob adulterium ab Ecclesiastico lata, vel adulterium à mariti heredibus objectũ.  
**cxxvi.** Pro arbore abscissa, quæ actio competat? ad intellectum Ordin. lib. 5. tit. 100.  
**cxxvii.** An mulier in vita sua divisiones bonorum inter filios faciens, illas postea pœnitendo revocare possit.  
**cxxviii.** An tabellio possit cõstituere procuratorem in causa sua propria, per instrumentũ publicum à se confectum.  
**cxxix.** De testamento facto à Capiteano quodam arcis cujusdam, apud Indos.  
**cxxxx.** An bona emphyteutica possint vinculari in majoratu, & prohiberi ne in perpetuum alienentur.  
**cxxxi.** Ubi maritus ante matrimonium debitũ contraxit, & eo mortuo, uxor bona divisit, ex quibus aliqua ei obvenirent, quæ secum vir attulit ad conjugium: utrũ ejusmodi debita solvenda sint ex his bonis; an verò ex medietate mariti.  
**cxxxxii.** An provisio Regis jubentis extingui officium quoddam, comprehendat officium, quod per priorem provisionem Regis datum erat alicui.  
**cxxxxiii.** Majoratus successio an deferatur monasterio.  
**cxxxxiv.** An executio fieri possit in prædio emphyteutico.  
**cxxxxv.** Legitimus filius spurius à patre, utrũ succedat fratribus, & sororibus uterinis, & è converso? & an possit nepos ex filia spuria institui ab avo in testamento.  
**cxxxxvi.** An testator prohibere possit, ne uxor, rogata restituere post mortem suam bona mariti, heredibus ejusdem mariti, inventarium faciat.  
**cxxxxvii.** Utrũ tutor in causa sui pupilli deponere teneatur ad articulos.  
**cxxxxviii.** Emphyteusim, quam emphyteuta unus possidet, utrũ dominus directus possit interim alij emphyteuticare, ut habeat post illius possessoris mortem, vel promittere de emphyteuticando post illud tempus.  
**cxxxxix.** An chirographum clerici valeat tamquam publica scriptura.  
**cxli.** An ad emphyteusim nominari possit alia persona, quam nominata in concessione.  
**cxli. i.** An decuriones possint statuere circa pretium piscium, quia mulionibus exportantur.  
**cxlii.** Quomodo inducatur præventio jurisdictionis.  
**cxliii.** Per quæ verba censeatur institutus majoratus nominationis in perpetuum.  
**cxliiii. i.** An in sententia revisionis adjudicandi sint fructus à tempore litis contestatæ.  
**cxliiii. ii.** Alimentorum legatum an transmittatur ad heredes alimentarij: & quid si relinquatur filio spurio.  
**cxliiii. iii.** Alienatio rei hereditariæ prohibita alienari facta ab eo, cui tantumdem, aut plus ex hereditate relinquatur, utrũ valeat.  
**cxliiii. iv.** An mortuus in bello per gloriam vivere intelligatur, ad hoc; ut filius patruo præferatur in successione majoratus.  
**cxliiii. v.** An alimenta sint iterum assignanda filio, qui omnia consumpsit.

# INDEX DECISIONVM.

- CLXIX.** An successor in beneficio, seu commenda teneatur solvere pensionem à prædecessore debitam.  
**CL.** Ancilla nubens, an bona mariti hominis liberi communicet.  
**CLI.** An decuriones possint statuta facere, quibus privatorum hominum pasqua, etiam ipsi dominis prohibeant.  
**CLII.** An quis possit ædificium suum prope monasterium religiosorum altius tollere.  
**CLIII.** Per quæ verba censeatur celebratus contractus emphyteuticus, aut censualis.  
**CLIV.** An maritus non solvendo pensiones præjudicet uxori in emphyteusi dotali.  
**CLV.** An in renovatione emphyteusis veniant fructus à tempore litis contestatæ.  
**CLVI.** An in remissionibus delinquentium de regno ad regnum, possint cognoscere auditores criminalium causarum per appellationem.  
**CLVII.** Intelligitur Ord. lib. 2. tit. 35. §. 4. circa citationes pro executionibus testamentorum.  
**CLVIII.** An artifex unus possit uti officio alterius.  
**CLIX.** Quando acta, & sententia lata per iudicem incompetentem annullentur.  
**CLX.** An tertius possessor, cum titulo, & bona fide, possit præscribere fundum à principio venditum cum pacto de retro, quod usurarium iudicatum fuit, tempore ordinario.  
**CLXI.** An maritus possit de adultero querelare, defuncta jam uxore.  
**CLXII.** An famulus scholastici, cui datam fuit tempus ad studendum, possit petere salarium servitij.  
**CLXIII.** An monachus acquirat monasterio.  
**CLXIV.** An possit fieri pactum de futura hereditate.  
**CLXV.** An vir contrahens matrimonium cum uxore alterius regni, censeatur contrahere secundum leges regni uxoris, an secundum leges regni mariti.  
**CLXVI.** An usura committatur, ubi in iudicio familiæ hereditariæ iudex uni fratri partem pretij assignat in fundo emphyteutico alteri fratri incapitato, ut is frater, interim dum illud pretium non solvit, teneatur annuatim certos redditus ex dicto fundo præstare alteri fratri.  
**CLXVII.** An famulo, quem contemplatione domini Rex in famulatum recepit, compensandus sit in salario servitij, honoris, & famulatus.  
**CLXVIII.** An ex verbis rescripti Summi Pontificis (quosdam alios, & quoscumque alios) procedere possit iudex delegatus contra non nominatos specialiter in rescripto.  
**CLXIX.** Testamentum in scriptis imperfectum, an possit redigi in nuncupativum.  
**CLXX.** De testamento facto tempore pestis, & intellectu Ord. lib. 4. tit. 76. §. ult.  
**CLXXI.** De testamento facto à prodigo.  
**CLXXII.** An commendatarius alicujus Ecclesiæ, qui vacante illa cepit possessionem ædium Ecclesiæ, possit intentare interdictum, Unde vi, contra vicarium successorem recuperantem possessionem prædictarum ædium.  
**CLXXIII.** De privilegio viduæ circa electionem iudicis, quam habet.  
**CLXXIV.** An iudex possit ex officio cadavera mortuorum eruere è sepulchris, ad ea inspicienda, cum præsumptio sit defunctum mortuum esse ex vulnere, aut veneno.  
**CLXXV.** An procurator possit compromittere, appellatione remota, & domino præjudicare.  
**CLXXVI.** An bona majoratus, pro aliis bonis permutari possint.  
**CLXXVII.** De arthris.  
**CLXXVIII.** Alimenta quo pacto taxari debeant.  
**CLXXIX.** De litteris citatoriis, quas *cartas de Camara*, vocamus.  
**CLXXX.** An mulier honesta, quæ numquam nupsit, gaudeat privilegio viduæ.  
**CLXXXI.** Quando citari debeat pars elapsis sex mensibus, aut anno; circa intellectum Ord. lib. 1. tit. 63. §. 26.  
**CLXXXII.** An in litibus super possessoriis, citatio uxoris sit necessaria.  
**CLXXXIII.** An mulier, quæ nupsit viro eo pacto, quod nenter communicaret bona alterius, sed unusquisque suis bonis contentus esset, non extantibus filiis, possit, publicaris bonis viri statim repetere dotem.  
**CLXXXIV.** Quando leges noviter latæ, & promulgatæ in nostro regno obligent.  
**CLXXXV.** An confiscatis bonis patris confiscetur usufructus, quem habet in bonis adventitiis filij.  
**CLXXXVI.** Per quæ verba libertas data censeatur.  
**CLXXXVII.** An conventiones, quas, *avenas*, vocant, possit facere locator gabellarum in ultimo anno contractus, in præjudicium locatoris sequentium annorum.  
**CLXXXVIII.** De tributo jugationis.  
**CLXXXIX.** De exactione decimæ, ratione venditionis rei immobilis factæ clerico.  
**CXC.** An impetratio revisionis ab aliquo ex partibus, profit Regio procuratori, qui in ea causâ oppositor fuit.  
**CXCI.** De intellectu Ordin. Regiæ lib. 5. tit. 112. §. 2.  
**CXCII.** De restitutione gratiæ facta per Principem illi, qui ob delictum condemnatus fuerat.  
**CXCIII.** De quæstoribus elemosynariis, & intellectu Ordinationis, lib. 5. tit. 104.  
**CXCIV.** De libertate servorum.  
**CXCV.** An exteri in suis regnis degentes possint commercia habere in locis conquestæ hujus regni.  
**CXCVI.** An monachus, qui relicto priori monasterio, aliam intravit æqualem religionem, possit à secundo monasterio præscribi contra priorem.  
**CXCVII.** An sententia lata contra defunctum valeat, circa intellectum Ord. lib. 3. tit. 18. in princ.  
**CXCVIII.** Quomodo transeat instantia litis in successorem, circa intellectum Ordin. lib. 3. tit. 65. in princ.  
**CXCIX.** De testamento inter liberos condito.  
**CC.** Utrum restitutio semel tantum concedenda sit illis, quibus ea competit.  
**CCI.** An premium meliorationum juratum à patre, & depositum, tradi eidem patri debeat, si illud petat, oblata cautione, ante factam liquidationem meliorationum.  
**CCII.** An Correctores provinciarum possint per correctionem inquirere de officialibus Prælatorum, quos (*mei rinhos dos clerigos*) vocant, si delinquant in officio.  
**CCIII.** An monasterium teneatur renovare emphyteusim filio ultimi emphyteutæ, finitis generationibus.  
**CCIV.** Utrum hospitalia laicorum teneantur contribuere pro expensis Seminariorum.  
**CCV.** An sit servanda consuetudo laicorum circa modum solvendi decimas Ecclesiæ.  
**CCVI.** Quibus casibus summarie procedi debeat contra delinquentes.  
**CCVII.** An possit cognosci in senatu per petitionem gravaminis à sententia lata per Cancellarium maximum, in causâ reculationis, in qua iudicem pronuntiavit non suspectum.  
**CCVIII.** Per quæ verba censeantur feminae exclusæ à successione majoratus per masculos remotiores.  
**CCIX.** Quis iudex possit cognoscere de delictis officialium commissis durante officio.  
**CCX.** An in executione sententiæ possit quis fori privilegium allegare.  
**CCXI.** De legibus nostri regni.  
**CCXII.** An sententiis senatus standum sit ad similes causas decidendas.  
**CCXIII.** De privilegiis senatorum.  
**CCXIV.** De Advocatis.

**L**iber iste à Doctore Georgio de Cabedo, Regio Consiliario, palatij Senatore, & supremi senatus supplicationis Cancellario, compositus, Decisiones continet 214. Arresta 103. nihil in eis reperi quod fidei, aut bonis moribus contradicat; sed omnia doctè & cum magna eruditione disputata, dignaque judico ut typis mandentur.

F. Manoel Coelho.

**V**ista a informação podem se imprimir estas decisões, & impresas tornarão a este conselho pera se conferirem com os originaes, & se dar licença pera poderem correr, & sem ella não correrão, em Lisboa aos 26. dias do mes de Fevereiro, de 1602.

Marcos Teixeira.

Ruipiriz da Veiga.

**P**odemse imprimir estas decisões vista a informação offerecida do Padre Frei Manoel Coelho, 24. de Setembro, 1602.

Simão Borges.

**Q**uese possam imprimir, vista a licença que pera isso tem do sancto Officio da Inquisição, & como forão vistas na mesa, em Lisboa a 26. de Março, de 1602.

Pereira.

Fonsequa.

**D**ecisiones Georgij de Cabedo I. C. Hispani cum Tractatu de Patronatibus Ecclesiarum Regiæ Coronæ Regni Lusitaniæ nihil continent, quod fidei Orthodoxæ adversetur quare reimprimi poterint, Datum Antverpiæ die 12. May 1684.

P. V. Halmale Canonic. Antv.  
& Librorum Censor.

DECI

# DECISIONVM SENATUS REGNI

LVSITANIÆ.

## PARS PRIMÆ.

### DECISIO I.

De Rectore iustitiæ, seu Præside senatus  
supplicationis.

### SUMMÆ.

1. Officium præfecti prætorio priorem obtinet locum  
in senatu supplicationis.
2. Senatus supplicationis incrementum sumpsit à tem-  
pore Edoardi Regis Lusitania.
3. Vnde denominetur senatus supplicationis. *ibid.*
4. Rector iustitiæ, seu præfectus prætorio præsidet se-  
natui supplicationis.
5. Præfecti prætorio Caesarum temporibus quam dig-  
nitatem habebant.
6. Vnde dictus fuerit præfectus prætorio, & Cohors  
prætoriana quæ dicebatur, & qui prætores.
7. Imperatores Equitem unum Romanum prætoriana  
Cohorti præfecerunt, qui præfectus prætorio di-  
cebatur.
8. Imperator Titus dignitatem præfecti prætorio no-  
bilitavit, qui patris sui præfectus prætorio fuit.
9. Præfectus prætorio diversis Caesarum temporibus  
cepit esse magistratus Palatinus, & togatus.
10. Libelli supplicatorij, qui sint apud nos. *ibid.*
11. Præfectus prætorio dictus fuit, qui Consiliarius, &  
assessoribus Principum, ad decidendas lites præ-  
positus, præsidebat.
12. Præfecto prætorio non erat licitum appellare, sed  
tantum supplicare intra biennium. *ibid.*
13. Præfectus prætorio Severus Imperator senatoriam  
dignitatem addidit, & clarissimi vocabantur.
14. Quamvis recentiores, præfectos prætorio supremis  
Cancellariis aequiparent, id apud nos hodie non  
procedit. *ibid.*
15. Iustinianus Imperator in provinciis præfectos præ-  
torio constituit.
16. Rector iustitiæ senatus supplicationis, non incon-  
gruè præfectus prætorio vocatur à nostris.
17. Inter palatium & aulam, qua sit differentia.
18. Hispani Scriptores præsidem consilij regalis præfe-  
ctum prætorio vocant.
19. In consilio regni Hispania, quod est intra palatium,  
sunt consiliarij de iustitiâ, & de camera. *ibid.*
20. Apud nos libelli supplicatorij gratia expediuntur  
in senatu palatij. *ibid.*
21. Prætorium quid sit.
22. Rector iustitiæ senatus supplicationis an in toto  
regno iurisdictionem exerseat? *ibidem.*
23. Valet argumentum ex Rubro. *ibid.*

PARS I.

16. Gubernator civilium causarum, olim rector etiam  
iustitiæ vocabatur.
17. Dominus Gondicalus Vaz. de Castello Branco fuit  
prior, qui gubernator iustitiæ fuit appellatus  
in senatu civilium causarum, & quæ ratio,  
*ibidem.*
18. Rector iustitiæ senatus supplicationis olim vocatus  
etiam fuit, Presidente, & fuit Rodericus Go-  
mez de Alvarenga.
19. De hoc nomine, Presidente, fit mentio in articulis  
gabellaram.
20. Rector iustitiæ fuit etiam in provincia Durij, &  
Minij.
21. Rector iustitiæ etiam olim vocabatur Adelantadus,  
& leges Castella vocant Adelantadum eum,  
qui nunc est præses Regalis consilij.
22. Rex Ioannes XXII. Adelantados sustulit.



**L**N Senatu supplicationis distincta  
sunt officia senatorum in eo jus di-  
centium, ut tradit Anton. Gamma  
dec. 1. Lusitania, num. 10. inter quæ  
priorem obtinet locum officium  
præfecti prætorio, quem nostri  
Rectorem iustitiæ vocant.  
Sciendum autem est, supplicationis senatum  
(quem à tempore Edoardi Regis Lusitaniæ ma-  
jus incrementum habuisse, indicat libellus eiusdem  
senatus, folio 22.) eam obrem sic denominatum  
fuisse, quia ad eum, & ad senatores supplicatio-  
num, quos Gamma ubi supra expeditores causarum  
gravaminum appellat, supplicabatur, juxta Ordini-  
lib. 1. tit. 31. §. 1. & lib. 3. tit. 37. §. 2. extrava. 2. p.  
tit. 1. l. 3. hoc autem quomodo diversis temporibus  
mutatum, additum, declaratumve sit, suo loco  
dicemus.  
Præsidet huic senatu supplicationis Rector ius-  
titiæ seu præfectus prætorio. Libet autem tantisper  
de hac dignitate præfecti prætorio nonnulla di-  
cere, ut inde appareat, an propriè nostri rectorem  
iustitiæ, præfectum prætorio appellent.  
Præfectus Prætorio Caesarum temporibus dis-  
ciplinæ militari præerat, creatus ad instar Magi-  
stri Equitum, & Tribuni Celerum, l. 1. D. de officio  
præfecti prætor. tradit Fenestel. in libro de Magistrati-  
bus Roman. cap. 22. ante electos namque Reges  
Tarquinij scelere hi tribunos equitum celerum ha-  
bebant, consulum temporibus dictatores, horum  
loco magistrum equitum sibi elegerunt mutato no-  
mine, eo quòd republ. Romana odiosa regibus,  
etiam nomen officij, quo ipsi utebantur, abhorre-  
ret,

A

ret,

## Decisio I.

2

ret, horum loco postea Cæsares præfectos prætorio habuerunt, ut est auctor Pomponius Lætus in libello de Magistratibus Romanorum, titul. de præfecto prætorio. Alciat. in l. 1. C. de præfecto prætorio, lib. 12. Coraf. in d. l. 1. & ibi Egninarius Bart. D. cod. Bud. ibid. Franciscus Polet. in Historia fori Romani lib. 1. cap. 4.

5 Vocabatur autem præfectus prætorio, à præfendo; quia Cohorti prætoris præerat, apud antiquos namque prætoria Cohors vocabatur, quæ Consuli, aut prætori in provincia præsto semper erat: Prætores autem appellabant antiqui Romani, omnem magistratum, cui exercitus parebat, ut ex Aufonio deducit Bud. in l. 1. D. de præfecto prætor. & tabernaculum eius prætorium dicebatur.

6 Ad similitudinem igitur, Imperatores, equitem unum Romanum prætoris Cohorti, id est, militibus, qui in prætorio erant, id est, in aula, seu Regis palatio, præfecerunt, quem præfectum prætorio dixerunt: prætorium namque aula Regia dicebatur, Polet. ubi sup. & secundum hanc significationem is, qui apud nos vocatur Capitaneus custodiæ Regis, seu Custos major Regis, non ineptè præfectus prætorio appellabitur, ut notat Budeus in annotat. ad pandect. fol. 139. Rezendius lib. 1. de antiquitatibus Eustantia, statim in principio, in illis verbis; (Eboræ quoque in ædibus Magistri equitum lapis est, &c.)

7 Imperator Titus, dignitatem præfecti prætorio, nunquam antea nisi ab equite Romano administratam, nobilitavit, cum præfectus patris sui Vespasiani dicitur, & esse voluit, ut ex Suetonio Tranquillo, Plinio, & alijs auctoribus, tradunt Budeus & Polet. ubi supra, & à principio plures fuerunt

8 præfecti prætorio, ut meminit Sueton. in Caligula. Postmodum, Cæsares diversis temporibus præfectus prætorio cœpit esse Magistratus Palatinus, sumpta toga, relictisque castris, cujus munus erat libellos agere, l. rescriptum. in princ. D. de distract. pign. (ibi, ab Imperatore libellos agente Papiniano) Imperator autem, cujus meminit illa lex, erat Antoninus, ut advertit Polet. ubi supra, ex Dion. & alijs auctoribus, is enim Papinianum præfectum prætorio creavit, ut videre est ex l. lecta. in principio. D. si cert. petat. (ibi, præfecti prætorio) libelli autem sunt schedulæ supplicatoris, ut ex Tranquillo notat Bud. in l. nec quidquam, D. de officio proconsul. nostri vocant, petitiones gratiæ, Galli requestas: & magistrum, qui his libellis præest, magistrum requestarum, Bud. ubi sup. quem lector videre poterit.

9 Deinde procedente tempore, præfectus prætorio is dictus fuit, qui assessoribus principis, & consiliariis, præpositis ad lites decidendas, in auditorio causarum, quod in prætorio, seu aula principis erat, præsidebat; qui de iisdem causis etiam cognoscebat, & ab eo non licebat appellari. l. 1. D. de officio præfect. prætor. l. à proconsulibus. C. de appellat. ubi glossa, quamvis intra biennium supplicari liceret. l. unica C. de sentent. præfect. prætor. Polet. ubi supra, c. 17. libro 5.

10 Qui præfecti prætorio, etiam si in equestri ordine delituerint, usque ad tempora Severi Imperatoris, ut supra diximus, ipse illis Senatoriam dignitatem addidit, ne quis non senator de Romano senatore iudicaret. Ita Lampridius in vita Alexandri Severi: & clarissimi viri dicebantur, & illustres,

gloss. in rubrica, D. de officio præfect. prætor. quam approbant Dec. num. 11. Curt. Iunior. numer. 10. in l. 1. D. de officio eius cui, &c. Iacobus Menoch. de arbitr. jud. caus. lib. 2. centuria 1. casu 68. numer. 5. quos supremis Cancellariis nunc æquiparant recentiores, ut videre est ex Bud. in d. l. 1. D. de officio præfect. prætor. Poletus ubi supra lib. 1. cap. 4. Menoch. ubi proxime. num. 7. Quod tamen apud nos non procedit, si ad officium Cancellarij maximi, & ad eius jurisdictionem, hodie non parum restrictam, respiciamus, Ordin. libro 1. tit. 2. juncta extravag. l. 1. tit. 1. p. 1. per totam.

Tempore verò Iustiniani Imperatoris, devicta Africa, præfecti prætorio in provinciis ab eo constituti sunt, l. 1. C. de officio præfect. prætor. Africa. ex quo text. colligitur eis iudicandi potestatem datam esse. Rector igitur iustitiæ senatus supplicationis, præfectus prætorio à nostris dicitur, & non incongruè, si ad superius dicta respiciamus; præsidet namque senatoribus jura partibus dicentibus in auditorio causarum, quod, quamvis antiquitus in prætorio, seu aula Regis esset, ut supra diximus, nunc supplicationis senatus extra palatium Regium est.

11 Illud autem obiter adnotaverim, quod inter Palatium, & Aulam illa est differentia, quod palatium Imperatorum, Regum, & Principum est, aula verò inferiorum, cap. convenior. 23. qu. 8. Card. in Clem. unica. de Baptismo, sed aliquando unum pro alio ponitur d. Clement 1. facit text. in l. penult. C. de privilegii eorum qui in sac. palat. milit. lib. 12. Remigius de immunitate Ecclesiarum fol. 99. in verbo, palatium Regis, notat commentator Plinij Iunioris in Epistola 13. lib. 1.

12 Sic & Hispani scriptores Præsidem consilij Regis, præfectum prætorio vocant; is enim consiliariis & auditoribus causas dirimentibus in auditorio, quod est intra Regis Palatium, præsidet, qui vocantur consilij de iustitia, qui præses libellos supplicatorios gratiæ cum consiliariis Regis de camera expedit, ut tradit Molin. de primogeniis lib. 2. cap. 7. num. 59. facit l. 1. tit. 4. lib. 2. nova recopilationis, & l. 2. & 11. quas vide: qui libelli supplicatorii gratiæ apud nos in senatu palatij expediuntur, & in eo præsidet alius præses diversus à præside Senatus supplicationis, seu Rectore iustitiæ: in quo Senatu palatij prædicti libelli supplicatorii gratiæ expediuntur, & magistratum electio fit: deinde de totius Regni iustitiæ administratione tractatur, juxta Ordin. lib. 1. tit. 3. juncta extravag. p. 1. tit. 1. l. 4. per totam.

13 Illud itidem adnotandum est, prætorium, locum esse, ubi iudices de causis cognoscunt. l. pratoria. ubi gloss. C. de oper. pub. glossa in l. omnes C. de Episcopis, & clericis. & ibi DD. unde qui huic loco præsidet, merito præfectus prætorio vocabitur, ut nosse is rector iustitiæ vocatur. Quamvis autem Gam. d. decisione 1. num. 17. asserat Rectorem hunc iustitiæ non solum in senatu, sed & in toto regno jurisdictionem habere, & posse officium exercere, ut facit in aliquibus casibus; tamen hoc intelligendum est, in casibus in legibus regis contentis, & non ultra illos, quod patet clare ex rubrica tit. 1. ordinationum regiarum (ibi, do Corregedor da justiça da casa da supplicação). Valet autem argumentum ex rubrica. l. 1. D. si cert. petat. ubi glossa, Bart. Alexand. &

& reliqui DD. tradit Ias. in rubrica Institut. de actionibus, & quando nigrum est dubium, sumitur argumentum à rubro ad declarationem illius. gloss. 2. in cap. 1. de officio deleg. libro 6. & in cap. tibi qui. de rescriptis. eod. lib. & in l. uni. C. ne liceat tert. provocare. ubi Bald. Ias. ubi supra, numer. 14. ubi inquit, quod text. secundum rubricam debet intelligi & declarari. Idem tenet Bald. in l. ult. D. de hered. instituendis.

16 Illud etiam non omittam, Gubernatorem senatus civilium causarum ( qui olim Olyssipone erat, nunc verò in civitate Portucalensi residet, ordinatione Regis Philippi primi ) rectorem justitiæ antiquitus solere vocari, ut inveni in libris antiquis, & fuisse quemdam Petrum Vaz de Mello, anno Domini 1461. Primus autem, qui appellatus fuit gubernator illius senatus causarum civilium, fuit D. Gondicalus Vaz de Castello Branco, & deinde ceteri sequentes: quod ea ratione factum fuisse existimo, ne ambo præfides utriusque senatus, uno nomine rectorum vocarentur.

17 Vocatus etiam fuit Rector justitiæ senatus supplicationis, olim, præses, seu presidente, ut patet ex libelliolo, quem vocant senatus supplicationis, & fuit quidam Rodericus Gomez de Alvarenga, qui & senator palatij eo tempore erat, & Comes Palatinus, & fuit pater Luppi Soares, Indiæ quondam Gubernatoris, & ego vidi regium diploma, quo ipse præses senatus supplicationis creatus fuit, & nominatus.

18 Fit etiam mentio hujus præfidis senatus supplicationis, per nomen, Presidente, in articulis gabellarum, cap. 3. §. 2. & in l. reformationis justitiæ. vocatur etiam Gubernator senatus Portucalensis, præses seu presidente, in §. 2. 7. & 8.

19 Inveni etiam in Scripturis antiquis appellatum fuisse rectorem justitiæ provinciæ inter Durij, & Minij, in lib. nobilitatis Lusitanie in titulo Soarium de Albergaria, & dicitur ibi fuisse rectorem justitiæ prædictæ provinciæ, quemdam Ferdinandum de Mello, qui fuit filius prædicti Roderici Gomez de Alvarenga, qui ex parte matris, uxoris prædicti Roderici Gomez, ex familia Mellorum erat.

20 Vocatus etiam fuit is rector justitiæ olim Adelantadus, ut etiam vocat Adelantadum de la Corte cum, qui nunc præses est consilij regij, lex Castellæ, 19. part. 2. tit. 19. & advertit Gamma decisio 1. num. 2. quem vide.

21 De Adelantadis autem illud addo, quod inveni in chronica Regis Ioannis II. hæc sunt verba, ( E asia requerimento dos povos, è per causas è razões muy evidentes que se apontarõ, el Rey tirou os adelantados que em cada comarca do Reyno erã postos por el Rey dom Afonso, possõas de titulo, è principais, que punhão por soubredores que ouviã como corregedores. In comitiis factis Eboræ.

DECISIO II.

Quas qualitates habere debeat Rector justitiæ senatus supplicationis.

S U M M Æ.

1. Rector justitiæ debet esse ex nobili familia.

PARS I.

Nobiliores eligendi sunt ad munera publica. ibid.

2. Rector justitiæ debet esse dives.

Inopes non sunt eligendi ad officia publica. ibid.

3. Rector justitiæ oportet ut litteratus sit.

4. Rector justitiæ tunc perfectus dicitur, quando litteratus est. ibid.

Rectores justitiæ, & Gubernatores civilis curiæ non paucos fuisse litteratos pro comperto habemus, quorum nomina hic ponuntur. ibid.

Rector justitiæ, cum Rex senatum visitat, ad illius dexteram sedet.

Rector justitiæ sedet coram Rege capite cooperto. ibid.

Rector justitiæ, cum Rex abest, sedet in primo loco in capite mensa magna. ibid.

5. Ad officium Rectoris justitiæ spectat, senatores ad causas expediendas, per mensas distribuere.

Senatores manè idque citò debent ad senatum venire. ibid.

Ratio ob quam senatus potius manè quam vesperti fit. ibidem.

6. Antiqui Romani primis septem horis diei rebus seriis vacare solebant.

7. Verus intellectus l. 2. in versiculo, cujusque D. de verb. significatione.

8. Rector justitiæ debet esse naturalis regni, nõ externus

9. Rector justitiæ præest omnibus senatoribus, qui in senatu litigantibus justitiam administrant.

Rector justitiæ ipsius regis vices gerit, & curare debet, ut unicuique justitiæ tribuatur.

Rector justitiæ summè invigilare tenetur circa administrationem, reformationem senatus, & senatorum ad officia electionem. ibid.

10. Rector justitiæ debet curare, ut Rex senatoribus retribuatur, secundum uniuscujusque merita.

Petitiones, quæ à senatoribus fieri solent, ut Reges in eos beneficia conferant, per Rectorem justitiæ debebant expediri, & non per alium ministrum. ibid.

11. Observatio styli senatus pertinet ad officium Rectoris justitiæ.

Stylus pro varietate temporum, etiam variari solet. ibid.

12. Senatorum nomina, qui tempore regis Edoardi in senatu officia habebant.

Ordinatio lib. 1. tit. 1. in principio ponit qualitates, quas habere debet rector justitiæ senatus supplicationis, seu præfectus pretorio, inter quas una illa est, ut ex nobili familia sit; idque merito atque optimo jure sancitum est: nobiliores namque ad officia publica eligendi sunt, gloss. in authent. de defens. civitat. §. iterum. collat. 3. tradit Platea in l. 1. Cod. de cond. in public. horreo. lib. 10. n. 5. post Bald. in cap. per inquisitionem. n. 5. de electione. Palatius in repet. rubrica in principio. Molin. de primogeniis l. 10. cap. 5. num. 66. & lib. 2. cap. etiam 5. eod. num. 66. Gamma, qui in specie loquitur decis. 1. num. 19. & conducunt verba Ordinationis lib. 1. tit. 5. in principio, ibi: Deve ser de bo alinhagem de padre, & madre, por que se o for, sempre avera vergonha de fazer cousa que lhe este mal.

Debet etiam rector justitiæ esse dives; inopes enim ad munera eligi non debent. Platea in l. ad subeunda. C. de decurionibus. lib. 10. Avil. in libro praetorum cap. 4. verbo, exemplo, num. 10.

A 2



4

3 Et si fieri possit, debet esse rector iustitiæ litteratus, idque ad maiorem perfectionem, ut inquit Ord. d. tit. 1. in principio, quæ verba multum ponderari debent tunc namque Ordinatio perfectum rectorem iustitiæ vocat, quando litteratus sit. Scimus autem multos viros litteratos rectores iustitiæ senatus supplicationis fuisse, inter quos fuit Episcopus quidam Lamacensis anno 1576. ut constat ex libelliolo senatus: fuit & Ioannes Ferdinandus da Sylveira, qui magnus etiam Cancellarius fuit in regno Lusitanæ, & Baro Alvitensis, quæ omnia constant ex prædicto libelliolo senatus supplicationis: fuit & nostris temporibus D. Ioannes de Mello Episcopus tunc Sylvensis, postea verò Archiepiscopus Eborensis: fuit & gubernator senatus civilium caularum D. Rodericus Gomez Pinheiro Episcopus Portucalensis: post eum fuit etiam gubernator eiusdem senatus D. Emanuel de Menses Episcopus postea Conimbricensis.

4 Habet autem dignitas hæc Rectoris iustitiæ aliquas prærogativas, inter quas una est, ut cum Rex noster senatum visitat (quod sæpè Reges huius regni facere solebant) ipse rector iustitiæ sedeat ad ipsius Regis manum dexteram, qui magnus honor est, ut tradit Ioan. Montanus in tract. de auctoritat. magn. consil. & Boërius ibi, num. 10. Marant. de ordine iudic. in proæmio, num. 10. Carolus de Grassaliis de iuribus regal. lib. 1. fol. 5. Sedit etiam capite cooperto coram Rege in senatu, qui honor etiam magnus est, ex traditis per Gammiam decisione 1. numer. 42. & quando senatores sunt in senatu, absque præsentia Regis ad expediendas causas, ipse rector iustitiæ sedet in priori loco in capite mensæ magnæ (ut nostri vocant) qui magnus etiam est honor, ut notat glossa §. cumque antea, verbo, alteri. Institut. de bonorum possessione. Ioannes Montanus ubi supra, num. 4.

5 Ad officium Rectoris iustitiæ pertinet, senatores distribuere per mensas, ad expediendas causas. Ord. 1. lib. 1. tit. 1. §. 9. senatores autem manè hora solita ad senatum venire debent, idque citò, ut inquit d. Ordin. §. 9. quod & de iure probat l. 2. §. & quia magistratus, ibi, vespertinis. D. de origine iur. ubi gloss. tradit & gloss. in l. unica, verbo, indefesso, ad finem C. de Iustiniano Codice confirmand. altera Ordinatio lib. 1. tit. 29. §. 13. l. 3. tit. 4. lib. 2. nova recopilationis, ibi, Vaian cada dia por la manana. Ea autem ratione manè senatus fit, quia vesperi non ita prompti sumus sicut manè, juxta illud Hesiodi: Qui maturius manè operatur, tertiam partem operis conficit.

6 Notat Cornelius Iansenius Episcopus Gandavens. super Psalmis, Psalmo 5. in illis verbis (Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam) Sic & Romani antiqui primis septem horis diei, rebus seriis vacare solebant.

MARTIALIS:

Prima salutantes, atque altera continet hora.

Exercet raucos tertia causidicos.

In quintam varios exercet Roma labores.

Sexta quies lapsis, septima finis erit.

7 Tradit multa doctissimus Alciatus in l. 2. Paragrapho ult. D. de verb. signif. postea verò meridiano

tempore acquiescere solebant. l. Medicus D. de operib. libert. Ex quo (ut hoc obiter adnotemus) intelligenda venit l. 2. vers. cujusque D. de verb. signif. cujus hæc sunt verba: (cujusque diei major pars est horarum septem primarum diei, non supremarum.) ubi gloss. multipliciter intelligitur. Ego verò cum eodem Accurtio intelligo Juris consultum ad operas respexisse, quæ, quamvis in una, & altera diei parte, tam prima, quam suprema confici solent, l. 3. D. de operib. libert. tamen, cum meridiano tempore acquiescere solent, qui operas debebant, quas liberas Jurisconsultus vocat in d. l. Medicus, idque ratione salutis, & honestatis, plus operis impendebatur matutino tempore, quam vespertino, & sic his, quibus illæ debebantur, & his, qui illas debebant, major pars diei erat prima, quam secunda. Et vide ad d. l. Medicus, fratrem meum Gonzalzum Mendez de Vaz Concellos, in suis questionibus libro 2. cap. 18.

Debet etiam Rector iustitiæ esse naturalis regni, 8 & non exterus, ratione tradita ab Ordinatione, d. tit. 1. in principio, ibi, isso mesmo o Regedor deve ser nosso natural, tradit Gomez in regul. Cancel. 19. facit text. cum materia in cap. bono. n. 2. de postulat. pralat. & in c. ult. de clericis peregrinis, cap. Aphros. 98. distinctione. Covarr. practic. cap. 25. numero 5. Salzed. ad pract. Bernard. Di. cap. 54. & facit Ordinatione, lib. 1. tit. 56. ibi, mas naturais de nosso Reyno, & lib. 1. tit. 29. in princ.

Ex quibus omnibus jam, qui Rector hodie iustitiæ est, & qui pro tempore fuerit, videt, quod munus gerat: præstet namque his, qui in senatu litigantibus iustitiam ministriant, quæ cum principaliter ad Regis officium pertineat, ut tradit Ioannes Andreas in cap. 1. numero 3. de homicidio. libro 6. Afflict. decisione 265. numero 81. Ordin. d. tit. 1. in principio in illis verbis: por que assi comora justiça he a causa mais principal, por que com a graça de Deus por ella Reinamos, & a ella, sobre todas as cousas, deste mundo, tenhamos por isso major obrigação, para que com equidade sempre aguardemos a todos. & ipse rector iustitiæ vices ipsius Regis in hoc gerat, ut partibus, & litigantibus iustitiam fieri per senatores diligenter procuret, ut eadem Ordinatio subjungit ibi, assi a mesma razão e justiça a conselha, que o regedor que por nos na dita casa viver de reger, seia tal, de que nosso senhor seia servido, & em que nosso cuidado descansa, & a nossa consciencia quanto a isso ande sempre descãr regada. tenetur ipse met Rector iustitiæ summè invigilare circa rectam iustitiæ administrationem, reformationem senatus, senatorum ad officia electionem, ut sint tales litterati, virtutibus insigniti, per quos rectè iustitia administratur.

Curare etiam debet Rector iustitiæ, ut eisdem senatoribus Rex retribuat secundum eorum merita, & super eo Regem admonere: ad eius namque curam hoc maxime pertinet Ordin. d. tit. 1. §. 15. & tunc hoc melius fieret, quando per eundem Rectorem iustitiæ retributio meritorum senatorum, & eorum petitiones super hoc, & non per alium ministrum expedirentur, ut provisum erat, & fiebat tempore Emanuelis Regis felicis memoriæ, & ego vidi Regium diploma super hoc in libro 1. Esphæræ, qui est in senatu Portucalensi. fol. 134. sic enim



enim & liberius senatores iustitiam ministrabunt, & eorum meritorum retributio iuste & æqualiter fiet.

11. Pertinet etiam ad officium Rectoris iustitiæ observatio styli senatus. dict. Ordin. libro 1. titulo 11. §. 19. est namque stylus senatus tamquam lex, Ordin. libro 2. tit. 5. in principio. & vide de stylo multa per Sylvam nuptialem, lib. 3. num. 32. Octavianum decisioe Pedemont. 22. Suarium in praxi, in principio, numero 4. nostrum Antonium à Gramma in suis decisionibus, decis. 16. numero 7. quamvis autem stylus pro varietate temporum, variari etiam soleat, Lopus allegatione 51. Cassador. decisioe 4. de rescriptis, tamen observandum maximè est, ut stylus, praxis, & antiqua consuetudo senatus, ad unguem conservetur. Gramma ubi supra numero 7. qui alios allegat.

12. Et quia video non fore injucundum lectoribus scire nomina Senatorum, qui in senatu officia habebant, tempore Edoardi Regis, ea hic inferui; Ioannes Mendes prætor Curialis, Doctor Rodericus Ferdinandus, Alfonso Grialdes, Ferdinandus Alveres, Didacus Alfonso iudex causarum Regis, Martinus Alfonso procurator Regis, Ludovicus Alfonso, Petrus Cannes, Rodericus Aires, Didacus Gil, auditores, Ludovicus Martins, Doctor Vascus Ferdinandus. Hæc Senatorum nomina transcripsi ex libelliolo Senatus folio 22. postea creati sunt alij senatores diversis temporibus, & auctus numerus, usque ad hæc nostra tempora.

DECISIO III.

De præcedentia Senatorum.

S U M M Æ.

1. Vtrum ille, qui prius possessionem accepit, sit præferendus alteri, cui littera translationis fuerunt prius concessæ.
2. In impetratione beneficiorum inspicitur data, non presentatio, aut receptio.
3. In duabus concessionibus factis à Principe præferitur is, qui prior est in data.
4. Data, quæ apud nos dicitur portaria, nihil operatur.
5. Ex stylo, praxi, & longa consuetudine senatus supplicationis, qui prior est in possessione, alteri præfertur.  
Stylus senatus supplicationis pro lege debet servari. ibid.
6. Gratia facta per solam signaturam valet, nec requiritur de substantia gratiæ, quod sint de ea littera confecta, aut expedita.  
In gratia facta, requiritur scriptura ad probationem tantum, non ad essentiam, ibid.  
Attento jure communi, gratia Papa potest probari per testes, secus dicendum de stylo curiæ. ibid.  
Dispensatio Summi Pontificis ad duo incompatibilia valet, saltem in foro conscientiæ, ante litteras confectas. ibidem.  
Ut gratia valeat, sola concessio, veluti per verbum, fiat, sufficit. ibidem.
7. Iure nostro Regio attento, gratia facta, & signata

Cabedo Pars I.

à principè, etiam litteris de ea confectis, non valet, nec etiam sententia inter partes lata possunt habere effectum, nec executioni mandari, nisi prius sint in Cancellaria expeditæ.

10. Quando non apparet, quisnam prius in Cancellaria litteras expedit, in dubio præferendus est, qui prius possessionem accepit. ibidem.

11. Idem dicendum est, attento jure communi, quando dubitatur de prioritare data. ibidem.

12. Expeditio Cancellaria, de jure nostro Regio, idem importat, quod de jure communi, data. ibidem.

8. Resolutio ad quæstionem hujus decisionis.

9. Primo impetranti primum jus acquiritur, quando non invenitur factum completum in persona secundi impetrantis.

10. Si duo à Papa recipiuntur in Canonicos, præbenda semper primo impetranti est conferenda.

11. Tenor decreti Senatus supplicationis circa dubium istius decisionis.

12. Limitatio decisionis in uno casu.

13. Epistola Regis Sebastiani ad rectorem senatus supplicationis missa.

14. Quid statutum sit à Rege Philippo in senatoribus senatus supplicationis, qui ab eodem senatu eliguntur ad expeditores gravaminum.

**C**irca senatorum præcedentias, aliqui casus decisi fuerunt meo tempore in senatu, inter quos unus fuit:

T. & S. senatores ambo in senatu civilium causarum (qui eo tempore Olysiopone residebat) ad senatum supplicationis translati sunt, qui tamen ambo chartas seu litteras suæ translationis habebant diversæ datæ: T. namque priorem, S. verò posteriorem datam habebat, uterque tamen una eademque die litteras per Cancellariam expedit: at S. festinans possessionem prius accepit. Orta igitur fuit inter illos quæstio, quis eorum præferri deberet, & antiquior in senatu dicendus, tam in sedendo & loquendo, quam in aliis muneribus obtinendis?

T. aiebat se præferendum esse, & in suam partem citabat text. in cap. eum cui. de præbend. libro 6. ubi in impetratione beneficiorum inspicitur data, non presentatio, aut receptio, & ideo ei, cui Canonicatus collatus fuit per priorem datam, debetur præbenda vacans, vel quæ primum vacaverit, non autem illi, cui similiter Canonicatus in eadem Ecclesia fuit etiam concessus per posteriorem datam, licet prius litteras præsentaverit, & prius fuerit receptus. Idem probat text. in cap. capitulum de rescriptis. ubi latè Felinus, & in cap. si postquam de præbend. libro 6. tenet gloss. in d. cap. capitulum & in cap. duobus, verbo, quis primo de rescriptis libro 6. similis gloss. 2. in cap. si à Sede Apostolica de præbend. libro 6.

Allegabatur præterea, quod in duabus concessionibus factis à principe præfertur, qui prior est in data, & ita limitatur l. quoties C. de rei vindicatione, ubi Ias. colum. 2. & facit in simili Ord. l. 1. tit. 2. §. 22. ad fin.

Pro parte verò S. in contrarium oppositum fuit quod data apud nos, quæ portaria dicitur, nihil operatur ex Ord. l. 2. tit. 19. & ideo habenda erat ratio possessionis prius habitæ, non verò datæ.

5 Item & quod stylus, praxis & longa consuetudo senatus ita obtinuerat, ut qui prior possessionem accepisset, is præferendus esset, qui quidem stylus, & longa consuetudo senatus pro lege debebat servari. l. 1. C. *quæ sit longa consuetudo* Ordin. libro 2. tit. 5. in principio, Gamma decis. 16. num. 7.

6 Pro hac etiam parte allegabatur, quod, si aliqua ratione in dictis iuribus habetur ratio datæ, ideo est, quia gratia facta per solam signaturam valet, nec requiritur de substantia gratiæ, quod sint litteræ de ea confectæ, aut expeditæ, ut est gloss. in cap. institutionis, verbo, *presentia*. 25. quest. 2. cui similis in Clem. dudum. Paragrapho nos enim in verbo, *confecta de sepultur*. singularis secundum Abb. & Raven. ibi, in cap. *qualiter de electione* gloss. in reg. Cancell. 8. Sed requiritur tantum Scriptura ad probationem, non ad essentiam, & validitatem, secundum Abb. in d. cap. *qualiter*, & in cap. in nostra de rescript. quamvis etiam per testes possit probari gratia Papæ attento iure communi, ex Deci. in rubrica colum. pen. de constitutionibus, non tamen de stylo curiæ, ut tradit Felin. in cap. *ex diligenti*. colum. ultim. de simonia. Ex quibus inferunt dispensationem Summi Pontificis ad duo incompatibilia valere, saltem in foro conscientiæ, ante litteras confectas, secundum gloss. regul. Cancell. 13. & gloss. regul. Cancell. 53. non obstante illa regul. de suffragatione, quæ in foro exteriori intelligenda est, non obstante reg. 25. quæ etiam ita intelligenda est, ex mente dictarum glossarum, ut tradit Gom. in reg. de non jud. secundum supplic. q. 5. & 14. licet q. 9. dubiè loquatur, & quoad aliqua deviet q. 1. tradit Nav. in cap. *accepta*. opp. 8. num. 3. de restitut. spol. Gig. de pensionibus q. 34. per totam. Itaque ut valeat gratia, sufficit non solum signatura, sed verbalis tantum concessio, veluti per verbum (fiat) aut simile.

7 Ceterum iure nostri regni, aliud dicendum est, nam gratia facta, & signata à Principe, etiam litteris de ea confectis, non valet, nisi sint expeditæ in Cancellaria, adeò quod antea nullum possunt habere effectum, & sunt inefficaces, nec possunt executioni dari, nec itidem sententiæ inter partes latæ, ut est expressa Ordin. libro 2. tit. 20. in rub. & in princ. quod & de iure resolvunt Afflic. decis. 253. Gom. in d. reg. de non jud. q. 1. & q. 9. & q. 14. licet q. 5. id limitet non procedere in foro an mæ, tradit & Ludovicus de Molin. de primog. Hisp. lib. 2. cap. 7. num. 53. Pelas de Majorat. 1. p. quest. 62. unde non incipiunt valere, nisi postquam sunt in Cancellaria expeditæ. Porro in præsentī casu, utraque gratia fuerat eadem die expedita in Cancellaria, & non apparebat, quæ prior, quæ posterior fuerat, ergo in dubio præferri debebat ille, qui prius possessionem apprehendit, ut in simili, cum dubitatur de prioritare datæ, desponit text. notabilis in d. cap. *si a sede Apostolica de præbend.* libro 6. Nam idem est de iure nostri regni expeditio Cancellariæ, quod de iure communi est data: quod si possessio nulli adhuc esset tradita, præferendus esset is, qui prius litteras suas præsentasset, ex text. notab. in cap. *duobus vers. si verò*, de rescript. lib. 6.

8 Cum igitur S. non solum litteras suas præsentaverit, sed etiam possessionem apprehenderit, uti-

que præferendus est.

Secundò facit pro hac parte, quod si duobus confertur similis gratia circa assentionem Canonicatus, & præbendæ vacantis, vel proximo vacaturæ, si secundus prius recipitur in Canonicum, & ei confertur præbenda ante receptionem primi, utique in assentione præbendæ præfertur, ut probat text. in d. cap. *tibi qui*. ibi (ex quo alteri ante receptionem collata non existit) & ibi gloss. & Perusinus colum. 1. Archidiacon. colum. 2. in princip. de rescriptis libro 6. ubi inquit, quod prius impetrans esset potior, cum fuit receptus ante collationem factam secundo, quia ipsi primo impetranti fuit primum jus quæsitum ad præbendam, propter intentionem mandantis, quando non invenitur factum completum in persona secundi impetrantis, & facit ratio cap. *quamvis in fin. eodem tit. de rescript.* libro 6. Sic igitur in præsentī casu senator secundo impetrans, cum locum vacantem in senatu prius occupaverit, & illius possessionem ceperit, sedendo, & loquendo, & aliter officium seu munus exercendo, idque ante præsentationem, & receptionem primi, utique primo præferendus est.

Nec obstat text. in cap. *eum qui*. & cap. *si postquam*, de præbend. libro 6. ubi si duo à Papa recipiuntur in Canonicos, & secundo confertur præbenda, etiam ante receptionem primi, non valet collatio, sed revocatur, & præbenda primo impetranti confertur, quia illud est speciale in his, quibus à Papa Canonicatus confertur, quia eo ipso impetranti debetur præbenda, ac si etiam à Papa eidem collata fuisset: unde etiam ante ipsius impetrantis receptionem alteri secundo nequit conferri: secus verò in aliis impetrantibus ab aliis inferioribus, vel etiam in impetrantibus à Papa alias præbendas, ut in d. cap. *tibi qui*. & ita illud speciale firmat regulam in contrarium: unde, quia senator, cui confertur à Principe istud munus, non statim, nec eo ipso censetur collatus in senatu, non bene deducitur argumentum ex d. c. *tibi qui* & cap. *si postquam*. & ideo, si secundus impetrans ante primi receptionem locum & possessionem obtinet in senatu, præfertur, & antiquior reputatur.

Ex his omnibus in præsentī dubio, senatus iudicavit pro senatore, qui prius possessionem cepit, tenor autem decreti Senatus, is est ad verbum:

*A de zanove de Março de 1378. foi posto em duvida perante o Regedor em Rellação, se dous Desembargadores, ou mais, fossem providos por sua Alteza do Desembargo, qual delles devia preceder, se aquelle a que primeiro foi passada a portaria de merce, ou aquelle que primeiro tomou posse na casa, e assentou se pellos Desembargadores abaixo assinado si que precedera o que primeiro tomou posse, vista a forma da Ordenação, & direito, & o stylo antigo de casa.*

Hoc tamen limitatur, nisi senatores plures, simul junctim de uno senatu ad alterum translati sint, vel plures senatores sint electi simul ad expeditores causarum gravaminum, ex eodem et senatu: tunc namque decreto Regis Sebastiani per epistolam missam ad Rectorem senatus, quæ est in libro 6. relationis fol. 69. illi præferuntur, qui in senatu, seu officio aliquo antiquiores erant: quod

quod non semel factum vidimus. Verba epistolæ sunt hæc :

13. *Alembrança que me fazeis dos desembargadores que erão necessarios nessa, casa rivea de os prover no principio do despacho despois das ferias, & ja devem de servir os mais delles, os quais ey por bem que precedan da maneira que precedião na casa do civil huns aos outros, como he ordinario, & se sempre fez, posto que alguns tomem primeiro posse feita à 4. de Dezembro de 1575.*

14. *In his verò senatoribus, qui ab eodem senatu eliguntur ad expeditores gravaminum, sic anno 1583. decrevit Rex noster Philippus, & rector senatus de mandato Regis, id ita ordinavit, ut ego vidi, qui fui unus ex senatoribus electis, eo tempore, ad expeditorem gravaminum senatus supplicationis.*

#### DECISIO IV.

Officialis, cui primùm concessa est dignitas sine administratione, & sic titulariter, ut dicitur, si postea habeat eiusdem officij administrationem, an præferendus sit ei, qui post dignitatem, & ante ipsam administrationem sibi concessam, adeptus est simile officium cum administratione?

#### S U M M Æ.

1. *Tempore Regis Sebastiani septem tantum senatores, ad expediendas causas gravaminum constituti erant, postea verò octo constituti sunt.*
2. *Si Princeps alicui dignitatis administrationem concedat, cui jam diu antea erat concessa, nihil de novo eidem concedit.*
3. *Senatores alij sunt actuales, alij vacantes, alij honorarij. Qui vacantes dicuntur in duplici sunt differentia. ibid.*
4. *Senatores honorarij, alij sunt per codicillos, alij per insignia.*
5. *Ut quis dicatur Senator actualis, duo pro forma substantiali requiruntur.*
6. *Senator extravagans, si pro aliquo senatore gravaminum officium exerceat, non ob id dicitur actualis senator gravaminum.*
7. *Vacans Senator dici non debet, qui numquam fuit actualis senator. Privatio præsupponit habitum. ibid. Actuales senatores præferuntur vacantibus. ibid.*
8. *Ex ordine à Rege servato, in narratione nominum senatorum, antiquitas eorum dignoscitur.*
9. *Quid iudicatum sit à senatoribus in hac causa.*
10. *Negligentia senatoris prioris in data, si passus est alium senatorem in possessione capiendâ esse priorem, sibi imputatur.*
11. *Intellectus ad l. penult. C. de consulibus. l. 12.*
12. *Alius intellectus eiusdem legis.*
13. *Alius intellectus prædicta l. penult. ubi vide multa de materia.*
14. *Doctor modernus Cathedralicus præferendus est*

*antiquiori non Cathedralico.*

*Doctori Antonio Soario, qui electus est ad officium expeditoris gravaminum titularis, ea conditione, ut certo tempore primariam Iuris Civilis Cathedralicam in universitate Conimbricensi legeret, fuerunt alij prælati, qui medio tempore in senatu supplicationis, actuales expeditores facti sunt. ibid.*

15. *Rex noster Philippus summa ratione statuit, ne deinceps, hi expeditores causarum gravaminum titulares crearentur.*

**A**liud dubium in senatu controversum vidi, quod est huiusmodi: Rex noster Sebastianus, ex numero senatorum extravagantium senatus supplicationis assumpsit T. ad officium expeditoris causarum gravaminum, ita ut salarium illi officio competens haberet; voluit tamen prædictus Rex, ut dictus T. distributionem actualem non exerceret, eò quod non plures gravaminum expeditores, quàm septem eo tempore constituerat in senatu supplicationis: postea M. ex senatore extravagante, expeditorem actualem gravaminum fecit, ita ut distributionem haberet, essetque de numero actualium, & salarium expeditoris gravaminum perciperet: & actus est tunc numerus ad octo expeditores gravaminum. Cum is M. actualiter serviret, Philippus Rex noster cum esset in regno Portugaliæ anno 1583. numerum expeditorum gravaminum in senatu supplicationis auxit ad decem, & prædicto T. senatori titulari gravaminum causarum permisit, ut de numero eorum, quos auxerat, esset, & distributionem cum ceteris acciperet: dicebat T. se præferendum esse M. quia prius illo fuerat assumptus ad officium expeditoris, & nunc jam actualiter ex permissione Regis serviebat, & distributionem habebat.

Dati sunt iudices ad quæstionem istam dirimendam, inter prædictos duos senatores: & coram illis allegavit T. litteras suas priores in data fuisse, & insuper possessionem prius cepisse, & quod semper M. prælatus fuerat, in loquendo, sedendo, & in aliis, ergo & nunc præferendus erat: siquidem actualiter serviebat, & distributionem habebat, & pro illo faciebat text. optimus in l. penult. C. de consul. lib. 12. ubi text. ait, quod in casu proposito Princeps nihil de novo dat, quod jam datum non esset: concessio namque in his terminis facta à Principe retrahitur ad tempus primæ concessionis, & ex eo tempore competit jus prælationis, ac si à principio officium actu exercuisset, & nunc iterasset, ut notat Bart. & Plat. per illum text. notantes, quod si alicui concedatur administratio dignitatis diu antè concessæ, non videtur de novo dignitas concedi, imò illis potietur honoribus, quibus potiretur, si eidem administratio concessa fuisset: qui text. valde pro dicto T. urgere videbatur.

Quia tamen M. causa melior visa fuit, ad faciliorem materiæ cognitionem præmittendum censeo, quod in officiis hæc est distinctio (quo ad propositum præsens attinet.) Alij namque sunt actuales, alij vacantes, alij honorarij; actuales officialès sunt, qui actu serviunt, & habent administrationem, & officij exercitium, l. 2. C. ut dignitat. ordo servet in principio, ibi, qui actu positi, & in versiculo,

sed administratores. Vacantes sunt, qui aliquando administrationem habuerunt, & habere desierunt, quia concessa illis est utcumque vacatio, gloss. in verbo, vacantibus, d. l. 2. & l. si ibi, post depositam, C. de primiceriis, lib. 10. quos idiomate nostro vocare possumus, aposentados.

4 Et hi sunt in duplici differentia: alij, qui presentes, cingulum, id est, vacationem meruerunt; alij quibus absentibus illud missum fuit, & concessa vacatio, ut probatur in d. l. 2. vers. secundo veniant, & in versiculo, tertium vero, & quia hi sunt extra ordinem & numerum actualium, dicuntur habere nomen sed non ordinem, ut in d. l. ultim. ibi, non nomine. Honorarij vero sunt, qui nomen sive titulum tantummodo dignitatis adepti sunt, sine administratione, & alij fiunt per codicillos, alij per insignia, ut probatur in d. l. 2. vers. quartum honorarium. Et puto per codicillos dici illos, que tem barra de Desembargador. Qui vero sunt per insignia, illi videntur, quibus se concede sumente o privilegio de Desembargador, & hi etiam multo magis dicuntur habere solum nomen, sed non habere ordinem, ut in d. l. fin. vers. qui vero.

5 His ita præmissis: pro parte M. dicebatur, quod non poterat dici T. actualis expeditor gravaminum: quia ad hoc, ut inter nos dicatur quis actualis, duo requiruntur pro forma substantiali, alterum quod sit de numero, alterum quod actu & in rei veritate serviat, & exerceat distributionem competentem senatori numerario, id est, qui sit unus ex illis septem expeditoribus gravaminum causarum, quos statuit Novella nostri Regni, parte 1. titulo 15 l. 14. edita anno 1561. seu octo, qui postea sunt aucti, vel ex decem, quos statuit Rex noster Philippus anno 1583.

6 Patet hoc, quia senator extravagans, id est, carens officio, si pro aliquo senatore gravaminum, officium exerceat, non ob id dicitur actualis senator gravaminum, quia de numero non est. Gamma decisione 1. numero 46. & sequentibus. Item senator gravaminum, qui actu potest servire, nec servit, ut quia vacationem habet, non dicitur senator gravaminum actualis, quia licet sit de numero, tamen actu jam non servit. Idem est in eo expeditore gravaminum, qui ad aliud officium translatus fuit in eodem senatu, nam statim, ut ei aliud munus committitur, actualis definit esse, licet retineat omnia privilegia concessa expeditoribus causarum gravaminum actu servientibus, ex provisione quadam Regis Sebastiani lata anno 1578. 5. die Junij, quæ est in libro 6. senatus fol. 223.

7 Cum ergo hoc ita sit; dici minimè potest, quod T. fuerit umquam actualis senator gravaminum, quia nec de numero fuit, nec distributionem habuit, nec exercuit, & hoc planum, & indubitabile videtur: sed nec vacans eadem ratione dici potest, quia numquam fuit actualis, nec habuit administrationem, cujus vacationem impetrasse dici possit; vacatio namque, tamquam privatio, habitum præsupponit, l. manumisiones, D. de justit. & jur. sed etsi diceretur vacans, utique M. qui erat actualis, præferendus T. erat, quia actualis

præferuntur vacantibus, ut est text. in d. l. 2. vers. sed administratores. Cum igitur prædictus T. nec actualis, nec vacans dici queat, à sufficienti partium enumeratione, reliquum est, ut honorarius omnino sit dicendus, quem tituletem vocamus, quia nec in numero est, nec administrationem distributionis tenet, & tantummodo nomen, sive titulum dignitatis habet, juxta superius dicta: cumque honorarius sit, M. qui actualis erat, illi omnino præferri debebat. per l. 2. vers. sed administratores.

8 Confirmatur hoc & alio argumento, quia Rex Philippus, dum gravaminum expeditores instituit, illo tempore, quo T. distributionem habere cœpit, diploma emisit in hæc verba: Os quais Desembargadores do agravo, serão os ditos alem de M. que ia dantes o era. inter illos vero, quos seriatim recenset, ultra M. qui jam actualis expeditor erat, & inter noviter creatos numerat T. in quo planè eidem novum locum tribuit, & M. in eo ordine antiquiorem esse significat.

9 Judicant itaque senatores, judices dati in hac causa, pro M. ut antiquiori in omnibus, & per omnia haberetur, non obstantibus his, quæ pro se T. allegavit.

10 Nec obstat prius argumentum, quod pro T. conficiebatur; nam respondebatur, quod prior data concessionis non faciebat T. actualem expeditorem, sed tantum titularem, id est, priorem titulo, & sic præferri poterat, & deberet titularibus posterioribus, sed non actualibus, id est, actu officium gerentibus, per d. l. 2.

11 Secundum non obstat, quod prius possessionem ceperit, quia id fuit respectu officij titularis, non verò actualis, & possessio illa poterat operari, ut T. præcederet titularem aliquem, priorem in data, sed posteriorem in possessione, juxta gloss. vers. alij dicunt, ibi, cum tamen non recipiatur in cap. capitulum, de rescript. quia negligentia prioris in data sibi imputatur, qui passus est alium in possessione capiendam esse priorem, ut est text. in cap. tibi qui. in fin. de rescript. lib. 6.

12 Ad l. pen. C. de consul. libro 12. quæ fortius urget, responderi potest, procedere ratione privilegij, videlicet, ut ei, cui concedatur administratio dignitatis antea habitæ, concedatur etiam prælatio ex antiquiori tempore, nempe ex quo primum illi concessa fuit dignitas, ut hoc sit speciale privilegium virorum consularium, de quibus ibi loquitur text. Pro quo pondero verba (Iterasse beneficio videatur,) beneficio, inquam, id est, privilegio: loquitur enim text. in consulari, qui non sit consul à plebe, & à qua creari debuit, juxta l. 2. §. ex actis, D. de origin. jur. sed impetrat à Principe, ut actu habeat, & exerceat consulatum, ut probant illa verba (impetrato videlicet principali judicio) & tunc dicit, quod beneficio, id est, privilegio speciali, censetur iterasse consulatum, quasi antea actu gesserit, & modò iterum actu gerat, cum tamen antea actu non gesserit.

13 Vel & secundo melius responderi potest, text. illum procedere, ut prælatio consularis, facta consuli in actu, concedatur in honoribus, & privilegiis acquirendis, non verò in jam quæsitis. Nam si concurrat cum alijs consulibus, aut consularibus, in privilegio,

legio, vel loco petendo, quem illi prius quæsitum habeant, non præferetur illis, sed bene præferetur, si concurrant omnes ad petendum locum, aut privilegium nondum habitum aut quæsitum, juxta dispositionem text. in capit. *quamvis de rescript. libro 6.* cujus meminit Ioan. à Plat. in d. l. 2. ad fin. & hæc responsio magis placet, pro qua pondero d. l. ultim. ibi, in consequendis, &c.

14 Tertio potest etiam responderi, quod d. l. pen. procedit, ubi officiales nullum habent numerum, nec ullo sunt constituti in ordine, ut erant consules, & viri consulares, qui fiebant Romæ: nullum enim habebant numerum, sed indefinite, & promiscue creabantur à plebe. ut in d. *Paragrapho ex act.* & ibi notant DD. & de consularibus notatur in toto titul. C. de consularibus. tradunt Alciat. & Pyrrus ibi, quemadmodum creabantur milites, & modo apud nos creantur Doctores in universitatibus; hi enim nullum habent numerum, & consequenter nec locum, & tunc procedit, quod dicit dicta lex pen. ut qui ante habuit dignitatem, id est solum titulum, sine administratione, si postea ei concedatur administratio, potiarur honoribus, & privilegiis prælationis, quibus potiretur, si à principio administrationem actu habuisset, & ideo antecedit eos, qui post dignitatem, & ante administrationem sibi concessam habuerunt utrumque, nempe dignitatem cum administratione. Quod etiam in eo, qui patriciatum obtinuit, constitutum videtur l. 2. C. de consularibus. ubi is, qui prior consul factus est, licet alius consul, & patricius postmodum factus eum interim præcesserit, tamen si postea ipse, qui prior fuerat consul, patricius etiam efficiatur, utique præferetur illi, qui post consulatum, & ante patriciatum sibi præferatur, quia patriciatum postea obveniens retrahitur ad tempus adepti primum consulatus. Quod in Doctoribus Cathedralicis in universitate nostra Conimbricensi, ex statutis ipsius observatur, quod Doctor Cathedralicus modernior procedat Doctorem antiquiorem non Cathedralicum: at si antiquior postea Cathedralicam consecutus fuerit, præcedet juniorem, qui prius Cathedralicus fuerat, & qui ea ratione illum præcedebat, argum. d. l. 2. C. de consularibus. secus verò ubi aliquis esset locus, & numerus, quia tunc, si sunt certi, & numerati (Canonici exempli gratia in aliqua Ecclesia) si prius factus fuit aliquis Canonicus in illa, nondum habens locum, & alius posterior Canonicus prius locum obtinuit, & eius possessionem, certè is præcedet, licet alius postea obtineat Canonici locum. cap. tibi qui. & ibi gloss. Perus. colum. 1. & Archid. colum. 2. de rescriptis. libro 6. ubi inquit Archid. quod primo impetranti fuit primum jus quæsitum, quando non invenitur factum completum in persona secundo impetrantis, facit ad idem gloss. in vers. alij dicunt, in cap. capitulum. de rescript. ibi, dum tamen non recipiatur secundus ante presentationem priorum, & facit text. & eius ratio in cap. *quamvis, de rescript. libro 6.* & quod per illum notat Plat. in d. l. penult. C. de consularibus libro 12. citat aliquos Doctores in argumentum eorum, quæ dicta sunt, Antonius Gabriel. libro 6. com. opin. conclus. 1. de majorit. & obed. Sic in casu nostro, ubi certus numerus

expeditorum gravaminum erat constitutus, si T. electus prius fuit senator gravaminum titularis, & extranumerarius, & postea M. actualis, & numerarius, cum certo loco & distributione, etiam si postea T. actualis sit factus, & locus ei datus, & distributio, non ob id præcedet M. quia jus quæsitum habet in loco dato, cui præjudicare non potest nova illa concessio facta T. per d. cap. *quamvis.* quæ est vera ratio decidendi: aliqua tradit etiam de materia Alciat. libro 5. *parerg. cap. 10.* ex cujus dictis patet etiam intellectus ad d. l. pen. C. de consularibus. libro 12. & vide Molin. de primogeniis libro 2. cap. 23. num. 36.

Lata ergo fuit sententia pro M. quod & antea in senatu judicatum fuisse accepimus in simili casu contra doctissimum virum Antonium Soarium, qui per Regem electus fuit ad officium expeditorum gravaminum titularis; ea tamen conditione, ut primariam Juris Civilis Cathedram Conimbricæ legeret. certo tempore: cum autem eo medio tempore alij essent in senatu expeditores gravaminum facti actualis, & cum distributionibus, isti tales prædicto Antonio Suar. sunt prælati, etiam si ipse postea actualiter in senatu servire, & distributionem actualiter habere impetrasset, finito illo tempore, quo jussus erat legere Conimbricæ.

Rex tamen noster Philippus summa ratione statuit, ne deinceps hi expeditores causarum gravaminum titulares crearentur; sed solum essent illi decem, qui actualiter distributiones haberent, ut superius dictum fuit.

## DECISIO V.

## De præcedentia senatorum palatij.

## SUMMÆ.

1. Vtrum ille, qui prius actualem possessionem cepit, & officium exercuit, sit preferendus illi, qui prior fuit in data, & prius litteris gratia per Cancellariam expediti, in quibus continebatur, quod Princeps eum statim in possessionem mittebat.
2. Actualis possessio preferenda est civili & verbali à Principe data.
3. Princeps non intelligitur velle præjudicare in jure jam alij quæsito. Clausula, qua a notariis de consuetudine ponuntur, parum efficaces sunt. ibidem.
4. Epilogus eorum, quæ attentè jure communi in hac materia tenenda sunt.
5. In casu presentis decisionis, primus senator negligens fuit, & ob id negligentia ei nocuit.
6. Vtrum ille, qui prius actualem possessionem cepit, procedat illum, qui provisionem regiam habet, in qua continetur, ut ei antiquitas currat, a tempore, & data prioris provisionis.
7. Provisio Regis non præjudicat juri jam alij quæsito nisi in litteris regis de eo expressa mentio fiat, cum derogatione prædicti juris.

Alij duo casus decisi fuerunt meo tempore non dissimiles superius dicto, qui hujusmodi sunt.

Offi-

Officium Senatoris Palatii per Regem nostrum Philippum duobus senatoribus datum fuit, D. prius, deinde vero R. qui tamen R. licet posterior esset in data, prius actualem possessionem cepit, & officium exercuit per actus illos, quibus exerceri solet: cui D. movit quaestionem, dicebatque, quod prior fuerat in data, & prius litteras gratiae, & concessionis per Cancellariam expediverat, in quibus continebatur, quod Princeps statim cum ipsum in possessionem mittebat, per haec verba: (*Eque logo de sententia avia por metodo de possedo dito officio.*) Unde contendebat se praefendum R. eo quod & prior in data, & prior in possessione esset, quandoquidem à Principe prius in eam missus fuerit verè, & efficaciter, licet actus praedicti officij non exercuisset.

2. Ex diverso R. dicebat, se debere praeferi, quia prius actualem possessionem cepisset, quae praefenda erat illi civili, & verbali possessioni à Principe datae.

3. Item quia constabat, quod illa clausula adjecta fuit, & posita in litteris D. post ceptam possessionem actualem per R. & realem, quo casu non intelligitur Princeps praedjudicare voluisse juri quaesito ipsi R. arg. l. 1. §. si quid à Principe, & §. merito D. ne quid in loco publ. Gomez in reg. de non tollend. jur. quaesit. & probat fere in terminis text. in cap. quamvis de rescript. lib. 6. & quod per illum tenet Platea in l. pen. ad fi. C. de consulib. lib. 12. Deinde clausulae illae saepissime ponuntur à notariis, & secretariis Regis de consuetudine potius, quam ut aliquid operentur, & ita parum efficaces sunt ut tradit late Pelaez de majoritatibus, r. p. quaest. 5. num. 3.

4. In hac materia autem illa est distinctio facienda, attento jure communi, quod si de data constat, prior in data, litteris expeditis, praeferi debet, nisi ante praesentationem secundus possessionem ceperit, quia hoc casu secundus praefertur, dummodo non interveniat dolus, seu negligentia primi causata per secundum, cap. tibi qui de rescript. lib. 6. ut est gloss. 1. in cap. capitulum de rescriptis. vers. alij dicunt, ibi, dum tamen non recipiatur secundus ante praesentationem prioris. Quando enim intervenit dolus, aut negligentia primi, causata per secundum, per quam praesentare praetermisit litteras suas, tunc illi non est secundus praefendus, quantumvis possessionem prius apprehenderit, per text. in d. cap. tibi qui, in fine.

Si non apparet de data, praefertur, qui prius possessionem cepit, cap. si à Sede Apostolica, de prabend. libro 6.

Si non apparet de possessione, tunc, qui primo praesentavit, cap. duobus, Paragrapho si vero, de rescript. lib. 6.

Si non constat de praesentatione, tunc is, qui à superiore digniore impetravit, d. cap. si à sede & d. cap. duobus, in principio.

Quod si omnia sunt paria, tunc est locus gratificationi. gloss. in verbo, concurrant in d. cap. duobus, vel forte dirimatur, gloss. magna in fin. in cap. quoniam Abbas, de officio deleg. quae loquitur in delegato, à duabus partibus impetrato sub homine ambiguo, & dubitatur, de quo senserint, haec de jure disposita sunt.

5. In nostro vero casu, primus senator negligens

extitit, ita ut mora sua ei nociva esse debuerit, & ita fuit pro R. judicatum, reg. mora, ubi Dynus de reg. jur. libr. 6.

Alter casus fuit inter B. & I. in quo dubio allegabat B. pro sua parte, Regiam provisionem, per quam factus erat, & creatus senator Palatii, tali die datam. Postmodum vero electus fuit ad idem officium senatoris Palatii I. qui tamen prius actualem possessionem cepit: cumque quaestio inter illos penderet, Rex noster Philippus misit B. ad certum negotium ex commissione sua, ratione cujus absens fuit, deditque ei aliam provisionem, in qua continebatur, ut ei antiquitas curreret in dicto officio senatoris Palatii, à tempore & data prioris provisionis.

Dati sunt iudices ad causam hanc, & controversiam dirimendam, qui pro I. sententiam tulerunt, quamvis enim pro parte B. adduci posset text. in d. l. pen. C. de consulib. lib. 12. & tradita per Tiraq. in tract. le mort. p. 5. declarat. 3. num. 16. & 18. tamen responderi potest ad d. legem pen. pro ut supra decis. 4. num. 12. 13. & 14. & provisio illa regia secunda data B. ut illi currere antiquitas à tempore prioris provisionis non poterat praedjudicare I. in jure, quod ei jam quaesitum erat, per actualem possessionis apprehensionem, cum expressim per Regem in posterioribus litteris B. derogatum ei non fuerit, ut est text. optimus in d. cap. quamvis de rescript. lib. 6. tradit Plat. in d. l. pen. C. de consulib. lib. 12. ad fin. Haec de praecedentia senatorum sufficiant, quae diffusius tractare volui, quia saepe possunt similes casus occurrere.

## DECISIO VI.

Quis ordo servandus sit in votis senatorum.

### S U M M A.

1. Forma senatoribus circa pralationem votorum datur per Ordinationem Regni, & qui numerus senatorum dari debeat in processibus.
2. Per ordinationem antiquam, in processibus criminalibus capitalibus, non minor numerus quinque senatorum dari poterat: major tamen dari non prohibebatur: quod per legem Dominicam emendatum fuit.
3. Majori parti votorum semper standum est. & n. 4. In paritate votorum, Rector senatus votum dat, quod tamen raro fit. ibidem. Ponuntur aliqui casus, in quibus Rector senatus votum dat, remissive. ibidem.
5. Majori parti votorum semper statur, etiam si major pars sit minus peritorum, & minor pars magis peritorum.
6. Casus in quibus statur minori parti votorum. & n. 7.
8. Junior in dignitate aut officio, incipere debet in votando, & redditur ratio. Stylus senatus approbatur, quod intellige, ut num. 9.
10. Augusti Caesaris in hac re quae fuerit cautela.
11. Casus in quibus in senatu antiquiores votum prius dant, quod intellige, ut num. 12.
13. Iudex principalis causa, seu processus, licet antiquior, prius votum dat.

14. Senatores in senatu cavere debent à colloquiis privatis, & graves esse debent.

15. Senatores secreta eorum, quæ in senatu geruntur, detegere non debent.

1 **P**er regiam ordinationem nostri regni *lib. 1. tit. 1. §. 23. & §. 27.* datur forma senatoribus, circa prælationem eorum votorum, qui autem senatorum numerus dari debeat in processibus, disponit eadem *l. regia §. 9. & §. 29.* qui numerus auctus fuit per extravagantem *l. 5. tit. 5. part. 1. & l. 19. & per legem, quam Dominicam vocamus. §. 14.*

2 Illud verò notandum est, quòd per *d. Ord. §. 9.* non prohibebatur, quòd in processibus criminalibus capitalibus major numerus quinque senatorum daretur, sed solum ille §. disponebat, ut non minor quinque dari posset, & sic in initio causæ major numerus dari poterat, & hoc innuit verbum illud, (*ao menos*) positum in illo §. quod etiam ponitur in *Ordin. lib. 1. tit. 29. §. 28. & lib. 5. tit. 49. §. 2.* immo per *Ordin. lib. 1. tit. 1. §. 28.* hoc Reçtori senatus jubetur, & eius arbitrio committitur, juxta formam ibi præscriptam; nunc verò per leg. Dominicam §. 14. sex senatores dantur.

3 Semper autem standum est majori parti votorum, per *Ordin. d. tit. 1. §. 27.* ibi (*Eo que à major parte delles, &c.*) quod si sint vota æqualia numero, tunc ipse Reçtor senatus votum dabit, & prævalebit ea pars, cui ipse adhæserit. *d. §. 27.* Quod tamen numquam meo tempore in senatu factum vidi, ut Reçtor justitiæ votum daret in paritate votorum, aliqui tamen sunt casus, in quibus Reçtor justitiæ votum dat, etiam in disparitate votorum, ut in *Ordin. lib. 1. tit. 5. §. 5. & lib. 1. tit. 9. Paragrapho 6.* cum aliis, quos videbis & notabis.

4 Quod autem semper stetur majori parti votorum, probat etiam *Ordin. lib. 1. tit. 4. §. 1. in fin. & extravagans 1. p. tit. 5. l. 8. in principio.* de jure communi est *gloss. verbo, rationabiliter, in cap. 1. de in, qua sunt à majori parte capitul. & in cap. auditu, de elect. & in cap. cum omnes, de constit.* notat *Bald. in l. 1. q. 4. D. cujusque univers. nomin.* notatur ad *l. quod major. D. ad municipal.* nam pro plurimum sententia præsumitur, *cap. prudentiam, in principio,* ubi *gloss. & Doct. de officio deleg. tenet Afflict. decisione 1. num. 4.* facit *l. 7. tit. 4. lib. 2. nova recopilationis legum Regni Castella.*

5 Quod amplia procedere, etiam si major pars esset minus peritorum & minor pars esset magis peritorum, quia nihilominus stabitur majori parti, quamvis hi sint minus periti, quia pro consilio plurimorum præsumitur, ut superius diximus: notat *Alexand. conf. 40. volum. 2. & ita fuit conclusum in senatu Neapolitano, ex Afflict. decisione 1. numer. 4.* ubi dicit, quod in prædicto senatu ita semper fuit observatum, & quod non valet consuetudo, quod in actibus gerendis non stetur majori parti, ut notat *Imol. in d. cap. 1. allegat etiam cap. si transitus 79. distinct. & gloss. ult. in cap. cum olim, de re jud. circa quod tamen vide elegantem epistolam Plinij junioris l. 2. ad Arrianum epistol. 12. & ibi eius commentatorem Cassanum, l. 7. tit. 4. lib. 2. nova recopilationis legum Castella.*

Aliquando tamen prævalent pauciores, quando videlicet Reçtor senatus consulit vota senatorum, non de necessitate, sed voluntariè: tunc enim potest sequi vota pauciorum, si ita velit, ut aliquando vidi; secus vero, ubi lex formam præscribit senatoribus ad votandum: tunc enim semper, ut diximus, standum est majori parti votorum, ex *Ordin. lib. 1. tit. 1. §. 27.*

Si etiam Princeps ita vult, statur votis pauciorum, qui tamen sunt majoris auctoritatis, ut in casu *Ordin. lib. 3. tit. 78. §. penult. ibi (de tanta auctoridade)* quod notandum est.

8 Sed quis incipere debet in votando, quæstionis est? & dic, quod junior in dignitate aut officio, id est, qui novissimè, & ultimo loco assumptus est in numerum senatorum. *Afflict. d. decisione 1. n. 7.* qui dicit sic in senatu illo observari, quod & de nostro senatu testatur *Gamma decisione 1. numer. 13. & de senatu Pedemontano Octavianus decisione 1. n. 11.* deinde alij senatores debent votum dare, ordine successivo, ascendendo usque ad priores, & antiquiores in senatu, non ætate, sed loco. Hujus autem rei illa redditur ratio: ne scilicet minores formident declinare à sententia majorum, ut dicit *Nicolaus de Lira super Exodo cap. 23. in glossa, vers. nec judicio,* & ubi ait, quod hunc modum servant in votando Doctores Theologi in universitate Parisiensi, incipiendo vota ab illis, qui sunt juniores in magisterio, refert *Afflict. d. decis. 1. n. 6.* qui allegat *Bald. in cap. cum olim, de consuetudine,* ubi dicit, quod antiquiores clerici in clericatu, & Doctores in Doctoratu debent habere primum locum, & deinde ceteri per ordinem, pro quo est *gloss. in cap. placuit 16. distinctione, & hoc tenendum est, licet aliqui dicant, quod seniores, & prudentiores debent prius votare. Bald. de controv. feudor. apud pares term. alij quod digniores. cap. quia tu. 50. distinctione,* notatur ad *l. si quis ex argentariis D. de edendo.* refert *Afflict. ubi supra, num. 7.* Sed tamen apud nos observatur de stylo antiquissimo senatus, id quod prius diximus, facit in confirmationem *l. 6. tit. 4. libro 2. l. 43. tit. 5. eod. lib. nova recopilationis legum regni Castella.*

9 Est tamen hoc intelligendum inter senatores extravagantes quos vocamus, id est, officio carentes: si enim senatores officia habentes vota dederint, ille posterior erit in votando, qui dignius officium habet, ut tradit *Gamma d. decisione 1. n. 13. cum sequentibus,* quem legito.

10 Illud hic obiter adnotandum duxi, Augustum Cæsarem, quando senatum rogabat, de more, pro legibus condendis, ea usum fuisse cautela, ut in rogandis senatoribus, nullum ordinem servaret, sed ex arbitrio, modo hunc, modo illum interpelleret, ut ita unusquisque, quo tempore votum proferre debebat, maturè cogitaret, quid de ea re responsurus esset, nesciens, an fortasse primo loco dicturus esset sententiam, ut auctor est *Sueronius Tranquilus in eiusdem Imperatoris Augusti Cæsaris vita cap. 35.* quam cautelam optat *Aymon Rivalius in Historia jur. civilis lib. 3.* ut Regij præfides servarent, in sententiis rogandis, ne forte aliqui sint, qui per imperitiam spectent aliorum sententiam, ut illam sequantur, quod aliquando fieri solet.

Hunc morem servatum in senatu non vidi quam-

quamvis tamen alium similem aliquando Rector  
justitiae meo tempore servabat, ut nempe promissum  
eum juberet senatoribus vota dare, prout senatores  
locum acceperunt in mensa magna (quae illa dicitur,  
ubi Rector justitiae sedet, Ordin. lib. 1. tit. 70.  
§. 1.) absque ordine, & prerogativa antiquitatis,  
ut saepe accidit, & sic eveniebat multoties, ut se-  
niores, & antiquiores in senatu & in officio prius  
vota darent, quam noviores, seu juniores, ut & no-  
tat Afflict. ubi supra, d. n. 7. vers. fuit dictum.

12 Hoc tamen in senatu raro fieri vidi, & non in  
alia mensa, praeterquam in magna, coram Rectore  
senatus, nec nisi quo casu Rector consulit senato-  
res super aliquo casu de stylo senatus, seu super in-  
telligentia alicujus Ordinationis, juxta Ordin. lib. 5.  
titul. 38. §. 1. aut aliquo alio casu non tangente de-  
cisionem alicujus processus. Nam in decisione pro-  
cessus, semper ordo ille observatur, ut juniores  
votare incipiant, & convenit, ut hic ordo semper  
observetur in omnibus casibus, & tam in mensa  
magna, quam in aliis minoribus.

13 Adverte etiam, quod supradicta fallunt, ubi ali-  
quis senator, licet antiquior aliis, est iudex alicujus  
processus, seu ordinarius, seu delegatus; quia  
eo casu is iudex primo loco votum dat. Ord. lib. 1.  
§. 23. ibi (Boivixido feito.) & postea qui novissime  
in senatum, seu in consilium intravit, ita notanter  
advertit Afflict. d. decis. 1. in fin. quod & senatus  
nostrer servat.

14 Senatores autem ad illud summè attendere de-  
bent, ne in senatu tempus consumant in colloquiis  
privatis, sed causas diligenter expedire curent, ut  
jubet Ordin. lib. 1. tit. 1. §. 11. facit text. in cap. in  
loco benedictionis. §. 4. tradit Afflict. in const. Nea-  
politanae, rubrica 45. n. 6. lib. 1. convenit enim hoc  
& brevitati causarum, & gravitati senatorum, quae  
in senatu maxime necessaria est, juxta illud Ovidij  
(si is est) ad Pisonem (Mira subest gravitas inter  
fora.) Gellius noct. atticarum lib. 14. cap. 4. & in  
hoc maxime providendum est per praesidem sena-  
tus: conducit namque hoc plurimum ad brevem  
causarum decisionem.

15 Itidem convenit maximè, ut senatores secretum  
nullum detegant eorum, quae in senatu geruntur;  
tenentur namque hoc servare sub juramento praesti-  
to ab illis in ingressu senatus. Ord. lib. 1. tit. 1. §. 1.  
& lib. 5. titul. 80. §. 9. facit l. 1. §. is qui. D. de falsis.  
Bosius tit. de carcerato fideiussor. commit. num. 30.

DECISIO VII.

De senatorum votis ad concordiam re-  
ducendis.

S U M M Æ.

1. Quomodo vota senatorum reducantur ad concordiam,  
in causis criminalibus, remissive.

2. Quomodo vota senatorum reducantur ad concordiam,  
in causa civili, ex remedio l. 2. C. de rescin. vend.

3. In majori summa, minor continetur. Ibidem.  
Iudices discordantes in summis, in minore con-  
sentire videntur.

4. Resolutio decisionis, & ratio illius.

5. Intelligitur Novella Regni l. 19. tit. 5. p. 1.  
6. Intelliguntur l. inter pares, & l. diem proferre, §.  
si plures D. de arbitris.

Circa hanc reductionem in causis criminalibus  
habemus Novellam regni p. 1. tit. 5. l. 19. Si  
enim tres sunt concordēs in condemnatione, & duo  
in absolutione, licet tres discrepent in modo con-  
demnationis, seu in tempore exilij, condemnatio  
reducitur ad minorem; quod etiam, quando fuerint  
sex, intelligendum est; per l. enim Dominicanam  
§. 14. quando causa criminalis est hujusmodi, ut  
pœna mortis imponenda sit, sex senatores in expe-  
ditione processus requiruntur; quae tamen lex do-  
minica à jure communi discrepare videtur, ut hoc  
obiter dicam, notatur ad cap. 1. de arbitr. numero  
namque impares esse debebant.

In causa tamen quadam civili, dubium fuit in fa-  
cti contingentia, in reducendis votis senatorum ad  
concordiam, circa decernendam justam pensionem  
in casu l. 2. C. de rescindenda vendit. nam unus ex  
senatoribus dicebat, centum & viginti esse justam  
pensionem, alius centum quinquaginta, alius cen-  
tum quadraginta, alius ducenta. Quærebatur, utrum  
hi senatores, qui erant in revocatione sententiæ, es-  
sent reducendi ad minorem summam, cum in ma-  
jori summa minor contineatur, l. 1. §. si stipulanti D.  
de verb. oblig. l. 3. §. si plusquam D. de statu lib. & ita  
in summa illa (de cento & quarenta, & de cento &  
singulenta) inest summa alia; (ide cento & vint.)

Et ita videbatur, quod essent reducenda vota illa  
senatorum ad minorem summam tam ex d. Novella  
supra allegata, tum etiam ex l. inter pares. D. de re  
jud. & ex l. diem proferre §. si plures D. de arbitris;  
quibus juribus probatur, iudices discordantes in  
summis, in minorem consentire videri, hisce ver-  
bis, (inde quæritur apud Iulianum, si ex tribus  
arbitris, unus quindecim, alius decem, tertius quin-  
que condemnent, qua sententia stetur, & Iulianus  
scribit, quinque debere præstari, quia in hanc sum-  
mam omnes concesserunt.) Idem Iuliano placuit  
in d. l. inter pares (ibi, diversos summis condemnent ju-  
dices, minimam spectandam esse, Iulianus scribit) idem  
probat text. in cap. 1. de arbitris lib. 6. & ibi notant  
scribentes, Covarr. qui alios refert, variarum resolut.  
lib. 1. cap. 2. n. 6.

In præsentī tamen casu, aliud senatoribus pla-  
cuit, ea ratione, quia in causis civilibus jubet l. no-  
stra regia discurre per omnes senatores, qui grava-  
minum expeditores dicuntur, donec tres concor-  
dent. Ordin. lib. 1. tit. 4. §. 1. Novella regni part. 1.  
tit. 5. l. 8.

Nec obstat d. Extravagans p. 1. tit. 5. l. 19. quia  
loquitur in causis criminalibus, in quibus discordan-  
tibus votis circa summam pœnæ, limitat iudicium  
numerum, & jubet ad concordiam reduci, modo,  
& forma superius dicta, ne sequeretur absurdum,  
ut si duo essent in absolutione, & tres in varij exilij  
condemnatione, sequentes fortasse capitaliter dam-  
narent, cum super capite, id est, mortis absolutione,  
esset reo jam quæsitum jus.

Non etiam obstat d. l. inter pares, & §. si plures, d. l. 6.  
diem proferre, quia loquuntur in iudiciis arbitris,  
qui non poterant esse plures, nec pauciores. Nos  
autem loquimur, ubi plures sunt senatores expe-  
ditores



ditores gravaminum, per quos discurre debet processus, donec tres conveniant, vel duo, vel plures, prout opus fuerit, & qualitas negotij postulaverit. l. 8. tit. 1. parte 1. extrav. & ita decretum fuit in senatu quod notandum maxime est, quotidie namque in facto accidere.

## DECISIO VIII.

## De salariis senatorum.

## SUMMÆ.

1. Rector iustitiæ senatus supplicationis, senatoribus ejusdem senatus salaria persolvere jubet.
2. Salarium senatoribus constitutum, & illis debitum, quoniam tempore sit solvendum?
3. Officiali, cui committitur officium pro certo ac definito tempore, salarium integrum debet illi solvi in principio temporis: quod etiam procedit in Rectoribus terrarum.
4. Idem dicendum est, in legatis Reipublicæ ad Principem missis.
5. Si salarium solvatur tantum pro labore, ut laboris merces, tunc debetur in fine temporis.
6. Si salarium solvatur partim pro labore & opere, partim pro expensis, tunc solvendum est in fine temporis, seu pro rata operarum.
7. Hoc tamen applicari non potest ad Præsides provinciarum, quos Correctores dicimus, seu ad iudices civitatum, & oppidorum.
8. Certum salarium annuum, quod præsidibus debetur per quatuor vices & solutiones illis solvitur, quas vulgò vocamus (quarteris.)
9. Solutiones anticipata facta iudicibus, si moriantur, antequam adimpletum sit totum tempus, utrum ab eis repeti possint?
10. Si potestas alicujus civitatis decedat, nondum officij tempore præfinito, ipsi, aut ejus heredi debetur integrum salarium. ibidem.
10. Officialis, qui incepit servire pro certo, ac limitato tempore, si ante illud finitum decedat, an consequatur totius residui temporis salarium?
11. Hujusmodi Officiales censentur locare operas suas.
12. Vbicumque suscipitur officium, interveniente bona mercede, contrahitur locatio. ibidem.
12. Qui locat operas pro aliquo tempore, totius temporis mercedem accipere debet, licet eas non præstiterit, dum tamen per eum non steterit, quominus eas præstet.
13. Advocatus, qui locavit operas, pro agenda causa intra certum tempus, si moriatur, consequitur residui temporis salarium, & illud restituere non tenetur si in principio recipiat. ibidem.
13. Si unus, ex duobus fisci patronis decedebat inchoato anno, vel nondum finito, totius temporis salarium transmittit ad heredes.
14. Idem erat, si aliquis Agentium in rebus decedebat ante annum finitum.
15. Idem observabatur in Proximo factorum scriniorum.
16. Idem etiam in Domesticis statutum erat. Domesticorum privilegium erat, quod etiam sequentis anni stipendium illis concedebatur. ibid.
17. Idem in comitibus legati observandum est, eo defuncto, ante tempus legationis elapsam. Secus erit, si cum aliis legatis, eodem tempore inservierint, vel si legatus removeatur, & detur illi successor. ibidem. Hoc in personis specialibus statutum, habet vim regule generalis. ibidem.
18. Responsio ad questionem principalem.
19. Quando unica salarij quantitas præstanda est pro toto anno, aut biennio, sine ulla mensium, aut temporis distinctione, tunc totum ipsum salarium debetur.
20. Si magistratus decebat, incepto quarterio, totius quarterij mercedem, ac si viveret, consequitur.
21. Idem in senatoribus erat dicendum, qui sine præfinitione temporis serviunt in senatu, & solvitur illis salarium singulis tribus mensibus.
22. Contrarium tamen apud nos servatur, cujus ratio hic ponitur.
23. Rex aliquoties concedit heredibus defuncti senatoris, ut salarium totius quarterij habeant, licet defunctus moriatur in principio quarterij. Idem dicendum in salario totius anni, (si ejus erat qualitatis, ut in anno solvatur) si medio tempore moriatur. ibidem.
24. Responsio ad l. si uno. §. cum quidam D. locati. Non tenetur ad interesse, qui culpam non commisit. ibidem.
25. Responsio ad l. his scholaribus, & ad l. pen. §. fin. Cod. de erog. milit. annon. lib. 12. Advocatus militi comparatur. ibidem.
26. Responsio ad l. I. C. de Præpilo. lib. 12. Responsio ad l. si militem. C. de condict. ob causam, & ad l. Advocationis C. eodem.
27. Responsio ad l. Petitionem. §. autem. C. de advocat. divers. jud.
28. An officialis, qui paravit se ad officium inchoandum, illud tamen non est ingressus, salarium menstruum aut annuum transmittat ad heredes.
29. Officialis, qui paravit se ad officium inchoandum, regulariter salarium transmittit.
30. Senatori agroti salarium debetur, quod tamen non procedit in famulo agroti. Senatori absentis, de licentia Regis, vel præfecti pratorio, salarium debetur. ibidem. Absens cum licentia, quoad hoc, pro præsentis habetur. ibidem. Famulo absentis sine licentia domini, salarium non debetur. ibidem.
31. Salarium officij senatoris, & cujusque alterius officialis, numquam incipit deberi, nisi a die capta possessionis, non autem a die data. In annis civilibus vulgò (tenças) à tempore gratia facta solvuntur. ibidem. Beneficium principis quam plenissime interpretatur. ibidem.
32. In salariis senatorum non potest fieri seysina, seu arrestum. Arrestum fieri, quid sit. ibidem. Sequesterium, seu sequestratio differt ab arresto. ibidem.
33. Salaria præsidibus provinciarum (qui corretores vocantur) expensis Regis solvuntur. De bonis conciliorum apud nos solvuntur Apentadoria. ibidem.

34. *Officialis qui culpa sua ab officio remouetur, pro aliquo tempore, perdit salarium illius temporis. Hoc ita iudicatum fuit anno 1584. & etiam locum habet, licet officialis per sententiam ab solvatur.*  
*Officialis pro tempore quo syndicatur, salarium habere debet, dum officium vacat, & ita apud nos ex stylo seruat. ibidem.*
35. *Ex supra dictis declarari possunt nonnullae leges Regni Castella.*

- P**er legem regiam lib. 1. tit. 1. §. 34. dispositum extat, ut Rector iustitiæ senatus supplicationis, senatoribus ejusdem senatus salaria persolvere jubeat.
2. Petit igitur locus is, ut illam quæstionem tractemus, quonam scilicet tempore, senatoribus salarium illis constitutum, & debitum, solvendum sit? vidimus namque super hoc maximum dubium.
3. Et in primis Bart. & post eum Alex. num. 4. in l. diem functo. D. de officio assessorum, agens de officiali, cui committitur officium, pro certo, ac definito tempore, puta unius anni, vel biennij, existimat, quod salarium integrum debet illi solvi in principio temporis: idque quando solvitur ei non solum pro suo labore, ut merces, sed etiam quando solvitur pro expensis totius familiæ, unde infert, quod ea ratione, debet solvi Rectoribus terrarum in initio gerendi officij, pro toto tempore, in quo Alex. ubi supr. sequitur Baldum, & Paul. ibidem.
4. Idem dicendum est in legatis Republicæ, ad Principem missis, quia salarium debet illis confestim in initio solvi, quia non tam pro labore solvitur, quam etiam pro sumptibus faciendis, juxta officij qualitatem, ac decentiam, per l. legatus antequam §. si quis D. de leg. ita Alexand. ubi supra num. 5. qui alia jura citat, & videndus est D. Barbola in leg. de divisione num. 6. D. solut. matrimonio.
5. Si autem salarium solvitur tantum pro labore, tamquam laboris merces, tunc debetur in fine temporis, argum. l. si à colono D. de fidejuss. & l. si servus communis Mevij. §. fin. D. de stipul. servor. & ideo infert idem Alexand. d. num. 4. quod assessorii solvitur in fine, quia debetur illi salarium tantum pro labore.
6. Si verò salarium debetur partim pro opere & labore, partim pro impensis, ut est pecunia, quæ datur præfidi & ejus officialibus: tunc videtur, quod sit solvendum in fine, sive pro rata operarum, secundum Alex. ibi numer. 5. ad finem. Quamvis in vers. tamen, & numer. 5. teneat, quod in principio dixerat, & numer. 7. intelligit hoc non solum in dictis præfidibus, & eorum officialibus, sed etiam in advocatis.
7. Hoc tamen applicari non potest ad præfides provinciarum, quos Correctores vocamus, seu ad judices civitatum, & oppidorum à Rege missos, quos vocamus *juizes de fora*, nec ad senatores, his namque certum salarium apud nos constitutum à Rege est, & quasi ex conventionem. l. 1. §. si convenierit. D. depositi. ad quam semper attenditur, Bart. in d. l. diem functo. num. 1. in principio. Quamvis prædicti præfides provinciarum, & judices, pro certo tempore, & illo limitato, mittantur: & constitutum etiam est, ut prædictum salarium annuum illis sol-

vatur, fiantque solutiones quatuor vicibus in anno, & dicuntur hæ vices apud nos quarteis, & in fine uniuscujusque quarterij, id est, in fine trium mensium, quamvis aliquando ad supportandos sumptus, eis fiant aliquæ solutiones anticipatæ, id est, in principio quarterij.

Dubitari igitur contigit, si aliquis ex his moriatur, postquam inceperit fungi officio, antequam tamen adimpleverit totum tempus, ratione cujus ei anticipatæ solutiones factæ fuerunt, an poterunt ab eis repeti, cum tempus non compleverint.

Et dici potest, quod non, ex text. notab. in l. 1. §. 9. divus. ubi Bart. D. de var. & extraordinar. cognit. qui text. loquitur, quando agitur de repetitione salarij, secundum Fulgos. relatum ab Alexand. in d. l. diem functo. num. 15. quamvis Alexander ibi reprobet istum intellectum ad d. §. divus, & ex superius dictis inferunt etiam, quod si potestas civitatis aliquis decedit, nondum finito tempore officij, debetur ipsi, aut ejus heredi integrum salarium, ac si toto tempore servierit, quia non stetit per eum, quo minus ad finem temporis operas suas præstitisset, & munus suum explevisset, ut in advocato probat d. §. divus, per quem hoc tenet Bartol. in l. diem functo. in principio. & Alexand. ibi num. 13. qui & pro hac opinione allegat l. matriculam. C. de agent. in reb. l. si quis in sacris. Cod. de prox. sacror. l. 1. C. de primipilo lib. 12. & allegat etiam Bart. Ang. Salic. & alios idem tenentes, respondetque ad contraria, ut apud eum videre licet. Contrarium tamen tenuit Bertrandus de monte Faventino, Jacobus Buttrigarius, Rycardus, Salicetus, & Fulgos. in d. l. diem functo. relati ibi ab Alexand. d. numer. 13. qui alios etiam refert, & eorum fundamenta, pro quibus facit l. partita 2. gloss. 1. part. 3. fol. 19.

Tu verò in hac quæstione, utrum scilicet officialis, qui inceperit servire, pro certo, ac limitato tempore, si ante illud finitum decedat, an consequatur totius residui temporis salarium, & illud ad heredes transmittat? sic resolve.

Quod tales officiales censentur locare operas suas, ut probatur in l. diem functo. D. locati. d. l. 1. §. divus. & tenent omnes Doctores post gloss. in d. l. diem functo. ubi loquitur de legato, & præfide, & eorum comitibus, & assessoribus, & facit, quod, ubicumque suscipitur officium interveniente mercede, contrahitur locatio, & conductio, §. ult. instit. de locato.

Hoc præmissis, Regula est, quod qui locat operas pro aliquo tempore, totius temporis mercedem accipere debet, licet eas non præstiterit, dum tamen per eum non steterit, quominus eas præstaret, tex. est magistralis in l. qui operas. D. locat. Capic. decisio 125. Hinc est, quod advocatus qui locavit operas pro agenda causa intra certum tempus, si ante moriatur consequetur residui temporis salarium: & si illud in principio recipiat, non restituet postea, sed ad heredes suos transmittet, dict. leg. qui operas. in fin. & leg. 1. §. divus. D. de variis & extraordinar. cognit.

Hinc etiam fit, quod si unus ex duobus fisci patronis, qui singulis annis eligebantur, l. binos. C. de advocat. diversor. jud. decedebat inchoato tempore,

pore, nondum tamen finito, totius anni salarium transmittit ad heredes. *l. post duos. C. eodem tit. Cui non adversatur text. in l. petitionem. §. quando autem. C. eodem*, quia respondetur, ut inferius habes, & tunc fortè in ejus locum interim alius non sufficiebatur, sed Collega usque ad finem anni solus serviebat, arg. text. *in d. l. matriculam. ad finem.*

14 Hinc etiam est, quòd Agentium in rebus aliquis, qui quotannis eligebantur, intra certum numerum, si quis ante annum finitum decedebat, totius anni stipendium ad heredes transmittit, *d. l. matriculam. Cod. de agentib. in rebus. lib. 12.*

15 Hinc etiam est, quòd idem servatur in proximo sacrorum scriniorum, per text. *in l. si quis in sacris. Cod. de proximo sacror. scriniorum. lib. 12. ibi, ante completum, & ibi, residui temporis.*

16 Idem etiam in Domesticis statuitur *in l. fin. C. de domestic. lib. 12. ibi, de illo anno*, ubi tamen speciale videtur privilegium, quatenus etiam alterius anni sequentis stipendium concedit heredibus domesticis defuncti, ut ibi per glossam, quæ hoc dicit esse mirabile.

17 Hinc etiam comites legati, eo defuncto ante tempus legationis, consequuntur totius residui temporis salarium. *d. l. diem functo, in primo responso*: nisi eodem tempore cum aliis legatis servierint, vel nisi legatus non decedat, sed removeatur, & detur illi successor, cum quo ipsi possint servire, quia tunc tenentur servire, aliàs pro rata tantum temporis accipient mercedem, ita probat text. *in d. l. diem functo*, ubi Bart. & alij, quos citat & sequitur Alex. *ibi nu. 13. & sequentibus. Capi. d. dec. 125. num. 4.* & quamvis dicta jura loquantur in personis speciatim nominatis, non ideo videntur speciale jus constituere, sed potius habent vim generalis constitutionis, ut probat Alex. *in d. l. diem functo. num. 15.*

18 Ex quibus infertur responsio ad quæstionem principalem, nam si princeps alicui committat officium, pro certo tempore, anno scilicet, vel biennio, aut triennio, vel longiori, & is post inchoatum officium decedat, si merces pro quolibet anno sit constituta, totius anni consequetur mercedem, & illam ad heredes transmittet. Quòd si singulis mensibus constituta sit merces, totius inchoati mensis debebitur, in quo officialis decesserit.

19 Si autem unica erat salarii quantitas, pro toto anno, vel biennio præstanda, sine ulla mensium, aut temporis distinctione, tunc totum ipsum salarium debebitur, ut post Bart. & Salicet. tenet Alex. *in d. l. diem functo. num. 21. ad fin.*

20 Ex quibus infertur ad nostros Præsides provinciarum, quos Correctores, sive Corregedores vocamus, & ad iudices forenses, sive de fora, & ad alios similes magistratus, quos Rex noster mittit ad regendas civitates, oppida, & provincias regni, per tempus trium annorum, ut regulare est, constituta illis certa mercede, solvenda illis per Officiales ipsius regni, quos quæstores dicimus uniuscujusque provinciæ, singulis tribus mensibus, seu per quarteria; nam si magistratus decedat incepto quarterio, totius quarterij mercedem, ac si viveret, consequetur, idque attento jure communi, ex juri- bus superius citatis, & similiter ad heredes transmittet.

Infertur etiam, idem in senatoribus dicendum fore, qui sine præfinitione temporis, serviunt in senatu, & solvitur illis salarium singulis tribus mensibus.

22 Quamvis tamen apud nos contrarium servetur; si enim senatores, seu alij magistratus, post inchoatum quarterium moriantur, pro rata tantum temporis, quod servierunt, mercedem consequuntur, & non amplius: hoc enim ideo contra regulas juris communis fieri puto, propter tacitam conventionem, quam prædicti senatores, & magistratus cum Rege facere censentur, regula namque illa text. *in d. l. qui operas, & similia*, fallit, nisi aliud conventum sit, Bart. *in d. l. diem functo, in principio*, & cum ita consuetudo regni se habeat, secundum illam contrahere cum Rege magistratus videntur, *l. quod si nolit. §. quia assidua. D. de edilit. edit. l. semper in stipulationibus. D. de reg. jur. l. excepto. C. locati.*

Vidi tamen meo tempore non semel concessum à Rege heredibus defuncti senatoris, ut salarium totius quarterij haberent, licet defunctus moriatur in initio quarterij, & idem in totius anni salario, si moriatur in medio anni, & salarium ejus fuerit qualitatis, ut in anno solveretur; quod quidem merito, atque optimo jure fit.

24 Non obstat regulæ illi priori, quam de jure communi veriores diximus, *l. si uno. §. item cum quidam. D. locat.* quia ibi non solum locata sunt operæ, sed simul etiam locata est res, id est, navis & quia amissa navi, per casum, illam non potuit præstare, ideo restituit mercedem, quam acceperat; sed quia culpa sua non amisit, ideo non tenetur ad interesse, ut optime docuit gloss. *fin. ibi in vers. cum autem quis.* & ita verba illa de navi amissa, intelligo, sine culpa locatoris, prout gloss. & alij Doctores intelligunt: nos autem loquimur in locatore, qui certo tempore locavit operas, & non stetit per eum quominus præstaret, quia nec culpa, aut mora sua fuit impeditus, sed casu fortuito in sua persona contingente, ut *in d. l. qui operas. & in juribus similibus superius allegatis*, & vide text. *in d. l. si uno. §. item cum quidam. Lusitanum Vazium, consultat. 65. num. 6. tom. 1.*

25 Non etiam obstat text. *in l. his scholasticis, & in l. penul. §. fin. in fin. C. de erogar. militar. annon. lib. 12.* quatenus probat, quod stipendium militis defuncti debetur heredibus pro rata temporis tantum: Quia respondetur, text. loqui de militibus, qui ad nullum certum tempus locabant operas, nisi fortè in singulos dies: quòd si in singulos menses locarent, ita ut in fine cujusque mensis solveretur illis stipendium (ut hodie) certe dicerem, quòd miles decedens inchoato mense, etiam residui temporis ipsius mensis transmittet mercedem ad heredes suos: & ita accipiendum puto, quòd illi text. dicunt, transmitti ad heredes defuncto militi debitum stipendium: debitum, inquam, jure communi, ex reg. text. *in d. l. qui operas. & d. §. divus*, qui loquitur in advocato, qui militi comparatur, *l. advocati. C. de advocat. divers. jud.* Sic etiam respondetur ad *l. 1. Cod. de primipil. lib. 12. ibi, quæ ea percipere debuit.*

26 Non obstat etiam *l. si militem. C. de condict. ob causam*, quia loquitur in locatore culpa sua prohibito, nempe in milite, qui à lege prohibetur suscipere mandatum, & id sciens nihilominus illud suscepit: quo etiam modo respondetur ad *l. advocatio- nis. C. eod.*

27 Non obstat etiam *l. petitionem, §. quando autem. C. de advocat. divers. judiciorum*, quia loquitur in patrono fisci in civitate Alexandrina constituto, qui unus tantum erat, & eo mortuo statim in ejus locum alius substituebatur, ut probat ille text. *ibi, sequentem sine ulla dilatione in ejus locum subrogari* & is subrogatus salarium residui temporis percipiebat, & juxta hanc legem, & tacitam conventionem suscipiebat illud officium, ideoque residui temporis salarium ad heredes defuncti patroni non pertinebat, secus esset, si alius non subrogaretur, ut in *l. post duos. C. eodem. & in l. matriculam, ibi, qua de causa. Cod. de agentib. in reb. lib. 12.*

28 Ex his etiam deducere poteris, quid dicendum, ubi officialis paravit se ad officium inchoandum, illud tamen non est ingressus, an salarium mensuum, aut annuum, quod illi assignatum est, transmittat, pro illo mense vel anno, in quo moritur.

29 Et est dicendum, non transmittere regulariter, secundum Romanum in *d. l. diem functo*, quem sequitur Alexand. nu. 22. ubi allegat Bald. in *cap. 1. in fin. quis dicatur dux*, ubi dicit, quod si non incepit gerere, ut quia deceffit in itinere, nihil transmittit. Imol. in *cap. propter, num. 13. de locat.* Idem tenet Alexand. ubi supra, num. 25. per *d. l. post duos ibi, gerere ceperit*, & subdit concordare opinionem Bart. cum Bald. sed Bart. hoc limitat, nisi per alium ingressus fuisset officium in casu, quo liceret de jure per alium ingredi, & servire, & sequitur Alex. num. 24. & 25. quod mihi magis placet, multum tamen facit ad declarationem supradictorum decisio text. notabilis in *l. si pecuniam, in principio D. de condictione ob causam*, ubi dicitur, quod si officialis tantum vel plus impendit, dum se paravit ad proficiscendum, nihil refundet, si minus, tunc quod plus accepit, restituet. qui text. facit pro opinione Bald. Imol. Rom. & Alexand.

30 Senatori ægroto salarium debetur, Ord. lib. 1. tit. 1. §. 35. quod perquam justum est. Rom. singul. 448. licet famulo ægroto salarium non debeatur, Abb. & Doctores in *cap. 1. de cler. ægrot.* Vivius communium opinio. lib. 2. opin. 108.

Senatori absentis de licentia Regis, seu præfecti prætorio, salarium debetur, *d. §. 35. ad fin.* Rebuff. ad *ll. Gallie. tom. 3. tit. de Inquisitionibus, fol. 373.* Sforzia Oddo. tract. de integritate restitut. pag. 1. quæst. 27. art. 3. per totum, & numer. 27. absens enim cum licentia, pro præsentis habetur. Rebuff. ubi supra, quamvis famulus qui non servivit aliquo tempore, & absuit sine licentia domini, pro illo tempore salarium habere non debeat. *l. si uno, §. Item cum quidam, D. locat.* ubi gloss. *l. Seio*, & ibi Bart. *D. de annuis leg. DD. in d. l. diem functo, Capic. dec. 115.*

31 Illud nota, quod apud nos salarium officij senatoris, & alterius officialis, numquam incipit deberi, nisi à die captæ possessionis, non à die datæ, quæ portaria dicitur, & hæc est consuetudo. Quamvis

ex liberalitate Regia, aliquando vidimus contrarium factum. In annonis verò civilibus, quas *tenças* vocamus, datis à Rege ob servitia, invaluit optima consuetudo, ut à tempore gratiæ factæ solvantur, ut ita beneficium Principis largius interpretetur. *l. beneficium. D. de constit. Principum*: quamvis etiam super hoc novissimum Regis decretum latum esse audivimus.

Nota etiam, quod in salariis senatorum, non potest fieri *seysina*, seu arrestum, quod nos dicimus, *embargo*. Ord. d. tit. 1. §. 34. Abb. in *cap. pervenit numer. 11. de fidejuss.* & de his arrestis est tex. optimus in *l. mulier*, ubi Bart. *D. de leg. commif. Guid. decis. 340.* & tunc dicitur arrestum fieri, quando judex arrestavit debitum mihi, in manibus mei debitoris ad petitionem alterius, cui ego debebam: quod nota. Nam sequestrum, seu sequestratio aliud est, ut videbis apud Corraf. *Miscelan. lib. 3. cap. 2.* ubi latè.

Adde quidem, quod apud nos merito servatur, ut præsides provinciarum (quos Correctores vocamus, seu *Corregedores*) qui jurisperiti sunt, salaria habeant expensis Regis, & non conciliorum seu ex redditibus communibus Reipublicæ, quæ consuetudo nostra juri communi conformis est, ut per Avend. *de exequend. mandatis lib. 1. cap. 2. numer. 7. & lib. 2. cap. 10. num. 3.* qui contrariam Regni Castellæ consuetudinem non approbat, ex *l. 7. tit. 16. lib. 2. Ord. illius Regni*. Non tamen de bonis conciliorum, præsidibus, & judicibus oppidorum, seu civitatum, solvuntur aposentadoriæ (ut verbis nostris utar) quod videbis in *extravag. 1. part. tit. 18. lib. 3.*

Ultimò, pro complemento materiæ nota, quod officialis, qui ab officio removetur, culpa sua, pro aliquo tempore, perdit salarium illius temporis, *d. l. diem functo. vers. diversum*, ubi notat Bart. Ias. & alij, latè Claud. nu. 15. Doctores in *l. 1. c. de re militar. lib. 12. Capic. dec. 125.* Navar. *conf. 9. lib. 5. tit. de clericis non residentibus*: & ita judicatum fuit anno 1584. quod officialis propter culpam suspensus ab officio, etiam si postea absolvatur per sententiam, non lucratur salarium illius temporis, quo suspensus fuit, in processu Ferdinandi Nunes da Costa, scriba Ferdinando Lopez.

Pro tempore autem syndicatus, officialis salarium habere debet, Bart. *l. 2. D. de variis, & extraordinariis cognit.* & sic apud nos servatur, dum tamen officium vacet, postquam namque provisum est, salarium solvitur proviso, pro illo tempore, & non illi, qui syndicatus fuit, & dummodo syndicatus redde se in officio gesserit, & hic est stylus.

Ex quibus declarabis leges Regni Castellæ. *1. tit. 15. lib. 9. & lib. 1. & 6. & 7. tit. 5. & l. 3. nova Recop.*

## DECISIO IX.

De expeditoribus causarum gravaminū.

### S U M M Æ.

1. Expeditores causarum gravaminum, antiquitus fuerunt numero septem, postea octo, nunc verò decem constituti sunt.

Senat-

- Senatores gravaminum sunt supremi iudices in causis iustitiæ, & illustres dicuntur. *ibidem*.  
Ad officium senatorum gravaminum spectat concedere auxilium brachij secularis iudicibus Ecclesiasticis. *ibidem*.
2. Quomodo declaratum, & additum sit hoc, vide novellam Regni hic allegatam.
  3. Iudex Ecclesiasticus tam ordinarius, quam delegatus potest requirere auxilium brachij secularis à iudice laico.
  4. Licet de nullitate sententiæ iudicis Ecclesiastici opponatur, conceditur auxilium brachij secularis, & exceptiones ad iudicem Ecclesiasticum remittuntur. & num. 5.
  6. Exceptiones de incompetenti iudicis Ecclesiastici, etiam in hoc casu, sunt admittendæ.
  7. Forma procedendi, quæ servari debet, quando conceditur auxilium brachij secularis, & tenor sententiæ inseritur. num. 8. & n. 9.
  10. Ille, in cuius favorem requiritur auxilium brachij secularis, senatoribus supplicationem, suo nomine, præsentat, & cum illo solet continuari processus, licet ab ipso iudice Ecclesiastico requiratur prædictum auxilium brachij secularis.
- I** antiquitus in minori numero erant, aliquando namque fuerunt septem, ut per *Gamm. decis. 1. num. 10.* meo tempore octo, postea decem, ut nunc sunt, causa mutationis senatus civilium causarum ad civitatem Portugalem. Et cognoscunt etiam de appellationibus districti assignati senatui supplicationis. Sunt autem hi senatores gravaminum supremi in causis iustitiæ, & illustres vocantur, *Grammat. dec. 76. num. 34.* & inter alia, quæ ad eorum officium spectant, ut in *Ord. lib. 1. tit. 4.* concedunt auxilium brachij secularis iudicibus Ecclesiasticis pro executione suarum sententiarum, & mandatorum, *d. Ord. tit. 4. §. 7.*
2. Quod declaratum, & additum est, per novellam regni, *p. 2. tit. 2. l. 1. & 13.* & est *l. 15. tit. 1. lib. 4. nova recopilationis regni Castellæ.* & circa materiam videnda est gloss. & *Doctores in cap. 1. de off. ordinarij. gloss. in l. Episcopale, C. de Episcop. audient. Oldrad. cons. 89. Bart. in l. divus, num. 3. D. de custodia reorum, & in l. magistratus, D. de iurisdictione omnium iudicum, & in l. 1. in principio, num. 8. D. si quis jus dicenti, Felin. in cap. cum sit, num. 8. de for. comp. Robert. Marant. disput. 1. num. 26. Aviles in lib. pratorum, cap. 2. in verbo (vintaran) num. 11. Menoch. de arbitrar. jud. caus. lib. 2. cent. 5. casu 442. & in tract. retinenda possess. remedio 3. num. 359. post Navarr. quem allegat in c. cum contingat, pag. 156. de rescript. Hispanice impressionis.*
  3. Requirit autem auxilium hoc brachij secularis à iudice laico iudex Ecclesiasticus, tam ordinarius, *cap. 1. de officio iud. ordin.* ubi *Doctores*, quam delegatus, *Ioann. Andr. & Doctores in cap. significasti, de officio delegat. Felin. in c. dilecto, in principio, de majoritate, & obedient. & in cap. dilecto, junct. a gloss. 2. de sententia excommunicat. lib. 6. Staphileus, de litteris iustitiæ, fol. 290. in parva impressione. Martin. de Fano in tractatu speciali super hoc edito volum. 11. tract. p. 2.*
  4. Quod si de nullitate sententiæ iudicis Ecclesiastici opponatur, vidi nihilominus concessum præ-

Cabedo Pars I.

dictum auxilium, in senatu nostro, & remissas exceptiones nullitatis ad iudicem Ecclesiasticum, ut de illis cognosceret, in causa quadam pendente in curia Romana, anno 1592. Quod tamen non caret dubio, ex traditis per *Ioan. Andream in cap. 1. de off. ordinarij, & in cap. cum in iure, de off. deleg. Anton. in cap. tuum, in fin. de ord. cogn. Affliet. dec. 220. nu. 9. Anchar. consil. 382.* ubi dicunt, quod iudex secularis non tenetur sententiam nullam, & injustam adimplere; immo denegare auxilium brachij secularis, quando in promptu constat de nullitate sententiæ, idem dicit *Felin. in cap. cum sit, num. 8. de for. competent. & in cap. 1. num. 22. de iurejurand. post Bart. in d. l. divus, Affliet. lib. 1. de constit. rubr. 67. §. 1. num. 6. Roland. cons. 37. num. 17. lib. 1.*

Senatus tamen noster, illo casu, non admisit exceptiones, quod tutius est, ex traditis per *Abb. in cap. 1. num. 11. versicul. sed si petit, de off. ordinarij.* facit *decis. text. notabilis, in cap. ultim. de exceptionib. lib. 6. Anchar. d. cons. 382.* Quia etiam non constabat de nullitate sententiæ in promptu, quidquid in hoc breviter per transeat *Lusitanus Vaz. consil. 98. num. 12. & sequenti, & consultat. 65. num. 2. tom. 1.* His adde *Ioan. Gutier. in pract. quest. lib. 1. quest. 97.*

Si tamen iudex Ecclesiasticus incompetens est, 6 hoc casu, vidi admittas exceptiones incompetentiæ in senatu nostro, ex traditis per *Menoch. ubi supra, num. 360.* post alios, quos citat, illum vide.

Conceditur prædictum auxilium in senatu, per 7 duos conformes (*em rellação, & não per tençõis*) præsentata autem petitione, sic pronuntiatur:

*Acordão em rellação, & c. que as partes seião citadas, & se aiutem os autos dos procedimentos.*

Postquam acta juncta sunt, fiunt conclusa, ut di- 8 cimus, & datur pronuntiatio, hisce sequentibus verbis:

*Acordão em rellação, & c. que vistos estes autos, & os procedimentos juntos, & a citação das partes, & o mais por ellas allegado, & como se mostra o vigairo de Arcebisado de Braga, ter procedido ordenadamente, & conforme a direito no caso da contenda, com o mais que dos autos cõsta; Concedem ao supplicante ajuda de braço secular, & mandão as justicias destes reinos aque o cõhecimento pertencer prendão ao Reo condemnado. N. & procedão contra elle conforme as Ordenaçõis, & leis dos ditos reinos, & fação co effeito execução pella sentença dada no juizo Ecclesiastico, & condemnão ao dito Reo nas custas.*

Et juxta casus occurrentes, sic forma hujus pronuntiatiõis variari debet: expensæ autem, in quibus reus condemnatur, sunt personales expensæ, seu (*de pessoa*) ut est de stylo.

Illud postremò notandum est, quod quamvis 10 iudex Ecclesiasticus sit, qui requirat hoc auxilium brachij secularis à iudice laico: semper tamen ille in cuius favorem requiritur, solet supplicationem senatoribus præsentare, seu petitionem (ut sic loquar) & cum supplicante solet continuari processus, & omnia acta iudicij, ut vides in forma pronuntiatiõis supra posita, quod nota.

## DECISIO X.

De votis senatorum absentium, & defunctorum.

## SUMMÆ.

1. Processus omnes civilium causarum, qui per senatores gravaminum, ordinario iudicio expediuntur, per vota in scriptis, vulgo (tençõis) expediri debent: in quibus senatores de jure, confirmando suam sententiam allegare debent.
2. Idem observatur, quando eis committitur per Regem, aut senatores palatii nunc, ut informent, sitne processus aliquis dignus, ut revideatur.
3. Rex aliquando concedit, ut processus, qui expediri poterat in mensa, id est, (em rellação) per vota in scriptis expediatur: quod tamen raro fit.
4. Verba Ordinationis, lib. 2. tit. 4. §. 8. ponuntur.
5. Prædicta Ordinationis, qua fit ratio, traditur. Longa absentia morti æquiparatur. ibidem. Absentia hæc, etiam intelligitur, si sit in dominio nostri regni, veluti in India, Brasilia, vel in aliis hujuscemodi locis. ibidem.
6. Ampliata fuit prædicta Ordinatio ad senatores privatos ab officio: secus est in suspensis ad tempus, seu ad beneplacitum Regis, in quibus prædicta Ordinatio non procedit.
7. Virum votum senatoris, qui deliberationem posuit, an processus dignus esset revisione, & cum processus penes secundum existeret, mortuus est, validum sit?
8. Denegatio seu concessio revisionis qua per senatores Palatii fit, non est sententia.
9. Lex Dominica, §. 5. declaratur.
10. In Regno Castella, super hoc, sunt leges à nostris diversæ.
11. Tenor legis, quam Philippus Rex condidit ad declarationem prædictæ Ordinationis.
12. Tenor decreti senatus, circa intellectum prædictæ Ordinationis, in illis verbis (E ira o feito ao outro desembargador do agravo.)

**A**D intellectum eorum, quæ dicenda sunt, sciendum est, quod in nostro Regno processus omnes civilium causarum, qui expediuntur per expeditores gravaminum, ordinario iudicio expediuntur: dicimus, per vota in scriptis (per tençõis) seu per deliberationes, & in prædictis votis allegant senatores de jure, confirmando suam sententiam; de quibus deliberationibus, seu, tençõis, loquitur Ord. lib. 1. tit. 7. §. 6. ad finem, & Extrav. regni, tit. 5. 1. p. 1. 9. & 11. & aliis.

2. Idem observatur in votis senatorum, quando ab eis petitur informatio per Regem, seu senatores palatii, ut dicunt, sitne processus aliquis dignus, ut revideatur, juxta Ord. lib. 3. tit. 78. §. 1. ibi, (enformação per duos letrados) & novellam regni, tit. 4. lib. 1. §. 117. pag. 1. Vaz. consult. 51. numer. 7.

3. Aliquando etiam concedit Rex, ut aliquis processus, qui expediri poterat sine deliberationibus, & in mensa (em rellação) per deliberationes, seu,

tençõis, expediatur: sed hoc raro fit, & semel tantum meo tempore hoc concessum vidi in quodam processu cujusdam causæ arduæ.

Hoc sic præhabito, Ord. lib. 1. tit. 4. §. 8. sic 4 habet:

*E mandamos, que se algum desembargador depois que tever posta sua tenção, se fizar, ou for absente do reino, tal tenção seia, avida por nenhuma, & ira o feito ao outro desembargador do agravo, & esta maneira se tera, em todos os outros feitos, que por quoaesquer outros desembargadores se ouverem de despachar por tençõis.*

De ratione hujus Ordinationis vide text. in l. 5 placuit, C. de pedan. jud. & l. 3. ubi gloss. de offic. præsid. gloss. in cap. ultim. de offic. delegat. Absentiam autem à regno requirit, quæ semper longa esse solet, & morti æquiparatur, l. multa in princip. D. de condit. & demonstrat. Bald. in lib. 5. numer. 18. C. de rei vindicat. & hæc absentia à regno intelligitur, etiam si sit in dominio regni, veluti in India, Brasilia, aut insulis subjectis regno nostro: eo enim quod à regno continente Portugaliz, & Algarbiorum recedit, à regno abesse intelligitur, ad effectum hujus Ordinationis sic decisum vidimus in facti contingentia: hæc enim Ordinatio solum ad longam absentiam respexit, quæ regulariter talis est, cum à regno receditur, etsi sit ad dominia regni, & provinciis illi subjectas, quod si recessus sit ad regnum alterius Regis, tunc extra dubium est.

Hanc Ordinationem ampliavit novella regni 6 p. 1. l. 13. tit. 5. ad senatores privatos ab officio: in suspensis tamen ad tempus, seu ad beneplacitum Regis, hæc Ordinatio non procedit, ex decreto facto in senatu, præsentem me, anno 1585.

Dubium tamen ortum fuit hujusmodi, in facto: 7 Quidam senator deliberationem posuit ad informandum, essetne processus dignus, ut revideretur cum processus esset penes secundum senatorem ad informandum etiam, juxta d. Ord. lib. 3. tit. 78. §. 1. primus ille senator moritur: dubitabatur, an votum valeret? & videbatur non valiturum per hanc Ordinationem (E esta maneira se tera em todos os outros feitos, & c.) Quod corroboratur, quia de stylo servatur, ut senatores palatii cum his votis senatorum, à quibus informationem hanc petunt, semper se conformare soleant, aut in concedenda, aut in deneganda revisione, immo videtur, quod præcisè ad hoc teneantur, ex illis verbis Ordinationis, d. tit. 78. lib. 3. §. 1. ibi, ( & sendo ambos conformes, que he caso pera lhe ser concedida) & quamvis Ordinatio ista non faciat mentionem, quod hæc informatio per deliberationes, seu, tençõis, dari debeat, sic stylus servat, ut per deliberationes detur, qui stylus vicem legis obtinet. Ord. lib. 2. tit. 5. in principio. Cyn. & Bald. in l. 1. qua fit longa consuetudo, & in l. de quibus. D. de legibus. Doctores in cap. ex litteris, de constitut. cap. 2. & in cap. super litteris de rescriptis. Rot. in nov. decis. 11. columna ultima.

Decretum tamen fuit in senatu palatii, ut Ordinatio hæc locum non haberet, nec procederet in his informationibus, quæ dantur in processibus revisionum: quia denegatio, seu concessio revisionis, quæ per dictos senatores palatii fit non est sententia, ut notat Gam. decis. 110. numer. 10.

hæc

hæc autem ordiatio loquitur in votis datis ad sententiam proferendam. Et sic, quod informatio etiam per deliberationem, seu intentionem senatoris mortui valeret, & à fortiori senatoris privati ab officio: quod diligenter nota.

9. Circa hanc materiam habemus etiam legem, quam Dominicanam vocant, §. 5. incipit, *Cada hū dos desembargadores*, quæ loquitur in votis datis in causis criminalibus, in quibus sententia scribitur in memoriali (*lembrança* dicitur) in quodam libro, quæ lex consonat cū hæc Ordinatione, & illam declarat, prout superius scribit; & habebit etiam locum in processibus civilibus, in quibus etiam scribitur sententia in memoriali, juxta *Ordinat. lib. 1. tit. 1. §. 24.* incipit (*Item pera boni despacho*) quod factum vidi in causa quadam gravi, in qua unus iudicum fuit.

10. In regno tamen Castellæ, sunt leges à nostris diversæ, super hoc, in l. 46. & 47. lib. 2. tit. 5. nova *Recopilationis*.

11. Rex tamen noster Philippus primus legem condidit, super votis senatorum absentibus à Regno, quæ est hujusmodi.

*Eu el Rei fago saber aos que este alvara virem, que eu sou informado, que na casa da supplicação se moveo duvidi acerca do entendimento da Ordenação do livro primeiro, tit. 4. §. 8. que diz: que se algum desembargador de pois que tever posta sua tenção, morrer, ou for absente destes reinos do Portugal, a tal tenção seia avida por nulla, & por que poderia soceder ao diante, os desembargadores destes reinos, estando eu fora delles, irem à minha Corte por meu mandado, ou à seus requerimentos, & não parece justa indo a ella negociar o que lhe cumpre, com animo de tornar, averen he de annullar as tenções que tēpostas; principalmente per a dita Ordenação ser feita, em tempo que avia diferente rasão, por estes & por outros respeitoes que me a isso movem, ey por bem, & me praz, que daqui em diante não aia lugar a dita Ordenação quando alguns desembargadores forem ausentes destes reinos na forma asima declarada: notefico asi ao Regedor da casa da supplicação, ao governador da casa do Porta pera que o cumprão & facam compriv, & c. datum 5. die Maij anno 1588.*

Est postremo notandum circa intellectum hujus Ordinationis, in illis verbis (*& irã o feito ao outro desembargador do agravo*), quod decretum vidi anno 1588. in mense Junij in processu quodam, hisce verbis:

12. *Qua annullando se huã sentença, que se deu em favor de huã parte, por atencão de hum desembargador que foi juiz no feito ser ausente do reino, o tal feito não tornasse ao desembargador que servia a distribuição do outro ausente, nem o Regedor o podia commetter, mas que avia de ir directamente ao seguinte da quelle, que tinha posto a derredeira tenção no feito, & que escreveo à sentença: In causa, & processu Ioannis Francisci de Lafeta, cum donna Agnete de Lafeta, super majoratu instituto à Cosmo de Lafeta: scriba Georgio Fernandez Fouto.*

DECISIO XI.

De supplicationibus, quas nostri agravos ordinarios vocant.

S U M M E.

1. Senatores palatii iudices sunt in dubiis ortis inter utrumque senatum, super jurisdictione.

2. Tenor legis data, super jurisdictione presedis senatus Portucalensis.

3. Ratio dubitandi in hac decisione, & quam jurisdictionem habeat senatus Portucalensis.

4. Translatio senatus ad civitatē Portucalensem, nihil aliud fuit, quam mutatio senatus civilium causarum, qui Olyssippone erat, in illam civitatem. Verba proamialia, & narrativa Regis concludenter probant, ibidem.

5. Nulla lex in hoc clare disposuit super his supplicationibus, ad quem senatum supplicandum erat. Jurisdictio senatus civilium causarum, olim erat de triginta millib. numerorum regalium, in bonis immobilibus, & de quadraginta in bonis mobilibus. ibidem.

6. Quando lex antiqua ponit unum casum specialem, lex nova generaliter corrigens, non censetur corrigere casum illum specialem, nec ad illum se extendere.

Lex nova corrigens antiquam, specialiter illam corrigere debet; lex noviter lata intelligi debet secundum legem antiquam. ibidem.

7. Argumentum pro contraria parte.

8. Responsio ad argumentum.

9. Altera responsio ad argumentum, de iudicibus novis (ut vocant) actionum.

10. Intellectus, l. Pracipimus, ad fin. C. de appellation.

11. Lex nova non censetur disponere contra alias leges antiquas, aut jus commune, nisi quando specialiter providet in illo casu.

12. Hic terminus (supplicatio) quoad nostrum institutum, duas habet significationes.

Enumerantur magistratus, a quibus non appellatur, sed supplicatur.

13. Ab aliis magistratibus, exceptis superius positus, appellatur.

14. Quod sit discrimen inter supplicationem ordinariam, & per instrumentum, seu chartam testimoniam.

15. Supplicatio, in multis casibus, habet se ad instar appellationis.

Intra decem dies supplicandum est. ibidem.

16. Ab hoc nomine (supplicatio) senatus supplicationis denominatus fuit.

17. Supplicatio dicitur etiam revisio: & denegatio, seu concessio illius non est sententia; & differt ab alia supplicatione ordinaria in multis.

18. De jure: in eadem causa, semel tantum supplicare licebat, & non bis.

Per subauditos intellectus non est recedendum à regulis juris. ibidem.

19. Quod inconveniens detur, si bis supplicetur in una causa.

20. Decretum senatus Portucalensis super solutione gabella.

21. Quid decretum sit à Rege in presenti dubio.

22. Supplicatio ordinaria quo modo interponatur.

23. Antiquitus in senatu civilium causarum duo solum senatores erant, qui cognoscebant de supplicationibus.

Super iudices olim, quinam essent. ibidem.

**M**eo tempore dubium hoc inter utrumque senatum ortum fuit, & decisum per senatores palatii, qui iudices sunt in dubiis ortis super jurisdictione

ditione inter utrumque senatum, ex Ordin. lib. I. tit. I. §. 50. & lib. I. tit. 29. §. (& quando) tradit in simili Rebuff. ad leges Gallic. tom. I. in tit. de evocationibus, num. 69. quem vide: Injunctumque mihi fuit onus respondendi pro parte senatus supplicationis.

- 2 Dubium tale est: Quo tempore senatus civilium causarum mutatus fuit ad civitatem Portucalensem, lata fuit lex anno 1582. cujus hæc sunt verba in §. 5.

*O Corregedor do civil da dita casa do Porto despachara os feitos de que conhecer, pella ordem que despachão os Corregedores do civil da casa da supplicação, & vera à mesina alcada.*

- 3 Nihil depositum fuit in hoc §. circa supplicationes à sententiis prædictorum prætorum, ad quem senatum supplicandum ab illis esset. Contendebant ergo senatores senatus supplicationis in causis excedentibus jurisdictionem datam prædicto senatui Portucalensi, quæ est de octuaginta milibus nummorum regalium in bonis immobilibus, & in bonis mobilibus centum millibus nummorum regalium nostræ monetæ, supplicandum esse, omisso alio medio, ad senatum supplicationis: in causis vero intra jurisdictionem datam prædicto senatui Portucalensi, supplicandum esse ad senatum Portucalensem, & ibi causas finire debere, idque sequentibus fundamentis.

- 4 Præsupponendo, quod mutatio senatus Portucalensis, nihil illud fuit, quam senatum civilium causarum, qui Olyssipone erat, eundemmet Regem nostrum Philippum bonæ memoriæ transferre in civitatem Portucalensem, ut inquit illa lex supra allegata, in proœmio, illis verbis: *Facio saber, que eu ouve por bem, por justos respeito que a isso me moveram mandar passar desta cidade de Lixboa, para a do Porto, a casa do civil.* Et sic dici potest, quod senatus civilium causarum, qui præteritis temporibus erat Olyssipone, nunc est in civitate Portucalensi. verba namque hæc licet sint proœmia & narrativa, concludenter probant, cum sint Regis, Clem. I. ubi Doct. de probationibus, Paris. conf. 46. numer. 45. lib. 4. facit text. & quæ per illum tradunt scribentes nostri in l. ult. D. de hered. institut.

- 5 Secundò præsupponebatur etiam, quod in nulla regia provisione, illo tempore promulgata super mutatione prædicti senatus causarum civilium, dispositum fuerat aliquid super his supplicationibus clarè, quod cum ita fuerit, ad legem antiquam recurrentum erat, qua provisum erat, & constitutum, quod supplicationes à prætoribus civilium causarum senatus, qui vocabantur (*Corregedores do civil da cidade de Lixboa*) directè, omisso alio medio, ad senatum supplicationis venirent, & ad senatores causarum gravaminum, si causæ, à quibus supplicabatur, excederent jurisdictionem (quam Alcada, vocamus) illi senatui competentem, quæ jurisdictione illo tempore erat de tringinta milibus regalium in bonis immobilibus, & de quadraginta millibus regalium in bonis mobilibus, juxta Ord. lib. I. tit. 31. §. I. ibi (*por que os de mor quantia perzencem à casa de supplicação*) & lib. 3. tit. 77. §. 2. & Extravog. 2. part. l. 3. ubi per legem istam id clarè statutum, & ordinatum fuit.

Quando autem lex antiqua ponit unum casum specialem, lex nova generaliter corrigens non censetur corrigere casum illum specialem, nec ad illum extenditur. gloss. celebris l. sciendum. ubi Bar. D. qui satisfacere cog. Iaf. in l. 1. num. 9. D. solut. matrimonio, Soares in proœmio legum fori, numer. 27. Gomez l. Tauri 9. numer. 10. & ob id inquit Andr. Sycul. conf. 123. colum. 1. volum. 4. inter consil. Alex. quod lex nova corrigens antiquam, specialiter illam corrigere debet; & lex noviter lata intelligi debet secundum legem antiquam. Iaf. in d. l. sciendum, colum. 3. aded ut lex nova per antiquam supplicetur, l. sed & posteriores, juncta gloss. verb. pertinent. D. de legibus. Iaf. in l. bonorum, col. 2. C. bonorum possess. secundum tab. Soar. ubi supra, num. 20. Cum igitur in præsentis casu, in provisione illa, super mutatione senatus civilium causarum, non fuerit specialiter provisum, circa supplicationes has à prætoribus, legi antiquæ standum erat, quæ volebat, ut in causis excedentibus jurisdictionem prædicti senatus, statim directè supplicaretur ad senatum supplicationis, ita Extrav. ubi supra.

Nec obstat argumentum, quod pro contraria parte conficiebatur, nempe, quod in prædicta provisione, in causis agitatis coram giudice bonorum regie coronæ in senatu Portucalensi, & coram giudice actionum novarum, quem vocant (*das ducões novas*) provisum statim fuit, quod si excederent jurisdictionem competentem prædicto senatui, supplicaretur directè ad senatum supplicationis; dicebant ergo, si lex id voluisset in altero casu prætorum, utique id expressisset, l. Præcipimus, D. de appellat.

Respondetur namque, quod in illis duobus casibus, id necessariò exprimentum à legislatore erat, quia illud judicium bonorum regie coronæ noviter creatum fuit in senatu Portucalensi: non enim antea erat in senatu civilium causarum, & solum erat in senatu supplicationis, ab antiquis temporibus. Unde necessum erat, quod daretur ordo super supplicationibus illius judicij bonorum regie coronæ.

Idem dicendum in alio judicio actionum novarum, etsi enim illud in senatu civilium causarum fuerat olim, tamen processus in prædicto senatu & in illo judicio actionum novarum expediebantur per deliberationes, quas, *tenções*, vocamus, nunc vero illa lege ordinatum fuit, ut in senatu in mensa expedirentur (dicimus, *feitos de mesa*) Cumque hoc ita ordinatum noviter fuerit, necessum erat, ut exprimeretur, quomodo à prædictis iudicibus actionum novarum, supplicandum erat.

At judicium hoc prætoris civilium causarum, semper fuit in senatu illo, & eodem ordine processus semper expediti fuerunt: non ergo necessarium erat, alio modo providere, ac provisum fuerat per legem antiquam, siquidem nihil in hoc immutatum erat.

Ad regulam autem l. Præcipimus in fin. C. de appellat. si lex voluisset, expressisset, quæ etiam in contrarium allegabatur. Respondetur, quod non habet locum, quando lex antiqua extat decidens casum à lege nova omiffum, tunc enim antiquæ legi standum est circa illum casum, arg. text. in l. commo disime. D. de libem. & posth. in specie, tradit Burg. Salom.



lōm de pace. in l. 3. Taur. 1. parte, conclus. 1. numer. 74.

Altera ratio, per quam videbatur, quod supplicationes hujusmodi, directè ad senatum supplicationis venire debebant, illa erat. Contrarium namque fuerat introducere novum quid, contra leges hujus regni antiquas, & contra jus commune, quibus casibus numquam lex nova censetur disponere, nisi quando specialiter providet circa illum casum. *l. ut gradatim. D. de munerib. & honorib. l. scire oportet. §. qui non juste. D. de excusat. tutor. tradit Ias. in l. 1. num. 22. D. de legat. 1. Dec. in l. omnia. D. si cert. petatur. Tiraq. in l. si unquam, verb. si absque liberis, n. 37. C. de revocand. donat.* Quod autem fuisset hoc contra leges hujus regni antiquas, fit manifestum ex superius dictis. Quod esset contra jus commune, patebit ex inferius dicendis.

12 Præsupponendo, quod terminus iste (supplicatio) quamvis late pateat, ut per Afflict. *in constit. Neapolit. lib. 1. qu. 10. Rebuff. ad ll. Gallic. tom. 1. tit. de supplicat. in principio. Avendan. tract. de supplicatione.* quod attinet ad institutum nostrum, duas habet potiores significationes: una est, quando de jure non licet appellare ab aliqua sententia Principis, seu senatus, qui ejus vices gerit, vel aliquorum judicum, quibus id à lege, seu à Principe, propter eorum dignitatem, concessum est, tunc enim supplicatur. Sic apud nos fit in sententiis senatus Portucalensis, in causis excedentibus summam jurisdictionis: in sententiis prætorum curialium: prætoris senatus Portucalensis causarum civilium: præsidum civitatis Olyssipponensis (quia hi per *Extravag. 1. p. tit. 1. l. 2.* æquiparati in hoc sunt prætoribus curialibus) judicis causarum Indiæ: Conservatorum Academiae Comibricensis, & Eborensis, ex privilegio regio.

13 Ab aliis autem magistratibus omnibus appellatur, in omnibus causis excedentibus jurisdictionem (quam Alcadam vocamus) illis datam ad senatum unum, vel alterum, juxta districtum, in quo sunt.

14 Hæc supplicatio, quæ fit à iudicibus supra numeratis, supplicatio ordinaria dicitur, seu *agravo ordinario*, ad differentiam gravaminum per instrumentum ab interlocutoriis interpositum, quod nostri vocant, *instrumento da gravo*, seu charta testimonialis, *carta testemum havel*, hisque vocabulis Ordinationes regiæ utuntur passim: vocatur etiam gravamen hoc ordinarium, *supplicação*. *Ord. lib. 1. tit. 3. l. 1. ibi. E estes dous desembargarões todos os feitos, & agravos que a elles vierem por supplicação, que a elles pertencerem.* & hæc est propria hujus nominis appellatio. & facit *Ord. lib. 1. tit. 3. §. 9. ibi, agravo per via ordinaria.*

15 Hæc autem supplicatio in aliquibus casibus, habet se ad instar appellationis, gloss. *in l. unic. verbo, post successione, ad fin. C. de sententiis præfecti prætorio*, ubi Bald. id notat. *num. 2. & Salicet. num. 5. Afflict. decis. 23. Boer. decis. 247. num. 9. ad fin. Guid. decis. 50. Marant. de ordine judic. 6. p. actu. 2. nu. 12. Rebuff. ubi supra num. 8. Chircou. commun. opinion. centur. 8. concl. 8. nu. 76.* licet etiam in multis differant, ut per Marant. *ubi supra*, quem lege.

Hinc fit, quod intra decem dies supplicandum est, ut & intra eisdem decem dies appellatur, *Ord.*

*lib. 3. tit. 77. §. 1. desumpta ex Authent. qua supplicatio, C. de precib. Imper. offer.*

Et ex his supplicationibus ordinariis, de quibus cognoscit senatus supplicationis, nomen sumpsit, ut diximus *decis. 1. & appellata est, casa da supplicação.*

Alia est supplicatio, quæ revisio dicitur, de qua etiam loquitur *Auth. qua supplicatio ibi: nisi sub hac forma. Ord. lib. 3. tit. 78.* Et in hac supplicatur post decem dies, intra duos tamen menses, oblati Principi, seu senatoribus palatii libellis supplicatoriis, d. *Ord. §. 3. declarata per Extravag. 1. 1. tit. 5. part. 3. & tit. 4. part. 1. lib. 1. §. 113. tradit Vaz. consultat. 5. 1. & denegatio, seu concessio hujus revisionis, non est sententia, Gamm. *decis. 110. num. 10. ad finem*; quod ad multa conducit. Differt autem hæc supplicatio, quæ revisio dicitur, ab alia supplicatione ordinaria in multis, ut patet, quia in diversis titulis ponuntur in regis Ordinationibus, tradit *Avendan. in tract. de secunda supplicatione. Rebuff. ubi supra. Vaz. d. consultat. 5. 1.**

Ex his omnibus hæc est vera conclusio: Quod de jure, in eadem causa semel tantum supplicare licebat, & non bis, *l. si quis adversus, Cod. de precib. Imper. offer.* Idque etiam locum habet de jure nostri regni, nulla namque est Ordinatio, quæ concedat duas supplicationes ordinarias (de revisionibus namque alio loco inferius dicemus.) Cum igitur hoc ita sit, nequaquam dici debet, legislatorem nunc voluisse contra jus commune & regium id introducere, immo contra consuetudinem, & stylum regni, cum id non expresserit clarè; nec enim per subauditos intellectus à regulis juris recedere licet, & partibus litigantibus satis consultum erat, cum supplicare poterant ad senatum supplicationis directè, & omisso alio medio, in causis excedentibus jurisdictionem senatus Portucalensis, immo contrarium facere, est litigantes morosis dilationibus vexare, contra regulam *l. properandum. C. de iudiciis*: cum his supplicent in causis, in quibus tantum semel supplicabatur, juxta leges regni, & jus commune. Gabellam duplicem solvere, de illa gabella intelligo, quæ solvitur in Cancellaria (*de novecentos reu*) juxta *Ordin. lib. 3. tit. 77. §. 11. & seq.*

His rationibus superius positis videbatur, quod supplicationes interpositæ à præside senatus Portucalensis civilium causarum, & à iudice causarum senatorum (habent namque senatores senatus Portucalensis iudicem in eodem senatu specialem suarum causarum) juxta *Ord. lib. 3. tit. 4. §. 1. ibi, ( & os da casa do civil per ante o seu Corregedor )* illæ, inquam, supplicationes excedentes summam jurisdictionis, seu Alcadæ (ut sic loquar) illius senatus, statim, & omisso medio, venire debent ad senatores gravaminum senatus supplicationis.

Verum est, quod decreto senatus Portucalensis statutum fuit, quod supplicans à præside illius senatus ad senatores ejusdem senatus, juxta hanc Regis determinationem, unam tantum gabellam solvat, si una & eadem pars sit, quæ supplicet, & sententiam contra se reportet: idque tam in instantia præsidis, quam in instantia senatorum senatus Portucalensis, & sic respectu hujus partis, una tantum gabella

gabella est, quæ solvitur, sed si alia pars supplicet ad senatum supplicationis, quia senatores sententiam prædis reformarunt, tunc ista altera pars solvet alteram gabellam, *lib. 2. Esphera. fol. 208.*

21. Contrarium tamen decrevit Regis diploma, per quod sancitum fuit, ut duæ supplicationes darentur, una ad senatores gravaminum senatus Portucalensis, & ab illis iterum ad senatum supplicationis, quod dubium maximum patitur, & spero, reformetur, statuendo, ut in causis, quæ non excedunt jurisdictionem prædicti senatus Portucalensis, detur supplicatio ad senatores illius senatus, & ibi finiat, ut erat dispositum per leges antiquas nostri Regni, & ut observabatur in senatu civilium causarum, usque ad tempus translationis illius in civitatem Portucalensem. In causis verò excedentibus jurisdictionem prædicti senatus Portucalensis statim supplicetur, omisso medio ad senatum supplicationis, & ad expeditores gravaminum ejusdem senatus, ut semper observatum fuit.

22. Illud item advertite, quòd ordinaria hæc supplicatio, quam (*agravo ordinario*) vocamus, non interponitur oblati Principi supplicatoriis libellis, ut fit in revisione, ut per Rebuf. *ubi supra*, sed interponitur in auditorio coram senatore, qui litigantibus audientiam facit, juxta text. in *authent. qua supplicatio. in priori parte juncta gl. & traditis ibi per Doct. C. de precib. Imp. off.* & conceditur per senatores in senatu, juxta *Ord. lib. 3. tit. 77. §. 17.* vel denegatur in mensa magna, juxta eandem *Ord. eodem §. versic. Eparecendo.* & elapsis sex mensibus executioni mandatur, juxta *Ord. lib. 3. tit. 72. §. ult.* ut etiam de jure communi dispositum erat per *d. Auth. licet majus tempus sex mensium daretur.*

23. Non omitram, quòd antiquitus in senatu civilium causarum solum duo erant supplicationum senatores, qui cognoscebant de supplicationibus senatorum prædicti senatus (qui *sobre iuizes* vocabantur) usque ad summam (*de oyo marcos de prata*) nam si excederent hanc summam, non ad illos, sed ad expeditores gravaminum senatus supplicationis, supplicabatur, per quod rectè confirmantur superius dicta *Ord. lib. 1. tit. 31. §. 1.* De his autem, *sobre iuizes*, loquitur Ordinatio, *eodem lib. tit. 32. extravag. p. 2. tit. 1. l. 3.* Quod nomen fortè habuerunt, ut obiter dicam, quia super alios judices erant: & ego vidi in quadam sententia antiqua factam mentionem cujusdam superjudicis, tempore Regis Alfonso IV. Aera 1385. & vocabatur Martinus Alfonso Abbas de Ferreira daves: & videnda est *Ord. quæ ad intellectum dictorum facit, d. tit. 32. §. 9.* in illis verbis (*presente*) quem ego interpretor, perante (juxta *Ordinat. lib. 2. tit. 25. §. 1. & 5.* & al. *Ordination.*) *Os desembargadores da nassa supplicação maior, ou menor.*

## DECISIO XII.

Revisio sententiæ supremi senatus, si semel à Principe denegetur causa cognita, utrum possit iterum concedi?

### S U M M A.

1. Revisio quando conceditur, processus in senatu supplicationis expeditur; quando verò denegatur,

per informationem senatorum, in senatu Palatii denegatur.

2. De utroque casu ponuntur formulae.

3. Iudicia, & sententia sunt de jure civili, Princeps est supra jus positivum. *ibid.*

Ius alteri quasitum per sententiam diffinitivam, qua transiit in rem judicatam, potest tolli per rescriptum Principis, dummodo apponatur clausula, non obstante sententia, vel tertia appellatione, &c. *ibidem.*

4. Princeps de plenitudine potestatis potest rem propriam alicui auferre, sine causa.

5. Princeps potest, ex certa scientia, concedere tertiam appellationem, per viam privilegij.

6. Merè arbitrarium Principi est, plures instantias, & plura tribunalia constituere.

7. Princeps potest concedere, vel denegare revisionem sententiæ, quoties voluerit.

8. Probabilior tamen sententia est, quòd Princeps sine justa causa, non potest concedere sepius istam revisionem, nec tertiam provocacionem, nec commisionem ad cognoscendum de sententia, qua transiit in rem judicatam.

9. Potestas absoluta in Principe damnatur.

10. Princeps non potest concedere revisionem semel denegatam.

11. A sententia lata in causa reclamationis, non potest iterum reclamari, nec si reclametur, admittitur talis reclamatio.

12. Tertia appellatio ab uno, & eodem, in eadem causa, non est licita.

13. Sententia à qua bis appellatum fuit, pro veritate haberi debet: & parit victori jus irrevocabile.

14. Responsio ad argumentum 1. supra positum. n. 3.

15. Iudicia, juris publici esse dicuntur, & propter publicam utilitatem, jure gentium, instituta sunt.

Quemadmodum Princeps justis legibus derogare non potest, absque justa causa, sic nec sententia, qua illis nititur. *ibidem.*

16. Princeps non potest remittere penam pecuniariam alicui tertio, etiam jure positivo delatam, potest tamen publicam, vel fiscalem.

17. Leges justæ, absque justa causa, per Principem revocari non possunt.

18. Princeps tenetur servare legem, quam statuit, & contra faciendo peccat, & n. 19.

20. Superiores nostri non habent dominium absolutum ad disponendum de bonis nostris, aut vita, nisi fuerit necessarium, ad Reipublicam utilitatem.

Princeps non potest derogare juri positivo habenti fundamentum consonum juri divino, aut rationi naturali. *ibidem.*

21. Declaratur dictum Bald. in l. fin. C. Sentent. rescindi non posse.

22. Responsio ad dictum Abb. conf. 84.

23. Declaratur conclusio illa, per quam asseritur, arbitrarium esse Principi plures instantias, vel plura tribunalia constituere.

Quomodo intelligatur altera conclusio, quòd Princeps potest concedere supplicationes à sententiis, quoties voluerit. *ibidem.*

Declaratur dictum Abb. asserentis, quòd Princeps potest confirmare donationem factam per patrem filio, in præjudicium aliorum filiorum, etiam si non sit insinuata. *ibid.* ubi multa de materia.

24. Declaratur conclusio, quod Princeps potest auferre alicui jus quarendum, ubi multa ad propositum.
25. Declaratur conclusio, quæ habet, quod Princeps potest confirmare actum nullum, ex defectu juris positivi.
26. Limitatur regula supra posita, num. 10. Princeps, ex causa, potest concedere, ut appellatio pro desertis non habeatur ibid. Et quod restituatur victus ad appellandum, quasi intra decendum appellasset, vel ad prosequendam appellationem, quam in termino non fuit prosecutus: & hoc fit in senatu palatii ibid.
27. In casu nostra decisionis denegata fuit secunda revisio, quia non dabatur justa causa, ex parte supplicantis ad illam concedendam.
28. Quid soleat fieri in secundo casu proposito in principio nostra decisionis.
29. An concedatur revisio a sententia lata super revisione concessa, quando pars, quæ victa fuit, illam petit? & est casus notabilis.
30. Numerantur aliqui Doctores, qui de materia agunt. Infertur ad II. regni Castella, remissivè. ibid.

**V** Idimus hanc quæstionem valdè controversam, in facti contingentia: in qua duo sunt considerandi casus: Primus, quando conceditur prima revisio, & processus in senatu supplicationis expeditur, juxta tradita per Alvarum Vaz. *consult. 5. 1. nu. 8.* & confirmatur sententia. Secundus casus est, quando processus committitur videndus duobus senatoribus, ut informationem dent in senatu palatii, & secundum eorum informationem denegatur revisio, juxta Ord. *lib. 3. tit. 78. §. 1.* Vaz ubi supra *num. 7.* Gamma *decis. 110. num. 11.*

**2** Quando autem conceditur revisio, sic in senatu palatii petitio expeditur:

*Manda el Rei nosso senhor, que se reveia este feito na casa da supplicação pellos desembargadores, que o Regedor ordenar conforme a ordenação, pera o que se fara provisão em forma: a tantos de tal mes. Si autem denegetur per hæc verba fit: Escusado, aiutense as rençois ao feito.*

Et agendo de secundo casu (de priori namque in fine agemus) videtur, quod Princeps possit de plenitudine potestatis, & absque causa jubere, ut revideatur sententia, etiam si semel revisio negata sit, ut & potest committere revisionem sententiæ, quæ transivit in rem judicatam.

**3** Quia judicia, & sententiæ sunt de jure civili, ut per gloss. in principio *Instit. de obligat. & in l. 2. D. de origine jur.* Princeps autem est supra jus positivum, *cap. proposuit. de concessione prebend.* ubi Doctores. & ideo ejus est derogare, cujus fuit & concedere, *l. fin. D. de constitut. principum*, ac proinde sicuti Princeps potuit concedere, ita potest relaxare, moderare, declarare, & derogare, juxta regulam *l. secundum naturam. D. de reg. jur. & regul. omnis res. eodem tit. in antiquis.* Ex quo dixit Bald. post gloss. *ibi, in l. fin. C. sentent. rescindi non posse.* quod si apponeretur clausula, non obstante sententia, vel tertia appellatione, valeret rescriptum, ex qua gloss. notat ibi Bald. quod jus alteri quæsitum per sententiam diffinitivam, quæ transivit in rem judicatam, potest tolli per rescriptum Principis, quod ibi ampliatur idem Bald.

procedere, etiam si in alium jam esset translatum dominium: quia licet dominium sit de jure gentium, quod Princeps tollere non potest; est enim jus gentium, jus quasi naturale; tamen judicia & sententiæ sunt de jure civili, ut superius diximus, & ideo cum hoc casu dominium veniat consecutivè ad sententiam, rescissa sententia, & sic principali, rescinditur accessorium, secundum eundem Bald. *in d. l. fin. col. fin.* quem sequitur Perus. *in c. sua nobis, num. 15. de appellat.* Idem tradit Abb. *conf. 8. l. lib. 1. col. 5. Dec. conf. 118. num. 2.*

Quod & comprobatur ex eo, quia Princeps, de plenitudine potestatis, potest rem propriam alicui auferre sine causa; Bald. *in l. rescripta, col. fin. C. de precib. Imper. Offerend. Ang. in l. item si verberatum §. 1. D. rei vendic.* quod procedit in dominio quæsitum de jure civili, quale est quæsitum mediante sententia; ex Dec. ubi supra.

Et hinc dixit Bald. & Imol. *in d. c. sua nobis*, quod Princeps ex certa scientia, potest concedere tertiam appellationem per viam privilegij, sequitur Perus. *in c. directè, num. 9. eodem tit. & facit dicta gloss. in cap. ad hæc de rescriptis.*

Confirmatur hoc, quia esse plures instantias, vel plura tribunalia merè arbitrarium est Principi, nec respicit justitiam causæ. Nemo enim scire potest, an rectius in prima instantia, vel in secunda judicetur. *lib. 1. D. de appel. ut advertit Rebuf. ad II. Gallic. 1. tom. pag. 308. n. 35.* sequitur Pinel. *de rescindenda, in rubr. 1. p. pag. 22. nu. 22. versic. quæ conciliatio.* In his autem, quæ sunt Principi arbitraria, benè potest tollere jus alterius, ut per Alcia. *de presumpt. reg. 3. presumpt. 11. n. 11.* quod confirmatur ex dictis per Abb. *conf. 84. incip. Illud in summa. vol. 1. Rebuff. ad regul. 17. Cancellaria, pag. 46. ver. intellige.*

Hinc fit, ut multi tenuerint, quod Princeps potest concedere, vel denegare revisionem sententiæ, quoties voluerit, quia id est voluntarium, Bald. *in l. fin. C. de legibus*, & hæc gratia habet tam latas habenas, quantum Principi concedenti placet, ut per Aufrer. *ad Capel. Tolos. dec. 479.* Bald. *in c. pastoralis, nu. 4. de appell. & conf. 205. circa finem. nu. 4. Paris. conf. 54. num. 59. lib. 3.* & est supra omne remedium juris; Rom. *conf. 25. col. fin. Ful. conf. 277. col. 2. Alex. conf. 88. col. 2. lib. 4. Hippol. sing. 88. Iaf. conf. 26. in fin. lib. 3. Rol. à Vallè conf. 1. n. 56. lib. 1.* & ob id dixit Guid. Pap. *decis. 345. & conf. 139. col. 2.* quod hujusmodi gratia revisionis fuit sæpius in eadem causa concessa in parlamento Parisiensi.

Sed his non obstantibus, multò probabilius videtur, quod Princeps sine justa causa non potest concedere sæpius istam revisionem, sicuti nec tertiam provocationem, nec commissionem ad cognoscendum de sententia, quæ transivit in rem judicatam.

Quod ita ostenditur, in primis, quia potestas absoluta in Principe damnatur, ita ut nihil omnino liceat bono Principi de potestate absoluta, quæ scilicet jure divino, aut humano non regulatur, nec justis legibus subjicitur, ut latè defendit Pinel. *in rub. de rescindenda vè ditione, à n. 25. Vaz de jure emphyteutico. l. p. q. 3. n. 10. frater meus, Gondicalus Mendez de Valconcel. & Cabedo in suo lib. diversorum jur. arg. lib. 2. c. 5. n. 4.* & ita non est intelligendum nos hic loqui de hac potestate absoluta Regis, sed ordinaria,

naria, & regulata secundum leges divinas, & humanas.

- 10 Et juxta hoc dicendum est, quod princeps semel denegata revisione non potest eam iterum concedere: nam postquam processus commissus est duobus senatoribus per Regem, seu senatores palatii, qui ejus vices gerunt, ad informandum, sitne sententia digna revisione, & ipsi informant, non esse revidendum, quam informationem tenentur necessario sequi prædicti senatores Palatii, juxta Ord. d. tit. 78. §. 1. lib. 3. & Novell. regni. 1. part. 1. tit. 4. §. 117. negantque revidendum esse processum per clausulam solitam ( *não he caso de revista ajuntense as tenções ao feito* ) parti jus irrevocabile quæsitum est, quod per Principem tolli non potest: & expedit, ut lites finiantur, & non sit in suspensio jus partis, *cap. finem litibus. de dolo & contum. l. 2. D. usucap.* & ita supplicationem semel denegatam non esse concedendam, tenet Spec. in tit. de supplicat. §. sequitur. num. 2. per text. in l. si quis. C. de precib. Imper. offerend. & quamvis text. iste loquatur, quando supplicatur, & in causa supplicationis sententia fertur, idem est quando supplicatio cum causæ cognitione denegatur, secundum Speculatorem, ubi supra.
- 11 Item facit, quod à sententia lata in causa reclamationis, non licet iterum reclamare, nec si reclametur, admittitur talis reclamatio à revisionali arrecto seu sententia, secundum Afflict. dec. 231. numer. 3. ubi dicit, ita fuisse semper observatum per l. si quis. & per text. in l. 1. C. ne liceat in una eademque causa tertio provocare, & idem dicit Guid. Pap. decis. 345.
- 12 Item, quod de jure tertia appellatio ab uno & eodem in eadem causa non est licita, l. 1. C. ne liceat, adeo ut Princeps per viam rescripti tertiam appellationem indulgere non possit, *c. sua nobis*, ubi DD. de appell. Perus. in c. directe. numer. 9. eod. tit. sicuti etiam non potest reparari appellatio deserta, l. nemo C. de temporib. appellat. etiam ex certa scientia, Perus. in d. c. sua nobis. num. 13. ubi infert, quod si quis impetret litteras super appellatione, non facta mentione, quod sit tertia appellatio, litteræ sunt subreptitiæ & nullæ: adeo quod Princeps per viam rescripti, etiam ex certa scientia non potest concedere tertiam appellationem, & per consequens, nec de plenitudine potestatis intelligitur illam concedere, nisi adjiciat clausulam ( non obstante, &c. ) quia absque ea clausula hujusmodi rescripta, magis præsumuntur in dubio subreptitiæ, & per fraudem importunitatemque obtenta, ut expressè inquit Bald. in d. c. sua nobis.
- 13 Confirmatur hoc, quia sententia, à qua bis appellatum fuit examinata est in tribus instantiis seu judiciis, ut ad sensum patet: unde merito pro veritate haberi debet, l. 1. D. de re judicata. & parit victori jus irrevocabile, ut aliquando domini de suo dominio sint securi, ut supra diximus, & facit novella regni 1. part. tit. 3. l. 4. §. 113. facit & in simili text. in l. fin. C. sem rescindi non posse. l. causas vel lites. de transact. & in c. exposita. de arbitrio. Dec. conf. 308. num. 1 & conf. 194. num. 4. Alex. conf. 94. in princ. lib. 2.
- 14 Tenendo hanc partem, non obstat argumentum prius: quamvis enim sententia sit de jure positivo, ex l. 2. D. de orig. jur. tamen ex jure publico, hoc est,

gentium processisse videtur, & ideo propter hujusmodi juris publici observantiam, jure civili firmior est, Alc. in l. non minorem. C. de transact. ubi inquit, quod ex sententia sola naturalis obligatio oritur, quæ nos parere magistratibus jubet. l. veluti. D. de justit. & jur. & ideo dicitur, quod sententia assumit vires ex vigore judiciorum, quæ juris publici sunt, & ideo à judice, non à partium consensu, Bart. in l. duobus. D. de execut. rei jud. Alc. in l. si diversa. num. 5. C. de transact. quamvis etiam propter partium consensum, transactioni æquiparentur, d. l. non minorem, & ibi Alciatus.

Dicuntur autem judicia juris publici esse, quia propter publicam utilitatem, jure gentium instituta sunt, sicuti etiam instituti sunt magistratus, qui jus suum unicuique judicando redderent, quibus naturali quadam obligatione obedire tenemur. d. l. veluti. c. omnis. de majorit. & obed. & quia magistratus non potest judicare, nisi secundum jus legibus aut moribus prius constitutum, ideo dicitur, quod sententia nihil inducit novi, sed quod inductum est, declarat, per text. in l. Pomponius. §. si jussu. D. de acquir. possessione. l. sicuti. l. si queratur. D. si servit. vend. Alciat. reg. 1. presump. 36. num. 4. unde cum sententiæ nitantur legibus justis, & jure ex illis proveniente, quemadmodum Rex non potest absque justa causa legibus derogare, ita non potest tollere sententiam, quæ illis nititur, nec tollere parti jus ex sententia quæsitum, ut per Pinellum ubi supra.

Adeo ut non possit Princeps remittere pœnam pecuniariam alicui tertio delatam, etiam jure positivo, quamvis possit remittere pœnam publicam, vel fiscalem, ut ex gl. in l. 2. in fin. C. de in jus vocand. Bart. & Ias. numer. 10. Dec. & Alciat. ibi. & probavit Pinel. ubi sup. numer. 12. ad fin. Rebuff. ad reg. 17. cancel. pag. 460. vers. 7. remissiones.

Confirmantur & hæc, quia quamvis sententia sit de jure positivo, ut diximus, nihilominus legibus statutum est à Principe latis, quod per sententiam, quæ transivit in rem judicatam, & à qua non licet appellare, nec supplicare, victori jus irrevocabile quærat: nisi per revisionem: & hac semel denegata nulla alia restat via: quæ leges justæ, & utiles Reipubl. sunt, ne partes litibus & pluribus instantiis vexentur, & dispendia patiantur, ut supra diximus. Cum ergo leges hæc justæ sint, per Principem absque justa causa revocari non possunt. Justum enim est, Principem legibus suis obedire, *c. justum est 9. dist.* quod non solum ad honestatem, sed etiam ad justitiam referendum, dixit ibi Dominicus: & merito, ac justè, secundum Navarr. qui Dominicum sequitur in c. si quando. de rescriptis. in 7. exceptione. pag. 25. secutus S. Thom. 1. 2. quæst. 96. art. 5. & dicit probari per c. cum omnes. de constit.

Intellige autem, de justitia, quoad vim directivam, quia à seipso potest unusquisque dirigi: & æquissimum est, Principem sequi illa, quæ veluti rationi consentanea, faciendæ esse statuit: in quem sensum accepit illum text. in d. c. justum Soto de just. & jur. l. 1. q. 7. art. 7. col. 3. allegans tex. in c. cum omnes. de constit. nam quod quis juris in alterum statuit, eo uti debet, ut in rub. & per totum D. quod quisque jur. & illam CHRISTI doctrinam: *Qui dicunt, & non faciunt: & qui alia gravia opera impendant, ipsi nec digito volunt*

*volunt ea movere.* Matth. cap. 23. & subdit Soto *ibid. colum. 4. in fin.* quod Princeps idem ex vi directiva tenetur servare legem, quam fecit, quia illam constituit sub aliqua virtutis specie, & contra faciendo, facit actum contrarium illi virtuti, & idem peccat, nisi id faciat ex justa causa, nempe, quæ sit rationi consentanea, & tendat in bonum commune. Ita notabiliter idem Soto *ubi supra, d. q. artic. 3. vers. secunda conclus. & in vers. causas vero*: frater meus Gondicalus Mendes de Vascon. eleganter, *ubi supra, libro 3. cap. 1. per totum.*

19 Unde infert, quod Princeps dispensando, absque tali causa, contra legem in totum, vel relaxando in partem, etiam in his, quæ sunt juris positivi, peccat, & non excusatur à peccato, maxime si talis dispensatio uni concessa vergat in alterius damnum, & præjudicium, quo casu, idem Soto putat illud esse peccatum mortale *loco ubi supra, vers. enim vero si exoneratio.*

Idem probavit Soares *ad l. quoniam in prioribus, in declarat, ad legem regni, limit. l. n. 15. usque ad n. 16. C. de inoffic. testam. Covar. libro 3. resolutionam, cap. 6. num. 8. colum. 10. vers. fortassis placebit & de spons. cap. 6. §. 9. num. 10. Navar. ubi supra, pag. 25. ubi subdit, quod illud, quod habetur in l. Princeps, D. de legibus.* Principem solum esse legibus: accipiendum esset, ut possit legem totam, vel eius partem tollere, vel quoad aliquem relaxare, cum oportuerit, non aliàs: quod si absque causa, id est, cum non oportuerit, relaxat, tenet quidem ita facta relaxatio, sed Princeps peccaret eam faciendo, ita Navar. *ubi supra, secutus S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 5. & quidem mortaliter, si eam faceret in alicujus præjudicium, secundum Sot. ubi supra.*

20 Confirmatur hoc, quia superiores nostri non habent dominium absolutum ad disponendum de bonis nostris, aut vita, sed quatenus fuerit necessarium ad Reip. utilitatem, ut per Covarruv. *reg. pec. 2. part. Paragrapho 9. numero 6.* Huc etiam pertinet, quod Princeps sine causa non potest derogare juri positivo habenti fundamentum consonum juri divino, vel rationi naturali, secundum Abb. Felin. & alios relatos à Pinel. *d. rubr. de rescind. 1. part. pag. 9. numero 11. in princ. ubi notanter subdit, hoc esse superfluum, quia semper pro lege vel canone, tale fundamentum præsumitur, & hoc est, quod ait pulchrè Soto, quod lex justa semper fundatur in aliqua virtute, & idem Rex contrafaciendo, facit actum contrarium illi virtuti, & idcirco peccat: unde cum habemus legem, quæ unam solam revisionem concedat, non potest Princeps de potestate ordinaria illi derogare, juxta tradita per Inn. *in cap. in litt. de integ. rest. ubi allegat text. in cap. cum Bert. de re jud.**

21 Ex his infertur responsio ad dictum Bald. post gloss. *ibi in d. l. fin. C. sententiam rescind. non posse,* quod Princeps potest auferre jus quæsitum per sententiam, cum sententia sit juris positivi, cui princeps potest derogare, & sic consecutivè revocare potest jus ex ea quæsitum. Respondetur namque, quod sententia fundatur in legibus positivis, quas, quoniam Rex tollere non potest sine causa in præjudicium tertij, ita non potest revocare sententiam in illis fundatam, nec tollere dominium per

illam quæsitum; etiam si per media juris positivi, ut per Pin. *ubi supra,* & ita non potest tollere jus per præscriptionem quæsitum, nec per sententiam, & si absque causa id faciat, peccat, ex Soto & Navar. *ubi supra,* & ita, quod dicit Bald. intelligendum est, quando Princeps id facit justa causa suadente, & ita etiam respondetur ad id, quod dixit Bald. *in l. rescind. C. de prec. Imper. offer. & Angel. in l. item si verberatum; Paragrapho 1. D. de rei vindicat.*

Infertur etiam responsio ad dictum Abb. *conf. 84. lib. 1. & Dec. conf. 198. n. 2.* quod Princeps potest committere, ut cognoscatur à sententia, à qua appellari non potest, ita ut concessio supplicationem à tali sententia, *Auth. qua supplicat. C. de precib. Imper. offeren.* Ad quod respondetur, quod si id concessio fit per viam privilegij, seu legis generalis, antequam per sententiam dominium parti quæsitum sit, potest facere, & debet etiam esse cum causa, etiam si id faciat de plenitudine potestatis, seu ex certa scientia, quod idem est ac de plenitudine, ut est gloss. *in c. ad hac. de rescript. & ita intelligendum est, quod dicit Perus. in cap. direct. num. 9. de appellat.* at postquam jus est parti quæsitum, per sententiam, nec per legem, nec per privilegium, nec per rescriptum potest Princeps concedere tertiam appellationem, aut ut cognoscatur de sententia, quæ transivit in rem judicatam, *d. cap. sua nobis de appellat.*

Respondetur etiam ad id, quod diximus, quod 23 multas esse instantias & tribunalia arbitrarium est Principi, & ob id potest concedere supplicationem, seu revisionem, quoties voluerit: nam id intelligitur, in quantum Princeps per legem non habet statutum, quod sint certæ, & limitatæ instantiæ, & jam in illis non est causa finita per sententiam, quæ jus parti tribuat, ut si causam ab uno tribunali tolleret, & alteri committeret, nam post sententiam potest iterum & iterum committere: at postquam certus est numerus instantiarum, & jam in illis lata est sententia, per quam pars jus habet quæsitum, non potest Princeps in præjudicium partis alteram novam instantiam creare, & de novo committere cognitionem sententiæ, quæ jam in rem judicatam transivit, contra leges jam promulgatas, & hoc modo intelligenda sunt dicta per Bald. Perus. & Aufrer. qui dicunt, quod Princeps potest concedere supplicationes à sententiis, quoties voluerit, & sic etiam intelligitur dictum Abb. *d. conf. 84. ubi dixit, quod Princeps potest confirmare donationem factam per patrem filio, & jubere, ut valeat in præjudicium aliorum filiorum, etiam si non sit insinuata, quia insinuatio est de jure positivo, quod est Principi arbitrarium: id enim procedit, quando pater, qui donationem fecit, consentit in confirmatione donationis Principis. Item procedit dictum Abb. in jure nondum quæsito, sed quærendo, quod facilius tolli potest à Principe, quam quæsitum, ut per Dec. *d. conf. 198. n. 2. col. 2.* quia licet Princeps non possit præjudicare juri alterius, eo invito, bene tamen potest eo consentiente, ut probat text. *in l. 1. D. de natalib. restituend. ubi Princeps non facile solet libertum natalibus restituere, nisi consentiente patrono, & item probat text. in l. nec filio. D. eod.* Huc pertinet, quod tradit Afflic. *decis. 286.* quod si Rex consentit in aliena-*

alienatione feudi, tempore quo feudum est alienantis, valebit consensus; secus si tempore quo erat jam alterius, nempe, heredis ipsius alienantis, quia tunc non nocebit illi regius consensus: & ita sentit, quod obligatio à principio invalida bene potest confirmari à Principe in præjudicium eius, qui se obligavit, quasi eo consentiente id faciat. Ita in calu Abba. *dict. consil. 84.* confirmat Princeps donationem invalidam propter defectum insinuationis in præjudicium ipsius donantis, quasi eo consentiente, confirmet. Ceterum non ex eo inferitur, quod Rex possit auferre jus parti quæsitum per sententiam concedendo revisionem semel denegatam, legi derogando in præjudicium partis.

24 Quinimo, licet Princeps possit auferre alicui jus ei quærendum spe non approbata, secundum Ang. *consil. 262.* quem sequitur Rebuf. *d. reg. 17. part. 461. vers. tertio fallit.* etiam sine causa, ut per Bald. & Ruin. quos refert, tamen si spes esset approbata, puta, quia quis esset proximior alicujus, non poterit Princeps auferre successionem illius, quo minus ut proximior succedat, ut tenet ibidem. Rebuf. Huc pertinet, quod Princeps bene tollit jus conditionale, & quod est in pendentem, ut per Rom. *consil. 256.* sequitur Felin. *in cap. super litteris, numer. 11. de rescript.* quia scilicet est jus quærendum, non quæsitum, Rebuf. *d. pagin. 461.* & cum Abb. & reliqui DD. loquantur in jure quærendo, & nos in jure quæsito per sententiam, non potest de uno casu ad alium inferri, imò pro nobis faciunt, in quantum dicunt, quod juri quæsito Princeps præjudicare non potest, quemadmodum nec potest regulariter validare Scripturam carentem legitima solemnitate, quando ex nullitate quæsiti est jus tertio, ne scilicet ex tali Scriptura obligetur. Pinel. *ubi supra, numero 13.* qui plures citat. quod procedit, ubi Scriptura non est auth. puta, quia est exemplar, non originale, & dicunt præfati DD. quod Princeps non potest concedere, ut exemplari adhibeatur plena fides, non ostenso originali, quia scilicet est jus quæsitum parti, contra quem producitur, ne ex ea obligetur, secundum Pin. aut potius quia est jus quæsitum ipsi parti ex leg. qua prohibetur, ne exemplari credatur, quam legem Princeps derogare non potest in præjudicium partis absque justa causa.

25 Et hinc inferitur intellectus ad illud, quod dicitur; Principem posse confirmare actum nullum ex defectu juris positivi, gloss. *vers. confirmandam in cap. veniens de transact.* Abb. *in cap. per venerabilem, numero 12. qui filij sint legitimi.* Castal. *Restaut. de Imper. quæst. 110. casu 273.* & est Ordin. libro 3. titulo 60. §. 1. Vant. *de nullit. sent. fin. p. numero 24.* hoc enim accipiendum est, nisi in præjudicium tertij fiat, aut cum in alicujus præjudicium sit, si modò ex justa causa fiat, nec enim omnia, quæ licent, honesta sunt. *l. non omnia. D. reg. jur.* & ut inquit D. Paulus, *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.*

26 Habemus ergo, quod semel denegata revisio concedi non potest à Principe: hoc tamen intelligitur, nisi à Principe ex causa concedatur; quia cum causa potest concedi, quæ causæ possunt esse illæ, de quibus per Imm. *in c. ex litteris, de in integr.*

*restit. & in cap. cum Bertoldus, de re jud.* ut etiam potest ex causa concedere, ut appellatio pro deserta non habeatur, vel quod restituatur victus ad appellandum, quasi intra decendum appellasset, vel ad prosequendam appellationem, quam in termino non fuit prosecutus, ut quotidie fit in senatu palatij. Sed justis causis intervenientibus fieri debet, & à Principe fieri solet.

Hoc tamen casu denegata fuit, quia non visæ sunt causæ justæ ad concedendam talem secundam revisionem, & Philippus Rex noster legem tulit anno 1588. qua omnino prohibuit secundam revisionem concedi.

De priori verò casu agendo, quando scilicet conceditur prima revisio, & expeditur in senatu supplicationis, confirmaturque sententia, à qua revisio petita fuit: an iterum, & secundò possit peti revisio ab eadem sententia, & ab eodem, qui eam jam petiit? numquam concessam vidi, neque audivi, nec fieri solet, quamvis justa quælibet causa allegetur: aliter namque daretur infinitas, quæ maxime vitanda est, *l. fideicommissa. §. qui decem, cum similibus, D. de leg. 3.* & finis litium esse debet, *cap. finem litibus, de dolo, & contumacia.*

Si verò retento eodem themate, revisio concessa fuit, & in senatu supplicationis expedita coram Re- & ore senatus, ut fit, & revocetur sententia prior, à qua petita fuit revisio, an alia pars, quæ victa fuit in instantia revisionis, ab ista sententia in revisorio judicio lata, possit revisionem petere, quæ in effectu, respectu partis hujus, quæ modo illam petit, prima revisio est, & non secunda, vidi de facto agitatum, & denegatum, nec concessum hoc unquam fuisse audivi, licet Guid. *decis. 345.* dicat se vidisse id obtentum in Curia Delphinatus.

De materia autem videndus est Hispanus Sures in *practic. tom. 1. parte 7. cap. unico. Vaz. consil. 31. 1. tom. per totam.* Ex quibus inferas ad *l. 1. & seqq. titulo 20 libro 4. nova Recop. legum regni Castelle.*

### DECISIO XIII.

Quid sit Curia, & de officio Prætorum curialium.

#### S U M M Æ.

1. Prætores curiales quot sunt numero, & quot olim erant.
2. Prætores curiales duo cognoscunt de causis criminalibus, alij duo de causis civilibus in curia & intra quinque leucas, quæ sunt curia territorium.
3. Quid sit curia Regis, & unde hoc verbum originem traxerit, remissivè.
4. Quomodo mensurari debeantur leuca, in facto agitatum fuit.  
Rex Sebastianus jussit mensurari leucas in Translagana regione, & in aliis locis. Ibidem.
5. Enumerantur casus, in quibus curia non habet quinque leucas pro territorio.
6. Intellectus ad Ord. lib. 3. tit. 3. in princ.

7. Ponia

7. Ponitur alius casus, ubi curia nullam habet territorium, & constituitur regula in hac materia.
8. Vbi est senatus supplicationis, Curia etiam dicitur. Idem de senatu Portucalensi.
9. Infames, accusati de aliquo crimine, & qui sunt in reatu non possunt in curia morari, nec in ea servire Regi, nec intrare in eius palatium, nec Regis faciem videre.
10. Prætores curiales criminales cognoscunt de petitionibus gravaminum ab interlocutoris iudicium, in loco ubi curia est, vel senatus supplicationis, & intra quinque leucas.
- Hoc tamen immutatum fuit per legem reformationis iustitiæ, quod tamen non caret dubio, & latè examinatur. Ibid.
11. An lex reformat iustitiæ intelligatur in petitionibus gravaminum a iudicibus intra quinque leucas.
12. Prætores curiales civilium causarum expediunt petitiones gravaminum a locis intra quinque leucas, etiam hodie stante lege reformationis: non autem possunt expedire instrumenta gravaminum, nec litteras testimoniales intra prædictas quinque leucas.
13. Expeditioribus causarum gravaminum non est concessum per Ordinationem aliquam, posse de petitionibus gravaminum intra quinque leucas cognoscere, quod tamen faciunt de consuetudine.
14. Decretum senatus super hac materia improbat.

**P**rætores curiales [quos Corregedores da Corte vocamus] sunt quatuor, duo qui causas criminales expediunt, alij duo causas civiles. Antiquitus autem inveni tempore Dionysij Regis Portugaliæ, unum tantum esse, qui auditor curiæ vocabatur, ut vidi in quadam sententiâ illius temporis, in qua hæc erant verba [El Rei o mandau por N. ouvidor da sua Corte] Postea tempore Edoardi Regis Portugaliæ, in numero senatorum senatus supplicationis, quem ordinaverat, numeratur unus tantum prætor curialis, ut diximus dec. 2. postmodum verò tempore Emanuelis Regis felicis memoriæ, duo tantum erant, unus causarum criminalium, alter civilium, ut constat ex Ord. lib. 3. tit. 4. §. 1. & §. 3. & aliis illius tituli. postea auctus fuit numerus ad quatuor, ad hæc usque tempora, ut diximus superius, quod præmissi, ut nihil antiquitatis penitus ignoretur.

2. Hi prætores, duo cognoscunt de causis criminalibus, alij verò duo de causis civilibus in curia, & intra quinque leucas, Ord. d. tit. 5. & 6. & l. 3. tit. 11. quæ quinque leucæ curiæ territorium comprehendunt, juxta extravag. p. 1. tit. 17. §. 3. quæ tamen loquitur in præsidibus provinciarum, quos Corregedores das comarcas, vocamus; & est notabilis illa lex ad hoc.

3. Quid autem sit curia Regis declarat optimè l. 27. art. 2. tit. 9. ubi Gregorius Lopez: quod verbum unde originem traxerit, declarat Gattias de expensis, c. 12. n. 25. illa autem dicitur curia Regis, ubi Rex est cum suis officialibus & consiliariis, & aliis, qui eius lateri adstant, & Regem consulunt, quid agere debeat in administranda iustitiâ, & gubernando Regno: tradit Didacus de Covar. R. pract. quest. c. 4. n. 10. & semper intelligitur curia, ubi Rex est, cum quinque leucis in circuitu: Gregor. Lopez, d. l. 27. part. 2. tit. 9. notat Humad. in glossis partitarum, l. 3. part. 2. gloss. 10. facit & Ord. nostra ubi supra tit. 5.

Cabedo Pars I.

& tit. 6. §. 1. & §. penultim. & lib. 1. tit. 15. §. penult. & lib. 3. tit. 11. in principio, & in multis aliis Ordinationibus, dicuntur namque hæc quinque leucæ, curiæ territorium.

Hæc autem leucæ quomodo mensurari debeant, 4 in facto vidi agitatum, in processu oppidi de Setúbal, contra scribas curiæ: & in processu alio oppidi de Monferte, contra oppidum de Monfaras, in quibus iudicatum fuit, ut leucæ mensurarentur per viam consuetam, & frequentiore, ut post Bart. tradit Paul. & Iaf. in l. 1. num. 5. C. si quis cautionibus. Covar. variarum, lib. 2. cap. 20. n. 5. Humad. ubi supra, Ant. de Quelada in suis questionibus, q. 20. n. 14. & pro hac parte facit Ord. nostra, lib. 5. cap. 52. §. 5. quod est notabile ad intellectum Ord. lib. 1. tit. ult. §. ult. & ad Ord. eodem lib. tit. 7. §. 33. & tit. 72. in princ. & lib. 3. tit. 42. §. 5. & ad alias regni nostri leges, & Rex Sebastianus leucas mensurari iussit in regno Algarbiorum, & in Transagana regione in aliquibus locis.

Illud tamen adverte, quod in aliquibus casibus, 5 curia non habet has quinque leucas in circuitu, pro territorio, sed solum unam leucam, ut est in Ordin. lib. 5. tit. 11. quæ id ita declaraverit, neque enim pœna illius legis extenditur contra delinquentes ultra unam leucam à curia, & à loco ubi Rex est: imò in §. 1. & 2. id restringit ad suburbia tantum, idque ea ratione, ne pœnæ extendantur, reg. odia. de reg. jur. lib. 6. Idem per Ord. lib. 5. tit. 107. in principio etiam curia restricta est ad suburbia tantum illius loci, in quo Rex est, de quo videndus est Bald. in proamio Digestorum, colum. 1. Cremes. singular. 47. Alexan. ad Bart. in lult. in princ. C. de panis, & ita Ord. d. tit. 107. (ut hoc obiter dicam) ortum habuit à l. 2. 3. & 4. D. de pan.

Libet autem hic inferere arrestum senatus, ad intel- 6 lectum Ord. lib. 3. tit. 3. in principio.

Vistos estos autos libello dos AA. excepção declinatoria fori do R. que lhe foi recebida, eo A. contriçõ: mostrasse o R. mão morando nesta cidade, nem dentro das cinco le goas, ser citado no lugar das Nogueiras, quo hê do termo da dita cidade perto das dit as cinco le goas, de distancia della: o que visto & como a Ordenaçõ deste reino, dos que podem ser citados sendo achados nesta Corte, ou casa da suplicaçõ, se entendeo sempre nos que são achados dentro na cidade, ou seu arrahaldes semente, & não nos lugares do termo, ainda que seião dentro das cinco le goas, & assi se julgou ia por vezes, com o mais dos autos: cy a dita excepção por provada, & mando que pella dita citaçõ senão proceda contra o R. que consta ser morador em Santarem, & pague o A. as custas destes autos, a 18. de Abril. de 602.

Et cum supplicatum esset per petitionem gravaminis ad senatum, confirmata fuit sententia prætoris, 7 die Maij eiusdem anni, in processu Ioan. de Britto Dalmeida, cum Ayres Lopez de Santarem.

Per Ord. etiam lib. 1. tit. 57. curia intelligitur solum 7 locus, ubi Rex est, nullo dato territorio. Constituenda igitur reg. est, quod ea est curia Regis, ubi Rex est: juxta illud Herodiani lib. 1. ubi Imperator est, ibi Roma est: habetque pro territorio quinque leucas, nisi lex aliud declaraverit.

Ubi est senatus supplicationis, curia etiam dicitur, 8 habetque idem territorium quinque leucarum, Ord. lib. 1. tit. 6. §. 1. cum aliis, & ita servat stylus. Idem dicen-

dicendum de senatu Portucalensi, quod tamen ita intelligendum est, nisi lex aliud declaraverit.

9 Illud etiam notatu dignum mihi videtur, quod infames, accusati de aliquo crimine, & qui in reatu sunt, non possunt in curia morari, nec in ea servire Regi, nec intrare palatium, nec videre faciem Regis, ut notat Bald. *in c. 1. an ille, qui interfecit fratrem, &c.* & ibi Iacobus delvisio, Molina *de primogeniis lib. 1. cap. 13. n. 19.* quod conducit ad Ordinationem regiam, *lib. 5. tit. 107.*

10 Prætores curiales criminalium causarum cognoscebant de petitionibus, seu libellis supplicatoriis gravaminum, qui interponebantur ab interlocutoriis iudicibus, in loco, ubi curia erat, vel senatus supplicationis, & intra quinque leucas, *Ord. lib. 1. tit. 5. §. 13.* per legem tamen reformationis iustitiæ, §. 13. hoc correctum fuit, & dispositum, ut huiusmodi petitiones de causis criminalibus expedirentur in senatu per expeditores gravaminum: quæ tamen lex illam patitur difficultatem, cum enim jubeat, ut hæ petitiones gravaminum, iudicum civitatis Olyssipponensis, non expediantur per prætores curiales criminales, ut disponebat lex antiqua, *d. §. 13. Ord. lib. 1. tit. 5.* videtur, quod iis non erat denegandum, eò quod prædictæ petitiones expediebantur in senatu per prædictos prætores, & non per illos solos extra senatum, & ita in illis non militabat eadem ratio, quæ militat in prætoribus curialibus causarum civilium, qui per se solos illas expediebant extra senatum, & ab illis dabatur alia instantia, & supplicatio ad senatores gravaminum, *Ord. lib. 1. tit. 4. §. 10.* Ut igitur huic dilationi occurreretur, dispositum fuit per *d. l. Reformationis*, ut omisso illo medio, ad senatum statim petitiones fierent, quæ tamen ratio dilationis & circuitus, in criminalium causarum prætoribus locum non habebat, cum enim in senatu (per *acordão*, ut diximus) illas expedirent, nullus dabatur circuitus, nulla instantia, nullum medium, immò statim sententia executioni dabatur. Quamvis tamen hoc ita sit, senatus legem reformationis servat, ut lata est, quam ego tamen emendandam in hoc fore existimo, ratione superius dicta.

11 Illud itidem adverto, quod quamvis lex reformationis servetur in iudicibus civitatis Olyssipponensis, & eorum petitiones gravaminum, non ad prætores curiales criminalium causarum, sed ad senatum veniant; tamen in iudicibus intra quinque leucas, nihil illa lex locuta est, & ob id ego in eam opinione, quod ab his per petitionem debent partes conqueri coram prætoribus curialibus criminalium causarum, & quod ipsi debent eas expedire in senatu privativè, & non senatores gravaminum. Cum enim hoc casu lex nova nihil disposuerit, standum est legi illi antiquæ, nempe, *Ord. lib. 1. tit. 5. §. 13. gloss. in l. sciendum*, ubi Bart. & Iaf. D. qui *satid. cog.* Sed senatus aliud servat, & expeditores gravaminum cognoscunt de his petitionibus criminalibus (quas de *agravo* vocamus) interpositis à iudicibus intra quinque leucas à curia. Prætores tamen curiales criminales etiam cognoscunt cumulativè de his petitionibus à prædictis iudicibus locorum intra quinque leucas, juxta *d. Ord. libro 1. titulo 5. §. 13.* non verò à iudicibus, neque præsidibus civitatis Olyssipponensis, juxta *d. l. Reformationis.*

Prætores verò curiales civilium causarum à locis 12 intra quinque leucas à curia expediunt petitiones gravaminum, *Ord. lib. 1. tit. 6. §. 10.* etiam hodie stante lege reformationis: non autem possunt expedire à prædictis locis, intra quinque leucas, instrumenta gravaminum, seu litteras testimoniales *d. Ord. §. 10.* hæc namque instrumenta, seu litteræ testimoniales expediuntur per expeditores gravaminum, ut disponitur *in d. §. 10.*

Illud postremò annotandum est, quod de petiti- 13 nibus gravaminum à locis intra quinque leucas oblati, nulla est Ordinatio, quæ disponat, eas posse expediri per senatores expeditores gravaminum in causis civilibus, sed solum id concessum erat prætoribus curialibus civilium causarum: attamen prædicti expeditores gravaminum illas expediunt ab antiquo tempore, quod consuetudine admissum fuisse semper observavi, & audivi, & non lege aliqua, nulla enim est, quæ eis jurisdictionem hoc casu tribuat, circa quod videnda est *d. Ord. lib. 1. tit. 6. §. 10.*

Ex quibus non rectè decrevit senatus mense Maij, 14 anno 1600. non posse per petitionem, ab oppido de Almada, quod est intra quinque leucas à curia, conqueri quemdam apud prætorem curialem, in causa civili, sed quod debebat id facere per petitionem apud expeditores gravaminum, est enim prædictum decretum contra *Ord. d. lib. 1. tit. 6. §. 10.* Lex autem reformationis, quam pro se allegabant senatores, qui ita decreverunt, solum loquitur in petitionibus gravaminum interpositis à iudicibus civitatis Olyssipponensis, nec est extendenda ultra casum, in quo loquitur *l. precipimus, §. fin. C. de appellat. Auth. de administrantibus officia in Sac. appellat. §. fin. cap. cum expediat. de electione.*

#### DECISIO XIV.

Quæ sit causa merè criminalis, quæ civilis, quæ mixta, partim criminalis & partim civilis, & de auditoribus criminalium causarum.

#### S U M M Æ.

1. Auditores criminalium causarum, quot fuerunt, & quot modo sunt.
2. Auditores causarum criminalium, appellationes criminales expediunt; & antiquitus civiles etiam expediebant.
3. Causa, aut sunt merè civiles, aut merè criminales, aut mixta.
4. Qua dicatur causa merè civilis?
5. Qua dicatur causa merè criminalis?
6. Qua dicatur causa mixta?
7. An causa super defloratione mulieris, sit civilis an criminalis?  
Idem erit in actione injuria cum eadem distinctione. Ibidem.
8. Senatus decretum antiquum, & tenor illius.
9. Appellatio, seu gravamen interpositum à iudice executionis, in causa criminali, habente etiam mixtam civilem causam, pertinet ad iudices, qui priorem sententiam, qua exequitur in casu appellationis, tulerunt.
10. Idem observatur, cum dies comparitionis petitur, & in senatu presentatur.



11. *Causa super multis civilibus sunt, & ad iudices, qui de appellationibus civilibus cognoscunt, pertinent.*
12. *Cognitio appellationis a sententia, in qua pars quaedam scribam pro interesse & damno conveniebat, eod quod sententiam in actis non registrarat, ad expeditores appellationum civilium pertinet.*
13. *Idem est in appellatione a sententia, in qua pars convenerat scribam pupillorum, eod quod in actis terminos quosdam non fecerat, per quod ei damnum secutum fuit.*
14. *Refertur senatus decretum, circa appellationem impositam a quodam, qui officium scriba gerebat absque litteris Regis.*
15. *Refertur decretum senatus, in procuratore (do numero) procurante sine litteris Regis, ad quem iudicem pertineat appellatio.*
16. *Refertur decretum senatus, circa appellationem scriba adilium accusati, quod pecudes habebat in loco ubi officium gerebat.*
17. *Refertur decretum senatus, circa appellationem scribarum iudicum Ecclesiasticorum, qui accusati erant, quod excedebant taxam in salariis scripturae.*
18. *Intelligitur Ord. lib. I. tit. 9. §. II. & refertur decretum senatus circa illius intelligentiam. Ex actis inter quosdam, potest procedi contra alios. Ibidem.*
19. *Decretum senatus circa appellationes criminales expeditas per auditorem, cui distributa non fuerant, notatu dignum.*

**A**uditores criminalium causarum, tempore Edwardi Regis Lusitaniae, duo erant, ut diximus dec. 2. postea fuerunt quatuor; anno autem 1565. quintus auditor creatus fuit, Extrav. I. p. tit. 5. l. 15. nunc quatuor tantum sunt, post mutationem senatus civilium causarum ad civitatem Portucalensem.

2. Ad auditores causarum criminalium spectat causas criminales solum per appellationem expedire, antiquitus civiles etiam expediebant; Ord. libr. I. tit. 9. §. 3. quod abrogatum est.

3. Causae autem (quo ad praesens institutum attinet) in triplici sunt differentia: aut enim sunt merè civiles, aut merè criminales, aut mixtae, partim criminales, partim civiles.

4. Causa merè civilis dicitur illa, in qua agitur ad privatum commodum, sive actio descendat ex delicto, sive ex contractu, & tandem quando poena pecuniaria applicatur parti: pro quo est notabilis Ordin. reg. lib. 3. tit. 28. §. 13. in haec verba: *Pero se o feito (postea que seia crime) se for civilmente intentado, de mandando o autor alguma cousa que lhe fosse roubada, ou furtada, ou lhe fosse feito algum dano, ou ofensa per que recbesse perda em sua fazenda.* Communis ex Ias. in §. superest. n. 16. instit. de act. dicitur autem civilis, eod quod minus laedat, ut declarant Panorm. n. 5. Berous num. 62. in rub. de iudiciis, Duar. lib. I. disp. cap. 33. Ant. Currea (praetor quondam curialis criminalium causarum) in commentariis ad lib. 5. verb. *Crimes a n. 1. cum sequentibus.*

5. Causa merè criminalis illa dicitur, in qua agitur ad publicam vindictam, ratione delicti, & pro illo imponitur poena corporalis, seu pecuniaria fisco applicanda, ut est gloss. in l. 3. verb. centum. D. de sepulchro violat. recepta communiter ex Bart. ibi, & in l. Caius D. ad Syllaniam, & in l. 2. D. de privatis delictis, & ex

Cabedo Pars I.

gloss. in l. 1. C. de sepulchro violat. & in l. Auth. damnum. D. de poenis, & in §. summa. Instit. de iniuriis, tradit Ias. ubi sup. num. 15. & ibi Gomez. n. 18. Dec. & Rip. n. 92. in rubrica, de iudiciis, Marant. de ord. iudiciorum, 4 p. distinc. 1. Bossius in pract. tit. quomodo proced. sit per action. in delict. Iul. Clar. lib. 5. quest. 1. Peguera, in decisionibus criminalibus, cap. 6. num. 2. & est apud nos Ordinatio id declarans, d. lib. 3. tit. 28 §. 13. in vers. (Pero) quam notat Ant. Correa ubi supra, num. 20. Est autem criminalis causa vehementissima, ut ait Cicero in oratione pro Caccinna, & est gravior quam civilis, l. in servorum D. de poenis, Menoch. de arbitrariis, libro 2. centur. 5. casu 464. num. 3.

Causa mixta dicitur illa, quando cum corporali poena, seu pecuniaria applicanda fisco, petitur etiam interesse partis, puta quando pars aliqua ultra poenam, sive corporalem, sive pecuniariam, applicandam tamen fisco, agit etiam incidenter ad restitutionem, vel refectionem damnorum, quod facere potest, ex Iul. Clar. in praxi. q. 2. num. 2. eo casu mixta causa dicitur criminalis, quatenus concernit publicam vindictam; civilis vero quatenus concernit privatum commodum, & interesse, ita eleganter declarant Iul. Clar. ubi supra, q. 1. n. 2. vers. tertius est casus. Rebuf. ad ll. Gal. tit. de constit. art. 1. gloss. 7. & est communis ex Bos. tit. de appel. n. 8. Marant. ubi supra, n. 73. Menoch. ubi supra, lib. 1. q. 82. n. 2. pro quo facit novella regni, 6. p. tit. 1. l. 7. ibi (civilmente) exempla ponit Clar. ubi supra. illum vide; & de hac causa mixta loquitur novella. p. 1. tit. 4. l. 1. §. 114. ibi (foi julgada a pena crime tanta fazenda) & his adde text. opt. in l. quod statutum. C. de poenis, Paris conf. 150. n. 12. lib. 4. Menoch. d. q. 82. n. 6.

Ex his inferitur ad nonnullos casus, quos in senatu decisos vidimus. Prior ille sit: an causa super defloratione mulieris sit civilis, an criminalis: & an pertineat appellatio ad expeditores appellationum civilium, an ad auditores appellationum criminalium.

Et dicendum est, quod quando in conclusione libelli petitur satisfactio pecuniaria per mulierem defloratam ad nubendum, nulla praecedente querela, nec denuntiatione, nec addat in praedicto libello, ut ultra satisfact. illam pecuniariam condemnetur reus in poenis criminalibus, in iure contentis: haec causa civilis est merè, & appellatio eodem modo civilis, & uti talis pertinet ad expeditores appellationum civilium, & in illis non possunt se intromittere auditores appellationum criminalium, juxta Ord. libro 5. tit. 58. §. 2. Si vero in libello petatur ultra satisfactio pecuniaria, ut reus condemnetur in poenis criminalibus; vel si antea praecessit querela, seu denuntiatione, etiam si postea agat ad satisfactioem pecuniariam solum, causa criminalis dicitur, & pertinebit appellatio ad auditores causarum criminalium, non ad expeditores civilium causarum. Ita decretum fuit in senatu Portucalensis civitatis, ut est in l. Esphe-ra, fol. 209. quod est notandum, quia saepe de hoc in senatu dubitatur. Idem erit in actione iniuriae, cum eadem distinctione, ut vidimus in quodam processu insulano, an. 1600. scriba Ant. Carvalho.

Bene tamen verum est, quod in quibusdam antiquis senatus arrestis vidi unum hisce verbis.

Acordouse, que se alguma demandasse sua virgindade civilmente, não pedindo maes que sua perda, & inter-

esse, que à causa pertença aos Corregedores, & ouvidores do crime, & não aos do civil, ou iuizes de anções novas, por quanto a causa descendia de crime, & a Ordenação dezia, que em caso, que o condemnado não tivesse por onde pagar sendo pião, fosse acoutado, a qual era pena em que os iuizes das causas civis, não podião condemnar: E por em que isto não ouvesse lugar nos herdeiros do delinquente, pois nelles a pena cessava.

Mihi magis placet prior illa resolutio, quæ juri, & superius dictis conformis est.

- 9 Illud tamen adverte, quòd si causa criminalis habet mixtam causam civilem, ut est causa deflorationis mulieris, vel alia, in qua ultra pœnas criminales, petatur satisfactio, damnum, & emenda, de quo criminalium causarum auditores, in consequentiam delicti, cognoscunt, si sententia executioni datur in partibus, hoc est, ultra locum, ubi senatus est, & ultra quinque leucas, & iudex executionis aliquid pronuntiat, de qua pronuntiatione appellatio interponitur, seu gravamen aliquod (ut nostri vocant) cognitio tam appellationis quàm gravaminis pertinet ad auditores criminalium appellationum, qui priorem sententiam in casu appellationis tulerunt, ex Ord. libro 3. tit. 71. §. 28.
- 10 Et idem observatur, si hoc eodem casu ille, qui appellavit, non prosequatur appellationem, & alius petat diem comparitionis (*dia da parecer* dicitur) qui per hoc casu potest, ratione satisfactionis, & damni, Ord. lib. 3. tit. 25. §. 8. hujus namque diei comparitionis cognitio pertinebit ad eosdem auditores appellationum criminalium, qui sententiam tulerunt, quæ exequitur: & ita in his omnibus casibus, in senatu vidi semper observatum, & decretum anno 1591.
- 11 Illud etiam notandum est, quòd causæ super multis (quas, *coimas*, vocamus) sunt civiles, & ad iudices civilium causarum pertinent, non verò ad iudices causarum criminalium, eò quòd pœnæ hæ, & multæ contentæ in decretis decurionum civitatum & oppidorum (dicuntur, *acordos & posturas de Camaras*) pertineant ad Concilia oppidorum, uti bona propria: latum fuit super hoc arrestum anno 1565. Et ego vidi sententiam, & processum, qui est apud scribam causarum regis coronæ.
- 12 Decretum etiam vidi in senatu, quòd appellatio à sententia lata in quodam processu, in quo pars convenerat scribam quemdam pro interesse, & damno, quod ei dederat, eò quòd sententiam quandam in actis non registrarat, ut debuerat, ex quo parti secuta est incarcerationio, & alia damna multa, & diminutio patrimonij, non pertinebat de ea cognoscere ad auditores appellationum criminalium, nec ad iudicem cancellariæ, sed ad expeditores appellationum civilium.
- 13 Idem etiam decretum vidi in quodam processu civitatis Eborensis, in quo pars convenerat quemdam scribam pupillorum, eò quòd in actis terminos quosdam non fecerat, ex quo secutum est damnum prædictæ parti circa emptionem bonorum cuiusdam pupilli, & vide Bossium, tit. de offic. corrupto pecc. Aviles in lib. Pratorum in princ.
- 14 Decretum etiam fuit in senatu, quòd appellatio à sententia processus, in quo accusatus fuerat quidam, quòd officium scribæ gerebat absque litteris, seu Regis charta, pertinebat ad auditores appella-

tionum criminalium, & non ad iudicem cancellariæ: cum enim chartam non haberet, officialis dici non poterat, & sic non est de jurisdictione iudicis cancellariæ, qui solum iudex officialium est: eò quòd tamen crimen illud commisit, appellatio à sententia pertinebit ad auditores appellationum criminalium, ut dixi.

Contrarium decretum fuit anno 1598. in pro-<sup>15</sup> curatore quodam *do numero*, qui accusatus fuit, quòd procuratoris officium exercebat sine litteris Regis, & ostensa sunt multa senatus decreta, per quæ iudicatum fuerat has causas pertinere ad iudicem cancellariæ per appellationem, & scriba cancellariæ habet processus in suo chartorio.

Nota etiam, quòd per novellam regni 4. p. tit. 6. <sup>16</sup> l. 4. prohibitum est scribis ædiliis, in locis ubi officia gerunt, ne pecudes habeant: dubitatum fuit, ad quem iudicem pertineret appellatio à sententia, in qua unus scriba ædiliis accusatus fuerat de hoc crimine? & decretum est, quòd ad iudicem cancellariæ, eò quòd illa prohibitio erat ei facta ratione officij, & delinquendo in officio, iudex prædictæ appellationis est iudex cancellariæ, anno 1581.

Decretum etiam fuit, quòd ad auditores appella-<sup>17</sup> tionum criminalium non pertinebat cognitio appellationum, in quibus scribæ iudicum Ecclesiasticorum accusati fuerant, eò quòd excedebant taxam in salariis Scripturæ contra dispositionem Ord. l. 2. tit. 10. imò quòd huiusmodi appellationes pertinebant ad iudicem cancellariæ, quod nota.

Disponit Ord. lib. 1. tit. 9. §. 11. quòd auditores<sup>18</sup> appellationum criminalium faciunt libros, in quibus reos delinquentes scribant his verbis:

*Os ouvidores façõ livros em que ponhão, cada hum quando vir os feitos, & inquirições, os mal feitos que acharem culpados, & daloshão em escrito ao Corregedor da Corte pera os mandar prender & trazer se taes pessoas, & feitos forem, que se aião de livrar na Corte, ou os mandara ouvir nas terras onde os maleficios fore feitos.*

Quod intelligendum est, etiam si non sint partes in his actis, quia ex actis inter quosdam potest procedi contra alios. Bart. & Plat. in l. de submersis, C. de naufragis libro 11. Bartol. in Extravag. ad reprimend. in verb. per inquisitionem. Dec. in c. at si cleric. num. 30. de iudicis, & est similis Ord. lib. 1. tit. 36. Paragrapho pen. Dubitatum fuit in senatu circa hanc legem, si eo casu, quo inquisitio per appellationem ad auditores appellationum criminalium venit, & pronuntiant, quod obligat reum, dicitur nostro idiomate (*pronunção a tal devassa por obligatoria*) an talis inquisitio manere debeat in curia: & decretum fuit, quòd non, sed quòd iterum debebat reverti ad partes, unde venerat, & in partibus delinquentes erant accusandi, libro Ephera, 3. folio 108.

Hoc dubium vidi propositum in mensa magna<sup>19</sup> coram Rectore senatus, die 27. Iunij. 1592.

Quatuor appellationes criminales per distributionem, ut apud nos fit, auditori appellationum criminalium assignatæ fuerunt, qui auditores quatuor numero sunt in senatu supplicationis, assignatæ sunt uni, & per errorem alteri fuerunt datæ: hic verò, cui distributæ non fuerunt, illas expedivit; dubitabatur an sententiæ validæ essent, an nullæ,

cum

cum expeditæ fuerint per senatorem, cui non fuerant distributæ? Conclufum fuit, quod tales sententiæ fultinendæ erant: iudex namque auditor ille, qui eas expeditit fine distributione, non erat incompetentens ratione iurisdictionis criminalis, immo competentens, cum auditor effet appellationum criminalium, ut alter, cui distributæ fuerant, & sic non poterat huic casui applicari dispositio *Ordin. libr. 5. tit. 58. §. 2.* quæ sic intelligenda est, sed solum erat incompetentens ratione distributionis, quæ inter auditores fit, ut seruetur æqualitas: quod non tanti erat momenti, ut sententiæ prædictæ tolerandæ non essent; multa namque contra strictam interpretationem juris recepta sunt, ut acta valeant, quæ aliàs non admitterentur, *Ias. in l. 1. col. 4. D. verb. obl. Gomez. in regul. utriusque signaturæ q. 16. fol. 163.* facit in argumentum *l. 9. tit. 22. p. 1. extravag. quæ loquitur in scribis.* & sic senatus decrevit, maximè, quia in prædictis præcessoribus nulla erat pars, sed solum officium iustitiæ, & ut aliis auditoribus quatuor aliæ appellationes in locum illarum distribuerebantur.

## DECISIO XV.

De vocatione testium ad curiam, testimonij ferendi causa.

## SUMMÆ.

1. Referuntur Leges regni in hac materia disponentes.
2. Vocatio testium ad curiam fit ex officio iudicis, non ad petitionem partis.  
*Verba (por bem da justiça) quid significant. Ibidem.*  
*An stante lege Dominica, qua in causis capitalibus sex iudices esse iubet, necessum sit, quod in vocatione testium ad curiam idem sex esse debeant, an verò quinque? Ibidem.*
3. Refertur decretum senatus circa vocationem testium ad curiam, quando ad instantiam partis vocantur.
4. Limitatur decretum senatus superius positum in testibus, degentibus in locis intra quinque leucas à curia.
5. An præfides provinciarum, quos correctores vocamus, possint vocare testes ad instantiam partis à locis intra suam provinciam?  
*Hoc non habet locum in testibus degentibus in locis extra provinciam correctorum. Ibidem.*
6. Quando taxanda sunt expensæ, quæ dantur testibus ad curiam vocatis.  
*Quod notandum est ad legem regni Castella, 16. titul. 11. lib. 2. novæ Recopilationis. Ibidem.*

**H**abemus in hac materia duas leges regni libro 1. tit. 1. §. 20. unam, alteram & amplio-rem, ad quam illa se refert, eod. lib. tit. 9. §. 6. incipit, *E se for denuncição. vers. E seo feito*, quæ dat formam, quomodo testes vocandi sunt ad curiam, ut testimonium ferant.

**E**t notandum est, quod hoc fit, servata forma præscripta, *d. tit. 9. §. 6.* & ex officio iudicis, ibi (*por bem de justiça*) non autem ad petitionem partis, hoc enim verba hæc sibi volunt *Ord. lib. 1. tit. 5. §. 5. & lib. 5. tit. 1. §. 1. cap. cum clamor. de testib. Vaz. consult. 43. n. 17.* & in quantum prædicta *Ord.* mentionem facit quinque iudicum, intelligenda est, attento eo,

quod illo tempore quinque iudices dabantur in causis criminalibus capitalibus, ex *Ord. tit. 1. §. 9.* nunc verò cum per legem Dominicam sex iudices requirantur in processibus capitalibus, sex etiam videntur concordēs esse debere in vocatione testium ad curiam in dictis causis capitalibus: quod tamen nota, & cogita, quia aliud servatur in senatu, ne leges extendantur ultra casum, quem loquuntur.

Quæstionis est, si in aliquo processu data copia probationis, pars una petierit, ut testes ad curiam veniant testificari in qualicumque iudicio in prædicta curia, senatuque supplicationis agitato, pignoraque deposuerit, seu pecuniam, ex quibus testibus solvatur, an vocandi sint iussu solius prætoris curialis, aut alterius senatoris? Decretum fuit quod non, sed quod debeat omnino servari forma præscripta in *d. Ordin. libr. 1. tit. 9. §. 6.* ut id fiat in mensa magna concordatis quinque senatoribus.

Quod tamen fallit, quando testes degunt in aliquo loco intra quinque leucas à curia seu à loco, in quo senatus est: tunc namque cum sit territorium ipsius curiæ, *Ord. lib. 1. tit. 5. in princ. & lib. eod. titul. 6. §. penult. ibi (& deredor ate sinquo legoas) & l. 1. tit. 15. §. penult. & lib. 3. tit. 11. in princ. & aliis locis.* notat *Greg. Lopes in l. 27. part. 2. tit. 9. Humad. in glossis partitarum, l. 3. tit. 16. q. 2. gloss. 10.* solus prætor aut senator poterit testes iubere venire ad testimonia ferenda ad curiam seu locum, ubi senatus residet, & sic censuit senatus, & vide *decisionem Pedemontan. 46.*

Illud etiam iudicatum vidi in senatu, quod quilibet præses provinciæ, quem (*Corregedor da Comarca*) vocamus, solus potest per se iubere, ut veniant testes ad locum, ubi ipse est in dicta provincia seu (*comarca*) ad testificandum ad instantiam alterius partis, depositis pignoribus, seu pecunia, ad satisfaciendum testibus pro impensis itineris, & damno causato in suis officiis, seu (*misteres*) ut nostræ leges loquuntur, dummodo degant prædicti testes intra provinciam, seu comarcam: si enim extra degant, non poterit id facere, sed requireret iudicem seu præsidem alterius provinciæ, juxta morem consuetum, ut coram eo testimonia ferant. Ita decrevit senatus anno 1577. in instrumentum quodam gravaminis, oppidi de Guimaranes, & vide *Ordin. libro 3. tit. 42. §. 5.*

Quomodo autem taxandæ sint expensæ hæc, quæ dantur testibus ad curiam, seu senatum vocatis, vide *Ordin. lib. 1. tit. 70. §. 14. incipit (E por que acoitege muitas vezes) & Specul. titul. de expens. §. Postremo. num. 9.* quæ expensæ victori debentur, & ita decrevit senatus anno 1533. de quo extat *Novella regni, part. 1. titul. 24. l. 2.* quæ desumpta videtur ex dicto *Bald. in l. non ignorat. n. 3. C. de fruct. & litium expens.* quod nota ad *l. 16. tit. 11. novæ Recopilationis Regni Castella.*

## DECISIO XVI.

De Decimis litium, & intellectu regulæ Cancellariæ.

## SUMMÆ.

1. Tenor regulæ Cancellariæ ponitur

2. Decima litis est jus regale debitum post latam sententiam.  
De jure communi tam actores, quam rei hanc decimam solvebant. Ibidem.  
De jure nostri regni, solum rei condemnati decimam solvunt. Ibidem.
3. Decima tantum solvitur, quando sententia profertur à iudicibus in regula contentis.
4. Decima solvitur, attento eo, quod petitur in libello, & non eo, quod exigitur, si plus est.  
Limitatur quando sententia condemnat in eo, quod liquidatum fuerit, quia tunc solvitur secundum quod liquidatur. Ibidem.
5. Si plus petitur in libello, quam condemnetur in sententia, attenditur ad condemnationem sententia. Si fiat aestimatio litis ultra modum, potest de ea conqueri. Ibidem.
6. De sententiis de præcepto de solvendo non solvitur decima.  
Præceptum de solvendo non est propriè sententia. Ibidem.  
Non dicitur propriè condemnatus, qui ex sua confessione iussus est solvere. Ibidem.  
De sententia de præcepto non solvitur gabella, etiam stante statuto, quod de sententia condemnatoria solvatur gabella. Ibidem.  
Causa, in qua quis confitetur debitum, summaria est, nec in ea requiritur ordo juris, & tantum fit præceptum quod solvat, de quo datur mandatum nomine iudicis, quod non transit per cancellariam. Ibidem.
7. De sententiis de præcepto non solvuntur sportula.
8. De sententiis interlocutoriis non solvitur decima.
9. De sententiis interlocutoriis sportula non debentur.
10. De sententiis arbitratorum non solvitur decima.
11. De sententiis arbitratorum non solvitur decima, etiam si compromissum sit confirmatum per Regem.
12. Intelligitur §. regula cancellaria.

**A**cturus de decimis litium, juxta regulas cancellariæ, & consuetudinem illius, libet hoc loco regulam priorem adjungere.

Nos vemos dezima de qualquer sentença dada en nosse Corte, & casa da applicaçõ, edo civil, que nellas se começarẽ per ante cada hum de nosfos Desembargadores, & ouvidores, iviz de nosfos feitos, & nosso chancelier mor, Desembargadores do agravo, & ouvidores da Rainha, sobreivizes, veedores da nossa fazenda & de outros officiaes que jurisdicção tenham, en cada huã das ditas casas ordinaria, ou por nossa commissão, ou de outrem que poder tenha de cometer.

2. Est autem decima litis, jus quoddam, quod Regi solvitur post sententiam latam, ut & de jure erat l. Generaliter, a. i. C. de Episcopis & clericis, ubi DD. §. Hæc autem, Instit. de pœna temerè litigantium, tradit Bald. in l. fratres. C. de transactionibus, Rebuff. in tract. de decimis. quo tamen jure attento, tam actores, quam rei hanc decimam solvebant, Authent. de litigiosis, & de decima parte litis §. ad excludendas, coll. 8. gloss. in d. §. hæc autem. De jure tamen nostri regni, solum rei condemnati decimam solvunt, ex regul. cancellaria 6. ibi (Eas ditas dezimas pagarão as partes que condemnadas forem assi das custas como das penas, se julgadas forem, & bem asy do principal.
3. Et ita practicatur: & tunc demum solvitur, quando sententia condemnatoria profertur à certis

iudicibus in regula contentis, quam videre poteris.

Solvitur autem hæc decima, attento eo, quod petitur in libello, Bart. in l. in offerendis, C. de appell. Rebuff. ubi sup. d. q. 3. n. 20. & non eo, quod exigitur, si plus est. Si tamen in sententia addatur, quod iudex condemnat in eo quod liquidatum fuerit, tunc solvetur decima de eo, quod liquidatum fuerit, & sic servatur.

Sed quid, si plus petatur in libello quam condemnetur in sententia? Dic, quod attenditur ad condemnationem in sententia factam, ut de tali condemnatione solvatur decima: immo si aestimatio litis fiat ultra modum, poterit de ea conqueri, ut per Bart. in d. l. in offerendis, num. 2. & in l. ult. §. ult. C. eod. tit. de appell. ad effectum, ne majorem decimam solvat.

Hæc decima non solvitur de condemnatoriis sententiis latis per præceptum de solvendo, ut scilicet quando præcipitur cuipiam, ut solvat ex confessione sua, Bart. in l. i. n. i. D. de confes. Fel. in rubr. n. 11. de re jud. Nec enim præceptum de solvendo est propriè sententia, l. i. junct. gloss. D. de confes. nec propriè condemnatus dicitur, qui ex confessione iussus est solvere, Bart. d. l. i. ubi refert ad statutum quo cavetur, ut de qualibet sententia condemnatoria solvatur gabella, quia non solvitur de confessione seu præcepto de solvendo, refert Soar. l. post rem jud. not. 3. n. 1. ad fin. D. de re jud. notant DD. in l. si debitori. D. de jud. Bart. in l. non fatetur, n. 5. D. de confes. Fel. ubi supra. Et causa, in qua quis confitetur debitum, summaria est, & eo ipso quod debitor confitetur, non requiritur alius ordo juris, sed tantum fit illi præceptum quod solvat, de quo datur mandatum nomine iudicis, quod non transit per cancellariam, Bald. d. l. si debitor. 1. lect. & est text. & ibi Bart. & DD. in l. unica, C. de confes. Marant. in pract. folio 446. n. 21. & fol. 200. num. 53. DD. in l. de etate, §. i. D. de interrogat. act. & act. & in l. proinde. §. notandum D. ad l. Aquil.

Ad eo ut anno 1393. decretum in senatu fuerit, quod de sententiis latis per præceptum de solvendo non deberentur sportulæ, quod & de jure est, non enim debentur sportulæ in causis summaris & in quibus pars confessæ est, Rol. cons. 87. n. 22. vol. 2.

Illud notandum est, quod de sententiis interlocutoriis non solvitur decima. Felin. d. rub. n. 14. post gloss. in cap. dudum. 20. de elect. verb. respons. quam commendat. Alex. ad Bart. in d. l. non fatetur, & in l. §. n. 4. D. de verb. obl. Iaf. in l. imperium, num. 6. D. de jurisdic. omnium jud. ut etiam de sententiis interlocutoriis sportulæ non debentur. Novella regni part. 7. tit. 7. l. 1. §. 2. ibi (os julgarem, & determinarem finalmente.)

Et ego vidi processum quemdam super recusatione cujusdam senatoris, commissum per Regem tribus iudicibus extraordinariis (cancellarius namque iudex est ordinarius harum recusationum, ex novella regni p. 1. tit. 1. l. 1. §. 4.) & volebant habere sportulas de tali sententia, & eis denegatæ fuerunt: quod obiter dictum velim.

A sententia arbitratorum non solvitur decima, Iaf. in l. i. n. 4. D. de re jud. Felin. in rubr. de mutuis petitionibus. Rebuff. ubi supra, q. 3. n. 20. & facit Ord. lib. 2. tit. 31. §. (& os sacadores.)

Vidi

11 Vidi tamen dubitatum in senatu, an si compromissum fuerit per Regem confirmatum, ut quotidie fit, emissa regia provisione, deberetur decima ex tali sententia arbitratorum? & ratio dubitandi erat ex verbis regulæ cancellariæ §. 2. cujus hæc sunt verba:

*E asy averemos dizima da sentença condemnatoria que de algum iuiz que seya dado por nos a alguã parte de gracia & a seu pedir.*

Decisum tamen fuit, quòd à sententia arbitratorum, etiam si sit confirmatum compromissum per Regem, non debeatur decima.

12 Et ad prædictam regulam respondetur, quòd loquitur in iudicibus delegatis à Principe, de quibus loquitur Ord. lib. 3. tit. 29. §. 4. in fin. & alia Ordinationes, non verò in arbitris à partibus electis, licet nõ confirmatis à Rege: hi enim arbitri non dantur à Rege, sed à partibus eliguntur, & solum Rex confirmat ad aliquos effectus juris: & hoc nota, quia sic decretum fuit in senatu; & ad materiam adde dictũ Bald. l. non ignorat n. 2. C. de fructib. & litium expensis.

DECISIO XVII.

Ponuntur aliquot casus in senatu decisi, circa decimas litium, & intelliguntur nonnullæ regulæ Cancellariæ.

S U M M A.

1. Iudices sæculares cognoscunt in certis casibus de causis exemptorum.
2. An in casibus, in quibus iudex secularis cognoscit de causis exemptorum, debeat exemptor condemnatus decimam litis solvere?
3. Resolutio quæstionis, & redditur ratio illius. Iudex causa principalis etiam est iudex in accessoriis & dependentibus. Ibidem.
4. Quando personæ Ecclesiasticæ possunt conveniri coram iudicibus sæcularibus, leges sæculares sunt servandæ in decisionibus causarum.
5. Intelligitur Extrav. regni, l. 12. tit. 13. p. 5.
6. Cui conceditur privilegium, ut non solvat relevium in Cancellaria, excusatur à solutione decimæ litis.
7. Intelligitur regula cancellariæ in §. 11. & 12. & Ord. lib. 1. tit. 13. §. ultimo.
8. Casus notabilis in materia exactiois decimæ in cancellaria.
9. Resolutio dubij, & casus superius positi.
10. Alius casus notabilis in hac materia.
11. Pendente supplicatione, decima non exigitur, remissivè.
12. A sententiis præsidum, qui cognoscunt loco iudicum, non debetur decima.
13. Leges regni Castella citantur, remissivè.

1 Iudices sæculares cognoscunt in certis casibus declaratis in Ord. l. 2. tit. 1. in pr. de causis exemptorũ.

2 Dubium fuit, cum Archiepiscopus N. conventus fuisset coram prætore curiali juxta prædictam Ord. & condemnatus fuisset, deberetne decimam solvere, ut quilibet alius reus condemnatus: & inveni, quòd hoc idem dubium fuerat jam olim agitatũ inter regium procuratorem, & Monasterium S. Crucis civitatis Conimbricensis, & lata fuit sententia anno 1579.

Et in casu prædicti Archiepiscopi, & in alio casu Ecclesiæ majoris civitatis Olyssipp. conclusum fuit, quòd decimam tenebantur solvere, ex sententia condemnatoria contra ipsos lata: ratio illa est, quia cum personæ Ecclesiasticæ in his casibus responderent coram iudicibus sæcularibus ex d. Ord. poterant condemnari in decima litis, sicut & in principali condemnati fuerunt; est namque condemnatio decimæ tamquam pœna, quæ sequitur principale, posita contra eos qui temerè litigarunt, & condemnati sunt, unde quemadmodum iudices sæculares poterant hoc casu condemnare in principali, cum competentes essent eo casu, sic & in accessorio: iudex namque causæ principalis, iudex etiam est in accessoriis, & dependentibus. *Clem. dispensiosam, de jud. ibi. quoquo modo tangentes, & ibi notat Card. col. antep. q. 36. Menoch. de arbitr. l. 1. q. 45. n. 13. & in specie est optima Ord. lib. 2. tit. 6.*

Et quando personæ Ecclesiasticæ possunt in aliquibus casibus à jure expressis conveniri coram iudicibus sæcularibus, leges sæculares in decisionibus causarum servandæ sunt. *Calder. conf. 11. sub tit. de const. Reb. ad 11. Gall. tom. 3. tit. de testib. gloss. 2. numero 1. & reg. cancellariæ generaliter loquitur, & sic generaliter est intelligenda, l. de prec. D. de publ. in rem action.*

Non obstat huic decisioni novella regni. l. 12. tit. 13. p. 5. quia loquitur in aliis decimis, quæ solvuntur ratione mercium, à quibus & aliis gabellis clerici immunes sunt, & non minus, de immun. Eccl. At decima hæc, de qua loquimur, solvitur tamquam pars condemnationis, & sententiæ, & eodem modo quæ fit executio pro principali & expensis, ex d. Ord. libro 2. titulo 6. ita & fit pro decima hac litis.

Hoc tamen limitatur, nisi alicui concedatur privilegium speciale, ne solvat relevium, id est, illud jus quod in cancellaria solvi solet: tunc enim à decimæ hujus solutione exempti sunt, ut habebat d. Monasterium S. Crucis, & habent aliqua personæ etiam sæculares ex privilegio regio: cessante autem privilegio, standum est juri, & regulæ cancellariæ, ut decima hæc solvatur: & ita iudicatum fuit, ut diximus, meo tempore, in illis duobus casibus prædicti Archiepiscopi, & Ecclesiæ majoris Olyssipponensis.

Alterum dubium vidi controversum in senatu circa intellectum regulæ cancellariæ §. 11. & 12. & Ord. lib. 1. tit. 13. §. ult. in illis verbis:

*Se a sentença condemnatoria não passar de contia de trinta mil reis, o vencedor pague logo ao tirar da sentença da Chancellaria toda a dizima que nella montar rufus & infra ibi, & sendo a condemnacão de maior cõtia, não sera theudo o vencedor pagar dizima, nem vintanta ou quarẽtenta da tal condemnacão, mas tirar seha a verba da dita condemnacão pera por olla fazer carra de execucao.* Is namque casus contigit.

Heredes cujusdam testatoris debitorem hereditarium convenerunt, pro summa de quadraginta mil. numorum regal. nostræ monetæ, quam defuncto debebat: lata fuit sententia in favorem heredum, & condemnatus debitor ad summam petitam solvendam, quo tempore sententia per cancellariam transivit, à prædictis heredibus qui actores fuerant in causa. Petita fuit decima, juxta dictum

Etum §. Ordin. dicebat namque receptor pecuniæ regiæ dictæ cancellariæ, quod duo erant heredes actores petentes, & qui vicerant in causa, & unusquisque ex illis vincebat minorem summam de triginta mil. numerum regalium: divisa namque tota summa ad unum viginti, ad alterum viginti numerum regalium mil. pertinebant, & sic §. ille 12. induci debebat.

Pro parte verò heredum allegabatur, quod condemnatio in sententia mil. numerum regalium simul & unus solus reus debitor condemnatus, ita ut unica sententia, & unica condemnatio fuerit, & poterat contingere, quod in divisione hereditatis, quæ adhuc facienda erat, totum illud debitum de quadraginta mil. numerum regalium uni soli heredi ex illis adjudicaretur, & ob id non debebat nunc dividi summa illa in præjudicium eorum ad effectum prædictæ decimæ solvendæ, sed erat potius coaccervanda, & unienda in præjudicium, & odium condemnati, ut ab illo exigetur, juxta dictam Ord. in vers. (E sendo) & reg. cancellariæ. §. 11. ibi (se a condemnacão asim do principal como custas passar de trinta mil reis, &c.)

9 Conclusum fuit, quod summa non debebat dividi, argumento text. in l. si idem cum eodem. §. fin. D. de jurisdictione omnium judicum, & l. cum quedam puella. D. eodem, & in l. si quis separatim, D. de appellat. immo quod decima, hoc casu, exigenda erat, juxta formam præscriptam in d. §. 11. & in d. Ord. versic. (E sendo)

10 Pari modo, è contrariò: si duo condemnati fuerint in summa de quinquaginta mil. numerum regalium, tamquam heredes debitoris alienius, non dividetur talis summa ad effectum, ut statim exigatur decima, ut unusquisque solvat pro dimidia viginti quinque mil. regalium, ut in regula cancellariæ. §. 12. sed exigi debet secundum formam contentam in d. §. 11. & Ord. ubi supr. supr. vers. (E sendo) & ita judicatum fuit in his casibus.

11 Illud nota, quod per legem reformationis justitiæ, §. 25. pendente supplicatione, quam (agravo ordinario vocamus.) & alibi diximus, decima non exigitur: quod tamen declarandum est, ut sequenti decisione dicetur.

12 Adverte etiam, quod de sententiis latis à præsidibus provinciarum, quos [Corregedores das Comarcas] vocamus, in causis, quarum cognitio directè pertinebat ad iudices oppidorum, non debetur decima, de quo est novella nostri regni, 1. p. tit. 17. l. 3.

13 De decimis autem executionum, quæ in regno Castellæ solvuntur, vide l. 1. cum sequentibus, tit. 21. lib. 4. tit. 6. lib. 3. & l. 32. tit. 4. lib. 3. nova Recopilationis.

### DECISIO XVIII.

De eadem materia, & quis sit iudex competens in causis decimarum litium.

#### S U M M A.

1. Tenor regulæ Cancellariæ, in §. 20.

2. Intelliguntur singula verba hujus regulæ.

3. Quando sententia revocatur, cur non statuitur idem in regula cancellariæ, quam quando annullatur.

4. Intelligitur Ord. lib. 3. tit. 16. §. 1. ibid.

4. Redditur discrimen hoc casu inter sententiam qua revocatur, & qua annullatur.

Ex contractu nullo gabella non debetur. Ibidem.

5. Intelligitur regula Cancellariæ, in §. 21.

6. Limitatio supra dictorum.

7. Etiam hodie, stante lege reformationis, potest exigi decima ex priori sententia, & est casus notabilis.

8. Decima solvi debet in cancellaria illius tribunalis, ubi ultima sententia condemnatoria lata fuit.

9. Tenor decreti senatus ponitur, & aliorum mentio fit.

10. Quis sit iudex competens in causis decimarum litium, late tractatur.

Ord. lib. 1. tit. 45. §. 7. ibi [iuiz dos nossa feitos] quomodo sit intelligenda. Ibidem.

UT quæ dicturi sumus, melius percipiantur, libet hic adjungere verba regulæ cancellariæ. §. 20.

E mandamos que posto que as sentenças, de que as ditas dizimas, vintenças, quarentenas, haõ de pagar, seião revogadas no caso de agravo, não se escusarão por estas partes condemnadas de as pagar, salvo se as sentenças forẽ avidas & declaradas por nenhũas, por que entãõ se não devẽ de pagar, & se as ia pagas reverẽ seião tornadas as partes e descarregadas sobre o recebedor que as rever recebidas, por quanto el sentença que foi avida por nenhũa se não deve pagar dizima, vintenaõ nem quarentena. Mas se for revogada pellos iuizes do agravo em parte, ou em todo a poderã a parte condemnada demandar, & recobrar da parte vencedor toda a dita dizima, vintena, ou quarentena que da sentença revogada pagou: ou soldo a liura da quella parte em que a sentença foi revogada & corregida, & así mandamos que se cumpra.

Notandum est, quod illa verba supra posita, ibi, apodera a parte condemnada demandar, intellige [condenada na primeira sentença & melhorada no agravo,] & altera verba, ibi [e recobrar da parte vencedor] intellige vencedor na primeira sentença, & venci do no agravo.

Dubium fuit circa hanc regulam in secundo casu, quando sententia revocatur, cur non statuitur idem, quod quando annullatur, ita ut utroque casu decima non debeat: immo in secundo disponit hæc regula, quod pars, quæ decimam solvit, si in supplicationis instantia, id est [pellos iuizes do agravo] revocata fuerit, ab alia parte decimam repetat, intelligendo illa verba, ut superius intelleximus. Et dicendum est, quod ratio discriminis inter utrumque casum in eo versatur, quia Ord. libro 3. tit. 77. §. ult. disponit, quod elapsis sex mēsisibus si supplicatio non sit, sententia prior executioni detur: & si executioni data fuerit, & postea in iudicio gravaminis revocetur in parte, seu in toto, observetur id, quod fieri solet, quando sententia revocatur oppositis exceptionibus, juxta alteram Ord. lib. 3. tit. 16. §. 1. quæ inquit, quod hoc casu actor solvat totum id, in quo condemnatus fuit, & duplum nomine pœnæ, & expensas litis, & decimam litis, & quæcumque alia jura, quæ reus solverat ratione talis condemnationis: & idem erit, quando absolutus fuerit reus in parte, & non in toto. Cum igitur reus decimam, quam solvit, si postea revocetur sententia, repetit ab actore, bene sequitur, quod nomine

mine pœnæ hoc casu duas decimas solvit : unam reo, alteram Regi, quod speciale est in hoc casu, & is solus est, in quo actor de jure nostro decimam litis solvit, juxta *Auth. de litigiosis. §. ad excludendas. collat. 8.*

4 Quando verò sententia annullatur, diversus casus est, quia tunc non debetur decima, quemadmodum nec ex contractu nullo gabella debetur, l. 2. ubi Bald. C. de Eunuchis. Avendan. resp. 13. num. 3. Lassarte de decima vendition. cap. 14. numer. 1. ubi plures refert.

5 Juvat hunc intellectum regula cancellariæ 21. quæ continuativè ad regulam 20. disponit, quod si procurator Regis fuerit actor, & vicèrit in prima sententia, si postea in secunda victus fuerit, tali casu reus decimam repetat, à receptore pecuniæ regiæ : ratio est, quia cum hoc casu Rex, id est, eius procurator actor fuerit in causa, repetitio decimæ, quæ fit per reum ab eius receptore, sufficit, & locus non est pœnæ : siquidem Regi solvitur decima ipsa, quam hoc casu iterum solvit.

Extra verò hunc casum inter alias partes servatur §. 20. declaratus, ut supra.

6 Hoc tamen intelligitur, quo casu decima soluta fuerit, cum effectu per reum, juxta Ordin. libro 1. tit. 13. §. ultim. si enim soluta non sit, tunc non est locus decimæ : siquidem à reo exigere non potest, qui in secunda instantia sententiam reportavit, nec ab actore per reum, siquidem reus illam non solvit, & sic intelliguntur illa verba in reg. posita *recobrar, & pagou.* faciunt & verba Ordin. lib. 2. tit. 10. §. 1. ibi, *dizima & qua esquer outros direitos que o dito reo por rezão da dita condemnação tiver pagos*, id est, cum effectu, & secundum hunc intellectum sæpè in senatu judicatum fuit.

7 Notandum etiam est, quod stante lege reformationis justitiæ in Paragrapho 35. etiam hodie, ut elapsis sex mensibus, si is, qui supplicaverit, sententiam pro se non reportaverit, exequi potest, ita etiam potest exequi decima, ut judicatum fuit in senatu, anno 1588. in quodam processu, scriba Ludovico Carvalho : & hoc casu, si reus postea vicèrit, decimam repetet ab actore, ut supra diximus; siquidem actor voluit sententiam executioni dare : quod si de executione non ageret, & reus postea victor existeret, cum decimam non solverit, non est cur ab actore repeti debeat, id quod per reum solutum non fuit, & hic verus est intellectus hujus regulæ, quæ ut obscura est, sic obscuris verbis eam declaravimus.

8 Illud sæpè in senatu judicatum fuit, quod decima solvi debet in cancellaria illius tribunalis, ubi ultima sententia condemnatoria lata fuit, juxta regulam cancellariæ §. 3. tenor sententiæ talis est :

*Acordão em rellação, que o supplicante pague a dezima na Chancellaria da casa da supplicação, como ia estã julgado em semelhante caso, por ser aderra deira sentença, & ser condemnatoria, & lhe se ia tornado openhor, que pos na Chancellaria da casa do civil.*

Lata est hæc sententia ann. 1584. contra quemdam Antonium Teixeira : altera similis lata fuit in favorem Odoardi Roiz de Serpa, quinta die Maij anno 1585. altera etiam lata fuit contra Ludovicum de Torres in mense Aprilis eodem an. 1585. scriba processuum fuit Ludov. Carvalho.

Reliquum est, dispiciamus, qui sint iudices competententes in causis decimarum; & dicendum est, quod de decimis, quæ solvi debent in cancellaria senatus supplicationis, est iudex cancellariæ, per Novellam regni p. 1. tit. 3 §. 1. l. 1. Si verò solvi debent in cancellaria senatus Portucalensis civitatis, cognitio pertinebit ad iudicem cancellariæ illius senatus, qui in eo utitur eadem jurisdictione, qua iudex cancellariæ in senatu supplicationis.

Si verò causæ decimarum in partibus tractantur, distinguendum tunc est. Nam si quis eximi vult à solutione hujus decimæ, ratione privilegij alicujus, vel quia persona Ecclesiastica est, ita ut lis tangat proprietatem ( ut sic dicamus ) ipsius decimæ, pertinet cognitio appellationum seu gravaminum ad iudices regiæ coronæ, & sic intelligenda est Ordin. lib. 1. tit. 45. §. 7. ibi ( *iviz dos nosos feitos* ) quæ et si loquatur in instrumentis gravaminum, locum etiam habere in appellationibus conclusum fuit in senatu : idem in simili disponit Ordin. lib. 1. tit. 7. §. 1. ibi, *quando se não tratar da propriedade delles, & procurator regiæ coronæ de jure Regis ager in tali causa : immò si verum amamus, etiam si causa hæc de proprietate decimarum in senatu tractaretur in prima instantia, cognitio pertinere videtur ad iudicem causarum coronæ, & non ad iudicem cancellariæ, quamvis contrarium observetur, ex generalitate dictæ Novellæ regni §. 1. ibi, *Passara as cartas das execuções das dezimas sentenças que se derem na Corte, & casa da supplicação, & comecera dos feitos que se sobre ellas ordenarem, os qua es desembargara em relação.* Et sic notandum est, quod per hanc legem solum cognoscit de decimis debitis ex sententiis latis in senatu supplicationis, quod poterat intelligi secundum priora verba, quando agitur per viam executionis, non verò quando agitur de proprietate, ut in casu Ordin. lib. 1. tit. 7. §. 1. Sed ut dixi, aliud practicatur ex illis verbis dicti §. 1. ibi, *que se sobre ellas ordenarem*, ut referatur ad decimas.*

Si verò processus per appellationem è partibus, ut vocant, ad senatum veniunt, vel per instrumenta gravaminum, & agitur in eis solum de exigendis decimis, & non de proprietate, pertinet cognitio ad iudices patrimonij regij, qui sunt in senatu supplicationis, quos vocamus, *ivizes da fazenda*, & ager Regis partes eius patrimonij procurator, quem vocamus, *procurador da fazenda*. probat Ordin. d. tit. 43. §. 7. ibi, *veedores da nossa fazenda segundo for a qualidade do caso de que se agravar* : hi enim iudices patrimonij successerunt in locum agentium in rebus, quos ( *veedores da fazenda* ) appellamus, ex Novella regni §. part. tit. 1. idem erit in appellationibus, seu gravaminibus venientibus à magistratu, quem vocamus *contador da cidade de Lisboa, & sua comarca*, de his enim appellationibus, & gravaminibus cognoscent prædicti iudices patrimonij regij, *ivizes da fazenda da casa da supplicação*, dum tamen, ut diximus, non agatur de proprietate decimarum, tunc namque cognitio erit iudicis processuum coronæ regiæ [ *dos ivizes dos feitos del Rei.* ]

## DECISIO XIX.

De salariis advocatorum, & an finita lite per clientem ei possit remuneratoria donatio fieri.

## S U M M Æ.

1. *Advocatus cum cliente pactum de quota parte litis facere non potest, & si illud faciat, nihil valet. Advocatus non potest pacisci de re particulari, sive certa, super qua litigatur, licet non sit per modum quota partis: potest tamen pacisci de alia re, quæ non sit ex petitis, nec super qua lis est ibid.*
2. *Valet pactum cum advocatione, lite finita, de quacumque re paciscatur.*
3. *De quo pacto hæc intelligenda sunt, & pactum quid sit.*
4. *An donatio remuneratoria facta advocatione ob laborem susceptum in lite, quæ multum temporis duraverat, & quæ magni momenti fuerat, ea finita valida sit.*
5. *Quæ admodum pactum, seu conventio, de quota parte litis cum advocatione non valet, sic reprobat, si cum medico paciscatur. Pœna imponitur advocatione, si tam de dimidia parte litis, quam de quacumque alia parte paciscatur. Ibidem.*
6. *Quo casu procedit regula, quod advocatus non potest facere pactum cum cliente de quota parte litis, &c.*
7. *Donatio remuneratoria fieri potest advocatione ob laborem susceptum, & patrocinium fideliter præstitum. Donatio non est pactum. Ibidem.*
8. *Quid iudicatum sit in hoc casu.*
9. *Donatio si, attenda qualitate personæ donantis, sit excessiva non valet, & repeti potest a donante per conditionem indebiti.*
10. *Intelliguntur Leges Regni Castella.*
11. *Quid sit in iudice, remissivè.*

**C**irca salaria advocatorum videnda est Ord. l. 2. tit. 71. & eod. lib. tit. 38. §. 20. incipit, *E defendemos a todos os procuradores que não f.ção avença com as partes que aião certa cousa, v. cedo lhes as demandas.* Ad quarum Ordinationum intelligentiam sciendum est, quod advocatus cum cliente pactum de quota parte litis facere non potest, & si illud faciat, nihil valet, probat text. in l. 1. §. si cui. D. de variis, & extraord. cognit. l. si quis advocatorum, C. postulando. l. litem, C. de procuratorib. l. si contra. C. Mandati, Gozadinus conf. 3. n. 23. Guid. Pap. dec. 102. nec item pacisci potest de re particulari, sive certa, super qua litigatur, licet non sit per modum quotæ. Bald. in d. l. si quis advocatorum, potest tamen pacisci de alia re, quæ non sit ex petitis, nec super qua lis est, secundum Ang. in l. sumptus. D. de pact. Bald. in d. l. si quis advocatorum, cessat enim tunc ratio legis. Azor. in summa. C. de postulando. col. 2. vers. Item Ioan. And. ad speculum tit. de salariis, §. sequitur. ver. illud certum. Guid. ubi supra, num. 20. Ferrar. cautel. 20.

2. Item valet pactum cum advocatione lite finita, de quacumque re paciscatur. Bart. in d. l. 1. §. si cui. & facit text. in l. unica. C. de suffragiis, l. si creditor. C. de pact. tradit Tiraq. de nobilitate, cap. 29. n. 27. Adeo ut promissum in quacumque quantitate licitè exigi

possit. Bald. in Auth. ad hac. col. pen. vers. insuper quaritur in fin. C. de usuris. refert Tiraq. ubi supra, numero 38.

Quæ omnia intelligenda sunt in pacto, de quo loquimur, inter illum & clientem. Est enim pactum duorum, plurimumve in idem placitus, & consensus. l. 1. de pactis, cum materia.

Dubium vidimus in senatu huiusmodi: An donatio quædam facta advocatione cuidam per clientem remuneratoria, ob laborem susceptum in lite magna, & quæ multum temporis duraverat, quæque magni momenti fuerat, ea jam finita valeret.

Dicebatur pro parte clientis, quod non; ex regula superius posita, quod pactum seu conventio, de quota litis reproberetur, cum potius metu causæ amittendæ cliens id videatur promittere, ne advocatus patrocinium neget, quam liberalitatis exercendæ, ut in simili de medico paciscente cum infirmo, probat text. in l. Medicus, D. de variis, & extraord. cognit. facit text. in l. salarium. D. mandati. glos. in d. l. si contra. C. eod. Quod locum habet, tam si pro parte dimidia litis, quam pro quacumque pactum sit, glos. in d. l. si contra. adeo ut non solum reproberetur conventio, sed etiam repellatur advocatus ab agendo in pœnam delicti, d. l. item. & privetur officio. d. l. si quis advocatorum.

Pro parte verò advocati allegabatur, quod causa acta jam erat, & finita, quo casu licita est pactio, d. l. 1. §. si cui. tunc enim jam non paciscitur dari aliquid incertum litis, sed datur certum. Item non est quota litis, quia cessavit lis.

Deinde regula illa prior procedit, ut diximus, ubi res aliqua, seu quantitas, ex his, quæ in iudicio petuntur, sit promissa: puta si compromitteretur inter illos, ut quidquid in lite advocatus obtineret pro dimidia, vel tertia, vel quarta, vel quantacumque parte, ad ipsum pertineret, probant jura supra citata. & Ord. d. §. ibi, certa causa, at de pecunia, vel alia re in genere, de qua non agatur pacisci licet, secundum Azon. Ioan. Andr. & Angelum ubi supra, præsertim si sit promissum ob bonum nuntium, secundum Guidonem, & Ferrariens. ubi supra.

Si igitur pactum fieri potest cum advocatione finita lite, & ea pendente de alia re, de qua non agatur, poterit etiam eidem remuneratoria donatio fieri ob laborem susceptum, & patrocinium fideliter præstitum in lite præterita, & jam finita, cum donatio pactum non sit, inò nec propriè contractus, gloss. in Auth. Sacram. puberum. C. si adversus venditionem, de qua latè per Mol. de primogeniis lib. 2. c. 2. n. 61.

Et ita pro advocatione iudicavit senatus.

Hoc tamen temperandum est, dum modo donatio non sit excessiva, sed in licita quantitate, quod attenda qualitate personæ donantis inspiciendum erit, facit l. si sub specie. C. de postulando, & d. l. 1. §. si cui, ibi, centum aureorum. Si autem excessiva sit, repetet donator, si dedit, per conditionem indebiti. d. l. 1. §. in honorariis, in fin. & ibi gloss. in verb. petere. facit bonus text. in d. l. si sub specie. ubi DD.

Quæ omnia conducunt ad intellectum, l. 8. §. 10. & sequentium, tit. 16. lib. 2. nova Recopilationis legum Castella.

Quid autem sit in iudice, vide Covar. in reg. pascutum. 2. p. §. 3. n. 1. & 2. ubi & de teste loquitur.



DECISIO XX.

An qui fuit advocatus unius partis possit in illamet causa ejusdem partis esse iudex.

S U M M Æ.

1. Plures sunt recusationis causa, remissivè.
2. Advocatus alicujus, in illamet causa iudex esse non potest.  
Benè tamen potest iudex esse in alia causa penitus separata. *ibidem.*
3. Ponitur casus hujus decisionis.
4. Iudex ob levia non solet suspectus judicari, maxime si sit vir integra, & probata fidei. *Ibidem.*
5. Interlocutoria causa solent numerari inter causas levis momenti, & in illis non conceditur minoribus restitutio, nisi notabiliter læsi sint.
6. Resolutio quaestionis à principio proposita.
7. Senatores non sunt recusandi ex levibus causis.

**P**lures sunt suspicionis, seu recusationis causas, de quibus per DD. in c. repellantur, & in cap. cum oporteat. de accusat. & in l. apertissimi C. de jud. Menoch. de arbitrariis, lib. 2. cent. 2. casu 152. Aufrelius tractatu de recusationibus, & Rebuff.

**2.** Inter illas una est, quod, qui fuit advocatus alterius partis, in illamet causa iudex esse non potest, ut est text. & ibi notant DD. in l. prator. D. de iudiciis, & in cap. postremo. de appellat. ubi Abb. & Perusin. benè tamen potest esse iudex in alia causa penitus separata, ut per Perusin. ubi supra colum. 2.

**3.** Quaestio fuit in senatu, quidam N. fuerat advocatus in quadam causa: postea cooptatus in senatorum numerum in auditorio seu audientia, quæ per gyrum illi competeat facere, aliqua pronuntiavit levia in illa causa, puta iussit edi acta advocato rei bis, & bis etiam advocato actoris, & designavit terminos ad probationes faciendas, & ad alia id genus, non magni momenti circa ordinem processus: ob quas causas excepit advocatus, omnia illa iussa, & gesta ab illo iudice in audientia esse nulla, tamquam facta per iudicem suspectum.

**4.** Pro parte actoris allegatum fuit, valida esse, eò quod omnia illa levia erant, & parvi ponderis, ob quæ non solet aliquis iudex, ut suspectus judicari, DD. in l. qui jurisdictioni. D. de jurid. omn. iudicum, ubi Ias. nu. 9. Dec. num. 15. sequitur Menoch. ubi supra, num. 9. quod maxime observandum est, ubi iudex esset alioqui vir integer & probata fidei, secundum Alex. & Ias. in d. l. qui jurisdictioni, quos sequitur Menoch. ubi supra, cent. 2. casu. 72.

**5.** Porro inter alias causas exigui ponderis, ac momenti, illæ solent adnumerari, quæ interlocutiones dicuntur circa iudiciorum ordinem, ut sunt regulariter exceptiones dilatoriæ, in quibus eadem ratione restitutio minoribus non conceditur, nisi eos notabiliter lædi contingat, secundum Imol. & Collectarium, in cap. coram. colum. 1. vers. sed numquid, de restitutione in integr. Bald. in cap. iudices, col. fin. de offer. jud.

Cabedo Pars I.

Præterea, omnia illa, quæ præfatus iudex pronuntiavit, erant præparatoria ad causam principalem, (quæ dicitur præparata) regulariter autem non valet argumentum de præparatorio ad præparatum, ut probant DD. in rubr. de iudiciis, nisi quando inter utrumque esset tanta convenientia, aut cohærentia, talisque subordinatio, ut inferatur necessariò idem de utroque esse dicendum, quod hic non erat: & ob id senatus censuit, exceptionem hanc rejiciendam esse, gesta quæ à præfato iudice valida fuisse, quod & jam antea in altero processu iudicatum fuerat, & ego in uno ex eis iudex fui.

Quod maxime notandum est, non enim senatores ex levibus causis recusari debent, nec uti tales judicari, cum sint, & præsumantur exploratæ fidei, & integritatis, & uti tales à Principe electi, l. unica. D. de officio præfecti pratorio (ibi, Credidit enim Princeps eos, qui ob singularem industriam, explorata eorum fide, & gravitate, ad hujus officij magnitudinem adhiberentur, non aliter iudicatos esse pro sapientia, ac luce dignitatis suæ, quam ipse foret iudicaturus) facit lex novissima lata super recusationibus, §. 12. Simancas de Catholicis institution. tit. 17. num. 15.

DECISIO XXI.

Quando summæ petitæ in libello debeant cumulari ad videndum, an subsint jurisdictioni iudicum.

S U M M Æ.

1. Quando actor uno, & eodem libello plures summæ æquales, aut inæquales congerit, quas petit à reo, diversis actionibus, hæ summæ cumulari possunt, ad effectum ut sciatur, excedantne iudicum jurisdictionem.
2. Quod procedit quando unus & solus reus est, qui convenitur.
3. Si tamen summæ diversis libellis petantur, nullo modo cumulatio illarum fiet ad prædictum effectum.  
Intelligitur text. in l. si idem cum eod. in princ. D. de jurisdictione omnium iud. *ibid.*
4. Plures summæ petitæ ex diversis actionibus, per libellum tamen, seu petitionem separatam, quarum unaquaque jurisdictioni iudicis subest, licet sint ejusdem actoris contra eundem reum, nequaquam sunt cumulanda ad jurisdictionem iudicis excludendam.
5. Contrarium erit dicendum, si omnes hæ summæ petitæ fuerint uno, & eodem libello, etiamsi diversis actionibus positæ in diversis articulis.
6. Quando conventio jurisdictioni iudicis subest, reconventio autem minime: solum super reconventionem appellatio, seu supplicatio defertur.
7. Idem erit si reconventio jurisdictioni iudicis subest, conventio autem eam excefferit.
8. Hoc intelligendum est, quando conventio, & reconventio diversis processibus currit: secus si uno tantum, & unica sententia, utraque conventio & reconventio terminetur.
9. Quando duo sunt simul conventi, uno solo libello, super

per diversis summis, inspicienda est quantitas unicuique petita, ut appellatio, vel denegetur, vel concedatur.

10. Hoc idem procedit si ambo eadem actione conveniantur.
  11. Quando duo simul conveniuntur, per aliquam actionem communem, omnis quantitas petita cumulat, & juxta illam appellatio, seu supplicatio deneganda, vel concedenda est.
  12. Idem est dicendum quando duo sunt conventi vigore alienius scriptura, qua sunt obligati de manu communi.
  13. Licet actor per fraudem, seu data opera, ut supplicationi, seu appellationi locus sit, majorem summam quam ei debeat, in libello petierit, nihilominus tamen judex tenetur deferre appellationi illius.
  14. Quando petitur res aliqua minoris summa, & que jurisdictioni judicis subest, si postea in processu probatur, rem petitam majoris esse valoris, jurisdictione alteratur, & appellatio seu supplicatio concedi debet.
- Intelligitur l. ampliore, & § fin. C. de appel. ibid.
15. Si in prima instantia fiat aestimatio rei petita in minori summa justis valoris, an vera, & justa aestimatio illius possit probari per testes, post sententiam latam.
  16. Quid decretum sit in supraposita questione, & responsio ad fundamenta partis contrariae.

**M**Eo tempore dubium maximum fuit circa cumulationem summarum ad effectum concedendi supplicationem, quam (agravo ordinario) vocamus, à senatu Portucalensis civitatis, ad senatum supplicationis, seu appellationem à iudicibus inferioribus: cum cancellarius senatus super hoc dubium moveret: & ut res componatur, ex tunc resolutis, & ad verum intellectum Ord. lib. 3. tit. 77. §. 8. hos collegi casus.

1. Primus est, quod sæpè actor simul, & eodem libello plures summam æquales, aut inæquales congerit, quas petit à reo diversis actionibus, puta una ex mutuo, altera ex locato, seu alia simili, & tunc hæ summam cumulantur ad effectum, ut cumulatim sciamus, excedantne jurisdictionem, seu alcadam senatus Portucalensis, ut supplicatio concedatur, seu excedant jurisdictionem judicis, ut appellationi deferatur, ut probat d. Ord. §. 8. & facit l. cum quadam puella, D. de jurisdic. omnium jud. & videtur probare text. in l. si quis separatim. §. 1. D. de appellat.
2. Quod quidem locum habet, quando unus & solus reus est, qui convenitur, ut in d. §. 1. ibi, si quis, & ibi, sit condemnatus, & ibi, si verò plures.
3. Item procedit superius dictum, quando prædictæ actiones intentatæ sunt unico tantum libello, seu petitione, & ita intelligo verbum illud d. §. 1. ibi, una act. secus est, quando in diversis libellis actor prædictas actiones intentat, tunc namque prædictæ summam nullo modo cumulantur ad excludendam jurisdictionem judicis, qui habet jurisdictionem intra certam & limitatam summam, probat hoc text. in l. si idem cum eodem, in princ. D. de jurisdic. omne omnium judicium, ponderando verba illa (idem cum eodem) & alia verba [ pluribus actionibus ] quæ intelligenda sunt per libellos aut petitiones.

Quod & ratione ostenditur, quia si judex habet 4 jurisdictionem usque ad quadraginta millia nummorum regalium nostræ monetæ, & actor petit à reo decem per actionem ex mutuo, & viginti per actionem ex locato, & triginta per actionem negotiorum gestorum, & unaquæque harum summarum per libellum, seu petitionem separatam, clarum est, quod judex de iis causis cognoscet, quia unaquæque ex his summis subest ejus jurisdictioni [ cabe na sua alcada ] & non debent cumulari, etiamsi sint uniusmet actoris, & contra eundem reum, ad excludendam & vitandam jurisdictionem judicis.

Contrarium dicendum erit, si omnes hæ summæ deductæ fuerint, & petita uno & eodem libello, aut petitione, etiam diversis actionibus positæ in diversis articulis, seu capitulis, tunc enim attendi debet solum ad id, quod petitur in prædictis articulis, & capitulis cumulando summam.

Secundus casus est, quando conventio subest 6 jurisdictioni judicis, reconventio autem minime: ut quia, verbi gratia, coram præside provinciæ, qui habet jurisdictionem intra summam decem millium regalium nummorum, in bonis mobilibus, quis convenit alium super decem millibus, reus reconvenit actorem super viginti, tunc solum super reconventionem appellatio deferatur, seu supplicatio à senatu Portucalensi in summa majori jurisdictionis illius senatus; & à conventionem non poterit reus supplicare, seu appellare, si fuerit condemnatus in parte, aut in toto: nec item actor, si reus fuerit absolutus: ut enim reconventio non impedit, quod judex de causa cognoscat, ita non ei tollit, ut possit concedere supplicationem, seu appellationem, in summa quæ ejus jurisdictionem excedit, per d. l. si idem cum eod. §. 1.

Et idem erit, etiamsi reconventio sit super minori summa, quia nec tunc cumulatim cum conventionem ad alterandam jurisdictionem, seu alcadam judicis, quia hoc casu militat eadem ratio, d. §. 1. ibi, ne in potestate calumniosa adversarij mei sit, &c.

Facit etiam, quia revera duo sunt libelli, & duæ petitiones diversæ, & ob id attendi debet ad petitionem alterius ex illis per se, ut in Ord. supradicta. §. 9. & l. cum quadam puella, §. quoties.

Quod intelligendum est, quando diversis processibus conventio, & reconventio currit, si autem uno processu conventio & reconventio procederet, & unica sententia terminaretur utraque, tunc videri concessam appellationem ratione connexitatis, & de utraque cognitum, quod valde nota, & ita servat senatus.

Ex quibus infertur ad illud dubium, quando 9 duo conveniuntur simul ab uno actore, uno solo libello super diversis summis; quia si sunt conventi per diversas actiones, tunc attendi & inspicere debet summa, propter quam quis ex illis convenitur, & juxta quantitatem unicuique petitam concedenda, aut neganda est supplicatio aut appellatio, juxta Ord. lib. 3. tit. 77. §. 8. quia revera duo sunt rei, & duo libelli, & duæ separatæ summæ, & distinctæ.

Et hoc, ut existimo, procedit etiam; si ambo 10 conveniantur eadem actione, ut si conveniretur ex mutuo aliquis pro decem, alius pro alteris decem

aut viginti etiam ex mutuo, solum enim videndum est, an sint duo rei, & duo libelli in effectu, etiam si scribantur in una pagina simul, quia in uno, & altero casu militat, & procedit eadem ratio, *d. l. si idem cum eodem*: & ideo tunc scinditur sententia, *d. l. si qui separatim. §. quoties*, & *l. i. C. si plures una sententia*, ubi Paul. Afflict, *decis. 215.*

11 Si tamen hi duo conveniuntur simul per aliquam actionem communem, ut familiae eriscundae, communi dividendo, finium regundorum, & sunt conventi ob hereditatem, aut debitum, aut aliam rem valoris plus centum millium numerorum regalium, tunc non est inspicienda pars uniuscujusque ex reis, quae minus est illis centum millibus numerorum regalium ratione uniuscujusque ad hoc, ut *[caiba na alcada]* Senatus Portucalensis, sed attendenda est omnis quantitas petita simul & valor, seu aestimatio omnis praedictae rei petita, quia non attenditur ad hunc effectum sententiae condemnationis, sed libelli petitorium, *Ord. ubi sup. d. §. 8. d. l. cum quadam, d. l. si idem cum eod. §. fin. in fin. & ita intelligenda est Ord. d. lib. 3. tit. 77. §. 18. & eod. lib. tit. 64. in princ. §. 1. & d. l. si qui separatim. §. quoties, & l. i. C. si plures una sententia.*

12 Et idem dicerem in quacumque alia actione, per quam duo conventi sint ob aliquam quantitatem quae excedat jurisdictionem d. senatus Portucalensis, & unusquisque in libello conveniretur in solidum vigore alicujus scripturae publicae, quae unusquisque in solidum se obligasset, & de manu communi, & tamquam principalis debitor; quia in unoquoque horum casuum, etiam si condemnatio, in sententia facta, subit jurisdictioni iudicis, & unus supplicare nolit, & alter supplicet, seu appellet [quod namque in supplicatione dicimus in hac decisione, idem intelligimus in appellatione] tunc demum poterit is supplicare, siquidem in libello petitum fuit, quod unusquisque condemnaretur in solidum, & summa tota simul juncta excedit jurisdictionem iudicis.

13 Tertius casus est, quando actor per fraudem, seu data opera, & scienter, ut supplicationi seu appellationi locus sit, majorem summam eidem debitam in libello petit: & hoc casu, etsi iudicibus constet tempore sententiae latae summam debitam minorem multo esse petita, & subesse iudicis jurisdictioni, nihilominus tamen appellationi deferre tenentur, aut supplicationi, attendendo ad petitorium, juxta *Ord. §. 8.* etiam si actor majorem summam, data opera & ad eludendam jurisdictionem iudicis, petierit, ita mihi videtur deduci ex text. *sing. in Auth. de defensor. civitat. §. & judicare. versic. sed neque.*

14 Quartus casus est, quando petitur aliqua res minoris summae, quae subest jurisdictioni iudicis, & postea in processu probatur, & constat majoris valoris esse, tunc namque jurisdictionis alteratur, & manet casus supplicationis, seu appellationis, quia attenditur ad valorem & aestimationem in actis probatam, etiam si sit minor petita in libello à principio, ut in *d. ord. tit. 79. §. 10. ibi, (salvo se no mesmo feito)* facit bene *d. §. & judicare*, dum probat, quod si aliquo modo in actis augetur aestimatio, seu valor rei petita, appellatio concedi debet.

Cabedo Pars I.

Nec obstat *l. ampliotem. §. fin. C. de appellationib.* quia solum dicit, quod hoc casu jurisdictionis sit iudicis à principio de causa cognoscentis, & de illa cognoscat, & subit ejus jurisdictioni, ad hoc ut non remittat praedictam causam ad iudicem majoris jurisdictionis per remissionem, cum coram illo priore iudice jam veritas causae, & merita nota sint & patefacta, ut text. ille dicit: non verò, ut denegat appellationem, cum eam dare teneatur, & sit casus appellationis, ut in *d. §. & judicare.*

Quintus casus est, quando in prima instantia fit aestimatio rei petita & causae, & hoc in minori summa iusti valoris, & in senatu Portucalensi sententia fertur, postea pars quae victa fuit, ad effectum, ut ei supplicatio concedatur, vult probare, quod res petita majoris valoris, & aestimationis est: dubium fuit, an admitti deberet ad hoc probandum? & videbatur, quod sic: primo ex auctoritate *Barr. in d. l. fin. §. fin. in fin. C. de app.* ubi dixit, quod licet aestimatio per aestimatores sit facta, potest nihilominus veritas per testes examinari. Secundo, quia hoc nihil est aliud quam arbitramentum quoddam factum per arbitratores de partium consensu, de quo pars gravata conqueri potest intra annum allegando laesionem in sexta parte, *Ord. lib. 3. tit. 82. §. 5. & 6.*

Nihilominus tamen contrarium decretum fuit in senatu per septem senatores, licet quinque contrarium tenuerint: & pro opinione illorum septem facit *Ord. d. lib. 3. tit. 77. §. 10.* Siquidem in praesenti casu pars non contradixit statim arbitramento, quinimo expectavit, quoad sententia ferretur, in quo aestimationi consensisse visa est, & contra illam venire non potest, nec contrarium probare: remittentibus namque jus suum non est regressus dandus, *vulgata l. quaritur, D. de adilitio edict. & qui acquievit sententiae, non auditur contra eam, l. 3. de pen. C. de re jud.*

Et ita responderetur illis duobus fundamentis, quae pro alia parte contraria adducebantur, ut procedant, nisi pars arbitramento, & aestimationi factae acquieverit, & illi consentiendo sententiam expectaverit. Haec diligenter nota, quia quotidiana sunt.

Quam verò jurisdictionem habent iudices in causis iurium regalium, aliquando Deo dante tractabimus.

## DECISIO XXII.

Circa prorogationem jurisdictionis multa notabilia traduntur.

### S U M M A.

1. Quae sit jurisdictionis improrogabilis. Iudex qui tulit sententiam privative habet jurisdictionem etiam super appendicibus executionis. *ibidem.*
2. Iudex speciatim datus ad certas causas, cum ordinario potest concurrere: cum illo tamen, cui separatim, & privative concessa est jurisdictionis, non potest, & si cum illo cognoscat, nihil agit, & sententia est nulla, & num. 3.

4. Exceptio incompetentiæ post litem contestatam, & etiam post sententiam potest opponi.
5. Jurisdictio iudicis data ad universitatem causarum etiam inter certas personas, potest prorogari de partium consensu.  
De jure nostro regio, statim ut pars contradicit, fit jurisdictio improrogabilis. ibidem.
6. Vbi jurisdictio est prorogabilis, qui citatus coram non suo iudice comparet, & non opponit declinatoriam, videtur in iudicem consentire.  
Iudex de cujus jurisdictione dubitatur, si se pronuntiaverit iudicem, tenebit iudicium, & potest procedere, non solum ad missionem ex 1. & 2. decreto, sed etiam ad sententiam diffinitivam, in casibus in quibus litis contestatio non est necessaria. ibidem.
7. Citatus à non suo iudice debet comparere, saltem ad allegandum privilegium, ubi dubitabatur de jurisdictione.
8. Citatus à non suo iudice cujus jurisdictio est prorogabilis, si namquam comparet, non censetur illam prorogare.
9. Quando jurisdictio est prorogabilis, exceptio incompetentiæ non potest opponi, si talis jurisdictio fuit prorogata.
10. Si jurisdictio non est prorogabilis, exceptio potest opponi, etiam post tres sententias.
11. Quomodo intelligatur prorogatio jurisdictionis iudicis causarum Indiæ.

**C**irca prorogationem iudicium, sæpè in senatu oriuntur dubia, & ut intelligatur, quæ sit ista jurisdictio prorogabilis, & circa intellectum Ord. lib. 3. tit. 37. §. 2. in illis verbis (*se o juiz ha capax de tal prorogação*) sciendum est:

1. Quod ista jurisdictio est improrogabilis, quæ privativè est iudici concessa, id est, quæ ita conceditur, ut de causis personisvè sibi commissis nullus alius cognoscat, ut est iudex causarum Indiæ. in extravag. 1. part. tit. 13. lib. 1. ibi (*de que não conhecida outra pessoa*) & lib. 4. §. fin. ibi [*não conhecida das raes causas*] & iudex pupillorum, Ord. lib. 1. tit. 67. §. ult. & iudex patrimonij regij, ut in ejus regimento, cap. 23. §. fin. Ord. lib. 2. tit. 29. §. 3. fin. e contrario sensu, juncta Extrav. part. 2. tit. 1. l. 4. §. 2. Eadem iudex qui tulit sententiam privativè jurisdictionem habet super appendicibus executionis, Ord. lib. 3. tit. 71. §. 28. & 29.
2. Et idè licet aliàs cum ordinario possit concurrere in dubio iudex speciatiim datus ad certas causas personisvè, quia cumulativè videtur data jurisdictio, arg. l. viros, ubi notat Ang. de Plat. not. tab. 1. C. de divers. off. lib. 12. & cap. Per hoc. de her. lib. 6. l. 1. C. de jurisd. omn. jud. tamen id non procedit, quando alij iudici separatiim, & privativè, ut dixi, jurisdictio fuit concessa, quia tunc non alius quàm ipse cognoscit, gloss. in cap. 2. de arbitr. lib. 6. & in cap. ut officium de heret. lib. 6. Alexand. & Ias. in l. si per errorem, in princip. D. de jurisd. omnium jud. Felin. in cap. pastoralis, col. 2. de off. ordin. Dec. consil. 3. facit l. repetita, & ibi notatur, C. de Episc. & cleric. ratio videtur, quia aliorum omnium videtur limitata jurisdictio, ut de aliis causis præterquam de iis cognoscant, & idè eorum limitata jurisdictio nequit prorogari, d. l. repetita, ubi Paul.

l. consulta divalia. C. de testamentis, cap. P. & G. de off. delegat. etiam de partium consensu, ut ibi per DD. in d. l. si per errorem.

Ex quo inferitur primò, quòd si alius iudex cognoscit, nihil agit & sententia est nulla l. 1. C. si a non competent. iudice. Dec. consil. 8. col. 2.

Inferitur secundò, quòd ista incompetentiæ exceptio etiam post litem contestatam potest opponi, ut est text. in Ord. supradicta, lib. 3. tit. 37. §. 2. ibi (*se o juiz he capax, &c.*) imò etiam post sententiam. Ord. lib. 3. tit. 71. §. 18. Abb. in cap. Pastoral. nu. 16. de exception. immò etiam post tres sententias, gloss. in clemen. 1. de sequest. possess. Dec. d. consil. 8. num. 7. Rip. in l. 2. D. de re jud. tradunt DD. in l. 4. §. si ex conventionione. D. eod. titulo.

Inferitur etiam, quòd, si iudex sit datus ad universitatem causarum, etiam inter certas personas, puta pupillos, & germanos, vel monetarios, potest ejus jurisdictio prorogari de partium consensu, text. est singularis in l. 1. C. de jurisd. omn. jud. 1. & 2. D. de iudicis, & pondero text. in d. l. 2. ibi, vel aliam jurisdictionem, & est ratio, quia talis jurisdictio videtur ordinaria, & universalis ordinariæ appendix, unde in habentibus symbolum facilis est transitus, nec ita conceditur iudici, ut de aliis causis cognoscere nequeat, sed simpliciter, & idè de facili revertitur ad suam primævam naturam universalis jurisdictionis: unde puto, quòd jurisdictio iudicis causarum Indiæ, pupillorum, monetariorum, & germanorum, potest prorogari, quia inter certas personas est data ad universitatem causarum per dicta jura, secus esset, si iudex daretur tantum ad certas causas, pro tempore, quia tunc est delegatus, nec habet tribunal. l. 1. C. si a non competent. Quòd si esset datus in perpetuum, ut est provisor, qui de residuis jus dicit, per dicta jura fortassis secus dicendum, notat Ias. in l. si per errorem, num. 5. 6. & 7. D. de jurisd. omnium jud. Quod notandum est, & cogitandum, & adde notata in cap. P. & G. de off. deleg. & ita videtur vera resolutio in hoc art. quid quid aliud involvant Marian. Imol. & Felin. ubi supra, & jure nostro (ut magis resolutivè hoc habeas) statim ut pars contradicit, fit jurisdictio prorogabilis. Ord. lib. 5. tit. 58. §. 2.

Adde, quòd ubi jurisdictio est prorogabilis, & quis est citatus coram non suo iudice, si comparet & non ponit declinatoriam, videtur in iudicem consentire. Ord. lib. 3. tit. 37. §. pen. & l. final. C. de exceptionib. l. sed etsi susceperit. in princip. D. de iudic. & idè scholaris, vel alius qui habet privilegium declinandi forum, tenetur comparere ad illud allegandum, ut probatur in l. si quis ex alien. D. de iudicis. Alexand. consil. 101. volum. 5. Felin. in cap. si duobus de appellat. colum. 1. vers. licet regulariter: & in dubio tenetur comparere, licet sentiat se non esse de illius jurisdictione, gloss. verb. sciatur. in l. 2. D. si quis in jus vocat. non ierit: sive quia iudex vocavit, quem ex edicto non debuit l. 2. §. sed etsi dubitatur. D. de iudicis, & si talis iudex se pronuntiaverit iudicem, tenebit iudicium, & potest procedere non solum ad missionem ex primo & secundo decreto, sed etiam in causa principali ad sententiam diffinitivam, in casibus in quibus non est opus litis contestatione. Bald. l. non videtur à 1. D. de iudicis, & DD. in c. praterea, & in cap. Super

super litteris, de rescriptis, & in cap. cum super, de offic. delegat. Bald. Angel. & Imol. in l. quidam D. de re iudicata, & tenet gloss. d. l. 2.

- 7 Et adde, quòd citatus à non suo iudice debet comparere, saltem ad allegandum suum privilegium, vel suam declinatoriam, ubi dubitatur de iurisdictione, per §. sed etsi dubitetur, & gloss. d. l. 2. secus ubi notoriè constat non esse ejus subditum, secundùm Innoc. in cap. 2. de dilationibus.
- 8 Adde etiam, quòd citatus à non suo iudice, cuius iurisdictione potest prorogari, non censetur illam prorogare, si numquam comparuit citatus coram eo. ex Abb. in cap. cum P. & G. num. 21. de offic. delegat. post Bald. in l. si quis ex consensu num. 7. C. de Episcopis & clericis. Intellige si comparuit respondendo, secus si tacuit.
- 9 Adverte etiam, quòd si iurisdictione iudicis potuit prorogari, exceptio incompetentiæ non potest amplius opponi post litem contestatam, ut probat ord. lib. 3. tit. 39. §. 2. ibi (não podera ia mais) & ibi (se o iuiz he capax da tal prorogação) intellige si potuit prorogari, & fuit prorogata, aliàs si non fuit prorogata, opponi potest etiam post sententiam. Bart. l. 2. num. 7. 1. lectura & 2. lectura num. 5. ubi Paul. n. etiam §. D. si quis in jus vocat. non ierit: unde citatus, si numquam coram iudice incompetente comparuit, non censetur absens ejus prorogasse iurisdictionem, ex Bald. notanter num. 7. in l. si quis ex consensu. C. de Episc. & clericis. quem sequitur, & commendat Abb. in c. cum P. & G. de offic. deleg. num. 21. facit, quia per comparitionem & responsionem videtur prorogata iurisdictione, & ita sentit ord. hic. d. §. 2. ibi (allegasse exçeigão) & tit. 15. §. E depois, ibi (pera en seu foro responder & falar abem de feito.)
- 10 Ubi autem iurisdictione non fuit prorogabilis, talis incompetentiæ & nullitatis exceptio potest opponi post sententiam. Abb. in cap. pastoralis. nu. 16. de except. ubi Felin. imò etiam post tres sententias, secundum gl. receptam in clement. 1. de sequastr. pass. & fruct. Dec. cons. 8. num. 7. Rip. in l. 2. D. de re iud. per DD. in lib. 4. §. si ex conventionem. D. eodem tit. Ord. lib. 3. tit. 71. §. 18. per Cardin. in clem. 1. quast. 6. de re iud. Alexand. in l. 2. §. Prator. D. qui satisdare cogantur, & cons. 77. lib. 2. Vantius de nullit.
- 11 Quod autem superius diximus de iudice causarum Indiæ, intellige, quo casu procurator Regis non est in ea lite actor, reus, oppositor, nec assistens.

## DECISIO XXIII.

Intelligitur Ord. lib. 5. tit. 42. §. ultimo, circa aliquos casus, qui in senatu decisi fuerunt.

## SUMMÆ.

1. Actor potest querelam de reo dare coram præside curiali criminalium causarum, quod testes falsos induxerit & subornaverit, in processu pendente coram iudice civilium causarum.
2. Querela de falsitate, seu subornatione aut de aliis casibus tangentibus processum jam sententia finitum.

Cabedo Pars I.

tos, non potest opponi nisi coram iudicibus, qui de prædictis processibus iudicarunt in superiori instantia.

Sententia cuiuscumque iudicis ordinarij, quæ transivit in rem iudicatam, æquiparatur sententiæ superioris instantiæ, ibid.

3. An locum habeat dispositio hujus Ord. in iudicibus delegatis?
4. Dispositio hujus Ord. non habet locum in iudicibus arbitris.
5. Tenor cuiusdam decreti, quod factum est Eboræ coram Rege circa hanc materiam.
6. Testes, qui negant, o custume (ut dicitur) non dicuntur falsi, nec possunt de falso argui, nec puniri.

Circa Ord. lib. 5. tit. 42. §. fin. occurrunt sæpè dubia in senatu.

Primum tale fuit: processus quidam pendebat coram iudice civilium causarum civitatis Olyssipponensis, actor de reo querelam dedit quòd testes falsos induxerit, & subornaverit, quam querelam coram præside curiali criminalium causarum proposuit; dubitatum fuit, an hoc posset facere, vel potius deberet querelam proponere coram iudice pendente processus; & decisum fuit, quòd poterat querelare coram prædicto præside, inspecta ord. supradicta, quæ solum locum habet in processibus jam finitis, ut patet ex verbis illius: is autem casus omissus remansit in dispositione juris communis, l. commodissime. D. de liber. & post. & ob id querela proponi potest coram iudice ordinario, ut est prætor curialis, seu coram alio competente iudice.

Secundum fuit hujusmodi. Processus quidam agitatus fuit inter partes coram præside curiali civilium causarum, seu præside Olyssipponensi, vel alio quocumque iudice, & finali sententia terminatus fuit, & in rem iudicatam transivit, eò quòd à prædicta sententia nec supplicatum, nec appellatum fuit; postea una ex partibus querelam de altera dedit coram prætore criminali curiæ, eò quòd falsos testes in processu dederat, vel subornaverat: dubitatum fuit, an hoc posset facere? & decisum fuit, quòd non, sed quòd debuerat querelare coram præside, seu iudice, qui sententiam dederat, per Ord. supradictam, quæ clarè disponit quòd querelæ datæ de subornatione, aut falsitate, aut aliis casibus tangentibus processum jam sententia finitos non proponantur, nisi coram illis iudicibus, qui iudicarunt prædictos processus in majori seu superiori instantia, id est (na mor algada) intelligitur autem superioris instantiæ, quando sententia cuiuscumque iudicis ordinarij transivit in rem iudicatam, ut in simili casu disponit Extravag. pag. 3. tit. 9. l. 3. quæ loquitur in executione sententiæ (da mor algada) & cum postea dubitatum fuisset, an idem intelligeretur in sententia, quæ transivit in rem iudicatam, lege lata sancitum fuit, quòd in ea observaretur idem, quod disponit supradicta lex Extravagans, & facit lex Dominica, in tit. (das execuções) §. 1. incipit [Ordeno & mando] ubi hæ sententiæ æquiparantur. Et pro hoc facit ratio d. Ord. lib. 5. tit. 42. §. fin. quæ etiam locum habet & militat in sententiis latis à quibuscumque iudicibus,

dicibus, quæ tamen in rem judicatam transferunt, quæ ratio est, ut evitarentur fraudes, & calumniæ, & partium vexationes: querelabant namque de iisdem casibus, de quibus jam per alteros iudices rejecti erant, & quia iudices, qui eos rejecerant, hoc melius sciebant quam alij, jubet Ord. prædicta, quod ante receptionem querelarum videant processum, qui agitatus fuit inter querelantem, & querelatum, ut per illum prius informationem haberent, si querelans in illo jam processu de illis articulis, de quibus querelam proposuerat, egerit; & si invenerit, quod jam egerat, querelam non reciperet, etiam si articuli recepti parti non fuissent, dum tamen super illis ei jus salvum non maneret, & quia hæc informatio nulli alij iudici melius constare potest, quam illi qui sententiam tulit, quæ in rem judicatam transivit, & ob id ad superiorem devolvi non potest, de ea judicare ita debet, ac si fuisset lata in superiori instantia, ita ut coram illo iudice querela proponi debeat, & ab illo recipi, & non coram alio, nec ab alio.

Pro hac etiam parte ponderatur Ord. supradicta in quantum ponit exemplum in præside civilium causarum, cujus sententia non dicitur superioris instantiæ, id est (*da mor alcada*) cum ab illo supplicari debeat, & nihilominus si sententiam tulerit in aliquo processu, quæ transeat in rem judicatam, eo quod ab illa supplicatum non fuit, jubet Ord. ut coram illo querela proponatur, & idem erit in quocumque alio simili iudice competente, cujus sententia in rem judicatam transivit, ex prædicta Ord. §. fin. ibi (*Ou Corregedores do civil, ou outros semelhantes.*)

3 Sed quid erit in iudicibus delegatis? & videtur in his non esse locum Ord. huic, quæ loquitur in iudicibus ordinariis, delegati enim nec scribam proprium habent, nec tribunal, unde nec ita paratum processum habent, ut eum videre possint, nec eam jurisdictionem, quam habent iudices ordinarij, de quo tamen cogitandum est; quia delegati ordinariis iudicibus in multis æquiparantur. Ord. lib. 3. tit. 86. §. ult.

4 In iudicibus verò arbitrariis proculdubio afferendum est Ord. hujus dispositionem locum non habere, quia lata sententia functi sunt officio suo, nec de ea amplius cognoscere possunt. *l. diem proferre, D. de arbitr. nec exequi Ord. lib. 3. tit. 81. §. 2. & eod. lib. tit. 86. §. ult. ultimis verbis*, nec in eum compromitti; ut eam exequatur. Bart. in *l. non ex omnibus, D. de arbitr. Covarr. variarum lib. 1. cap. 18. numer. 4. vers. adducitur.*

5 Verum est, quod in decisionibus quibusdam antiquis inveni decretum quoddam senatus factum Eboræ coram Rege Ioanne III. anno 1533. mense Iulij in hæc verba:

*Que qualquer parte que trouxer demanda com outro, & qui ser querelar de algũas testemunhas de falso, que não possa querelar se não per ante o iuiz do feito, que da causa conhecer, & onde as ditas testemunhas derão o testemunho que se argue de falso: & ouve tantos desembargadores por huã parte como por outra, mas el Rei o determinou assi, posto que a Ordenação do livro 5. tit. 42. §. ult. pareça dizer o contrario sendo iuiz do feito o Corregedor Diogo Tavieira.*

Notandum tamen est, quod testes, qui negant (*o costume*) ut apud nos dicitur, non possunt de falso argui, nec puniri, nec dicitur testis falsus, de quo vide Soc. in reg. 428.

## DECISIO XXIV.

An privilegium superveniens prodest in lite jam cœpta.

## SUMMÆ.

1. Qui magistratus creatus est, ex illis, qui durante magistratu citationi respondere non tenentur, an potiat eodem privilegio, lite jam cœpta?
2. Ratio ob quam lex statuit, quod magistratus durante officio conveniri non possit. Ratio legis vel ampliat, vel restringit dictam legem. *ibidem.*
3. Exceptio de novo superveniens potest opponi, quomocumque pendente lite.
4. Privilegium superveniens extenditur ad litem pendentem, si non est procuratum, seu affectatum. *Legatus si non data opera in legationem sit missus, a causis antea inchoatis interim excusatur. ibidem.*
5. Statutum tribuens alicui privilegium, non inducendo actionem, sed exceptionem, prodest, & extenditur ad litem jam cœptam.
6. Responsio ad *l. 2. §. fin. & ad l. idem Vlpian. §. fin. D. de excusatorum.*
7. Responsio ad *l. pen. vers. ante, D. de legationibus.*
8. Responsio ad *l. si reus, D. iudicatum solvi.*

Quidam litem habebat cum alio, qua pendente, reus magistratus creatus fuit, ex illis, qui durante magistratu respondere citationi non tenentur, ut in Ord. lib. 5. tit. 8. in prin. ibi. *por não serem citados das occupaõis*) quæsitum fuit, an potiretur hoc privilegio, per Ord. concessio in illa causa jam cœpta, ita ut in illa respondere non teneretur? & iudicatum vidi semel, etiam hoc casu esse locum prædictæ legi, ita ut non solum procedat, ubi primum conveniri incipit, postquam magistratus creatus fuit, sed ubi causa jam cœpta contra illum proceditur, antequam magistratus crearetur.

Quod his rationibus senatus decrevit. Primò 2 quia lex nostra supra dicta ait, iudicem, vel quemcumque magistratum temporalem durante officio conveniri non posse, ea ratione, ne videlicet avocetur ab officio, quæ ratio ita viget, ubi à principio is convenitur, sicuti quando in causa semel adversus illum inchoata proceditur, utroque enim casu avocatur ab officio, ergo in utroque erit idem jus. *l. illud D. ad l. Aquil. ratio namque legis ampliat, vel restringit dictam legis. Bart. in l. cum pater. §. dulcissimis, D. de legat. 2.*

Secundò facit regula juris recepta, quod exceptio, 3 quomocumque pendente lite, superveniens potest opponi, Bart. & communis in *l. 1. num. 9. in fin. D. de exceptionib. quem sequitur Abb. post Ant. & alios in cap. fin. col. fin. versic. in reo. ut lite pendet. Felin. & ejus additio ibi multa referens in cap. insinuante, col. 3. de off. deleg. & in c. Pastoralis. de exceptionib. Idem*

Idem tenent etiam in exceptione dilatoria: at istud privilegium continet exceptionem, scilicet, ne iudex conventus teneatur respondere, ergo et si supervenerit, pendente lite, utiliter opponi potest.

4. Tertio facit, quod privilegium superveniens extenditur ad litem pendentem, si non est procuratum, seu affectatum. gloss. notab. per text. ibi, quæ recepta communiter est in l. qui autem, D. si quis caution. & tenet expresse Alex. ad Bart. in l. i. col. fin. D. de panis. Et in proposito nostro dicit gl. illa, quod si quis non data opera, pendente lite, obtinuit privilegium, ne teneatur respondere, quod eo potest uti: unde etiam adducit in simili, quod legatus, si non data opera in legationem sit missus, à causis antea inchoatis interim excusatur, per l. non distinguemus. §. item si quis Roma. in princ. D. de recept. arbitr. ergo ita iste, cum non esset creatus iudex data opera, nec id probaretur, bene excusabitur à causis pendentibus durante officio.

5. Quarto facit, quod notanter & subtiliter dixit Bald. in d. l. qui autem. quam legit sub legem, si quis D. si quis caution. quod si statutum tribuit privilegium alicui, non inducendo actionem, sed potius exceptionem, porrigitur & extenditur ad litem pendentem: unde infert, quod si sit statutum, quod omnes euntes ad exercitum habeant dilationem biennij ad solvendum suis creditoribus, quod illud prodest etiam eis, qui jam cœperant in iudicio conveniri, ergo ita in proposito, cum illa ordinatio tribuat iudici privilegium, si quis pendente lite, non affectante, sit creatus iudex, recte utetur tali privilegio, & facit text. notabilis in l. spadonem §. si quis autem, D. de excusat. tutorum.

6. Quo retento non obstat senatus decreto l. 2. §. fin. & l. idem Vlp. §. si. D. de excusat. tutor. quia ibi munus tutelæ jam erat delatum, & tutori postea nihil aliud injungebatur, ad quod competeret exceptio ex supervenientia privilegij: nam privilegium superveniens non tollit jam facta, sed impedit faciendam, & ideo in nostro casu tribuit exceptionem, non ut irritetur processus jam factus, sed ut impediatur faciendus, quod subtiliter præsentit Bartol. in l. i. num. 9. D. de exceptionibus, & est valde notabile ad Ord. lib. 1. tit. 76. §. 33. quæ non eximit iudices ab onere tutelæ antea inunctæ.

7. Non etiam obstat l. pen. vers. ante D. de leg. quia ibi non dicitur, quod legatus, suscepta legatione teneatur respondere in causis jam cœptis, sed potius finita legatione, ut aperte exponit Accurtius ibi, verb. Fungatur, in princ.

8. Denique non obstat l. si reus, D. iudicatum solvi, quia ibi non probatur, quod reus in magistratu constitutus teneatur respondere, cum potius contrarium significetur, sed tantum dicit, quod illa satisfactio de iudicato solvendo valeat, non ad hoc, ut ille teneatur personaliter comparere, sed tantum, ut committatur stipulatio, si causa utcumque per fidei iussores non defendatur, secundum Paul. ibidem, qui ita clare exponit.

Cetera require in sequenti decisione. Et vide Alvar. Vaz. consult. 57. per totam.

## DECISIO XXV.

Circa eandem materiam privilegij supervenientis senatori.

## SUMMÆ.

1. An extendatur privilegium senatorum ad lites jam cœptas antequam ad id munus sint electi?
2. Vbi cœptum est iudicium, ibi finire debet.
3. Privilegia sunt stricti juris, & ideo non debent extendi.  
Iudices electi non eximuntur ab onere tutela ante electionem inuncta. ibid.  
Prorogatio termini ad solvendum à Rege concessa non extenditur ad debita, super quibus jam lata est condemnatoria sententia. ibid.
4. Quid iudicatum fuerit in hac quæst.
5. Responsio ad argumentum l. ubi cœptum, D. de iudic. & ad l. si quis postea, D. eodem.
6. Senatores in initio jurant, quod munus illud ab illis non fuit procuratum.
7. Responsio ad regulam, l. i. C. de dot. promissione.
8. Vidua, & minores quatuordecim, & duodecim annorum possunt causas jam cœptas trahere ad alios iudices.
9. Responsio ad argumentum supra positum num. 3.
10. Privilegium superveniens non procuratum prodest ad lites pendentes.
11. Tenor sententiæ in casu simili hujus nostræ decisionis.

Quidam cum alio litem habebat: hoc tempore ad senatorum numerum à Rege electus fuit; petiit ut causa cœpta avocaretur ad iudicem, nempe prætorem curialem: quæsitum in senatu fuit, possetne id facere, extendereturque privilegium senatorum ad lites cœptas, & pendentes, antequam ad id munus electi essent?

Et videbatur quod non: Primò ex reg. l. ubi cœptum. D. de iudicis, l. si quis postea, D. eodem tit. qui text. videtur quæstionem decidere.

Secundò, quia privilegium est stricti juris, & non debet extendi, regul. Odiā. de reg. jur. lib. 6. & lex regulariter non extenditur ad jam pendente, arg. l. dominicanus, D. ad senatus consult. Turp. nec ad præterita, sed tantum ad futura, cap. 2. c. fin. de const. ubi DD. l. leges, C. de legibus. Hinc fit, quod Ord. lib. 1. tit. 76. §. 33. iudices electos non eximit ab onere tutelæ antea inunctæ, huc etiam pertinet, quod disponit Ord. lib. 3. tit. 79. §. si ubi prorogatio termini ad solvendum à Rege concessa non extenditur ab debita, super quibus jam fuit lata condemnatoria sententia, quo argumento solet notari in l. à divo Pio. §. sententiam Roma. D. de re iudicat. quod executio potest procedere contra condemnatum, licet is ea pendente fuerit in iudicem aut alium magistratum electus.

Contrarium iudicatum fuit; imò quod senator ex supervenienti privilegio, poterat excipere & declinare ad suum iudicem, ad quem acta erant remittenda.

- 5 Non obstant in contrarium adducta, nam primo, *d. l. ubi captum*, & *l. si quis postea*. quia procedunt ubi privilegium fuit procuratum, secus si non fuit procuratum, sed motu proprio Principis concessum, ita glossa recepta in *l. qui autem. D. si quis cautionib.* quam commendant Bald. & Paul. in *l. si quis in iudicio. D. eodem tit. Ias. in l. cum quadam puella. D. de iurisdic. omn. iud.* Idem tenet Bart. in *l. 1. col. pen. num. 3. ante fin. D. de penis.* qui omnes dicunt, privilegium superveniens si non sit procuratum extendi ad litem pendentem.
- 6 In casu verò præsentis privilegium procuratum non fuerat, cum Rex motu proprio senatorem elegerit, qui in initio jurat illud munus non procurasse. Ord. lib. 1. tit. 1. §. 4. ibi (*não dei, nem prometi*) & in consequentiam officij venit privilegium, quod cum sit clausum in corpore juris, Ord. lib. 2. tit. 43. & concessum ob benemerita, præsumitur motu proprio concessum, ut eleganter adnotavit Rebuff. de privileg. scholar. privil. 178. Ias. *l. si quis. num. 7. & 8. D. quod quisque juris.*
- 7 Nec oberit, si quis dicat non posse concurrere hic duo privilegia, nempe quod possit ad curiam trahere cum illo litigantes; insuper & causas pendentes, contra regulam *l. 1. C. de dot. promiss.* nam respondemus hæc duo specialia pendere unum ex alio, & esse connexa, quo casu possunt concurrere, ut per Felin. in *c. cum M. de const. ad fin.*
- 8 Insuper non est novum causas cœptas trahi ad alteros iudices, id namque privilegium viduis, & minoribus quatuordecim, & duodecim annorum concessum est, Ord. lib. 1. tit. 4. §. 3. ibi (*nos feitos começados*) Senatorum autem privilegium omnia alia privilegia etiam viduarum excedit. Ord. l. 2. tit. 43. §. 10. quod si id senatoribus non concederemus, utique viduarum privilegium majus esset.
- 9 Ad secundum argumentum respondetur, quod quamvis privilegia stricti sint juris, & Ord. sit correctoria, cum regula sit, quod lis ibi finiri debet, ubi cœpta est, *d. l. ubi.* & non debeat Ord. extendi ad lites senatorum cœptas, in quibus non loquitur, tamen ex idemitate rationis in lege expressæ extendi potest. *l. his solis. C. de revocand. donat.* & est gloss. sing. in *clem. 1. verb. eligatur. de elect.* Tiraq. cessante causa *1. p. n. 153.* imò & in pœnalibus eo casu fit extensio, gl. *verb. Italia in c. 1. de temp. ord. lib. 6.* quia ubi est eadem ratio, non datur extensio, sed magis comprehensio: ratio autem legis est, ne distrahantur senatores ab officio, si extra curiam citentur, quæ ratio tam militat in causis cœptis jam, quam in incipiendis, verba autem legis sunt (*pella occupação do serviço que nos fazem continuamente nos ditos officios*) ord. l. 3. tit. 4. in *si princ.* & *d. lib. 2. tit. 43. §. 10.*
- Deinde hic vertitur favor publicus, *l. 1. §. hujus studij, ibi, in magistratibus, D. de just. & jur. authent. habita C. ne filius pro patre.* & sic licitum est ex idemitate rationis, quod fiat extensio, *c. per venerabilem qui filij sint legitimi. Aret. in c. at si clerici, §. de adulteriis, num. 31. & sequenti de iudicis. Dec. ibi, num. 10. Felin. in cap. postulasti num. 9. rescript.*
- 10 Ex quibus manet conclusio, quod privilegium superveniens non procuratum prodest ad lites pendentes, Antibolus de muneribus, §. 4. nu. 14. & facit *l. qui status, D. de re militar. & l. 2. cum Authent. ibi*

*posita. C. de litigiosis:* & ita decretum fuit in senatu, non obstante, quod lis penderet, quia ex idemitate rationis comprehenditur is casus in lege, juxta supra dicta: & quamvis id sit respicere præterita, in privilegiis non procuratis non habet locum reg. cap. 2. de constit. & similibus, quia loquuntur in lege generali quæ multis possit præjudicare, si præterita, seu pendentia respiciat, non sic in privilegio personæ privatæ concessio. Et in casu præsentis, præsentata fuit sententia in casu simili lata jam antea in senatu, cujus tenor talis est:

*Acordei que o dito supplicante era agrava do pello dito Ouvidor em não receber sua excepção declinatoria fori, & corregendo seu agravo, visto como he notorio, elle supplicante ser veedor da minha fazenda, & estar em posse do dito officio, pello qual tem privilegio de não ser demandado se não ante o Corregedor da minha Corte, o qual privilegio se estende as causas que pendão quando o officio lhe foi dado, por lhe ser dado moto proprio, & não a seu pedimento, nem de outrem por elle como a senhora Rainha minha avo o declarou, & disse aos iuizes deste instrumento. Reço adita excepção: & visto como he notorio o dito privilegio mado que o dito feito seia logo trazi do ao Corregedor de minha Corte dos feitos a que pertece por bẽdo dito privilegio.*

Lata fuit hæc sententia anno 1557. nona die Novembris per Doctorem Ludovicum Alfonso, & Licentiatum Alvaro do Quintal, in favorem de dom Guileanes da Costa, qui tunc temporis unus erat ex præfectis regij patrimonij. Hæc tamen omnia limitabis per Ord. lib. 2. tit. 29. §. 3. & Ord. lib. 2. tit. 1. §. 4. de quibus vide Grammaticum dec. 10. numer. 3. Covarr. practicarum, cap. 32. num. 4.

## DECISIO XXVI.

De privilegio fori famuli senatoris in criminalibus.

### SUMMÆ.

1. Privilegium senatoris in criminalibus tunc demum locum habet, quando ipse alium accusat, non quando accusatur.
2. Ord. lib. 3. tit. 5. in princ. ult. verbis, declaratur.
3. Opinio aliquorum circa intellectum prædictæ Ord.

Quæstio fuit in senatu: Cum quidam senatoris servus in quodam municipio regni furtum commisisset, & captus in carceribus detineretur, dominus, qui in senatu erat, petit à curiæ prætoris criminali, ut acta ad se deferri juberet, juxta senatorum privilegium; re perpensa non ei concessum id fuit, quia illud privilegium concessum videtur tantum senatori, ubi ille alium accusat criminaliter, ut est ord. lib. 2. tit. 43. §. 6. non autem ubi ille accusatur criminaliter, & multò minus datur ejus servo accusato.

Nec potuit juvari Ord. lib. 3. tit. 5. in principio ultimis verbis, quamvis pars læsa veniam delicti concesserat, & ab accusatione destiterat, quo casu videbatur in curia reus accusandus per istum text.

Loquitur enim in reis privilegiatis, qualis non erat



erat iste reus, ut dixi, & ideo licet accusatorem non haberet, debuit in loco delicti conveniri, ubi sortitus est forum, & ita in senatu visum fuit senatoribus.

3. Aliqui tamen dicebant, quod Ord. supradicta privilegium concedit famulis, ac servis curialium, ut non possint extra curiam conveniri, etiam in criminalibus, nisi accusatores habeant, & hi malint in loco delicti eos convenire; ergo si accusatores non habeant, sequitur, quod fiscalis, seu promotor ex parte reipublicæ offensæ, & justitiæ, non potest eos alibi quam in curia convenire, de quo cogita, & vide Capicium decis. 209. num. 31. versic. idem in familiaribus potestatis, &c.

DECISIO XXVII.

An colonus conducens per publicam scripturam, si conveniatur, finito tempore, tamquam reconductor, ordinariè, an per assignationem decem dierum conveniendus sit?

S U M M Æ.

1. Colonus, qui per tacitam reconductionem locaverat, an conveniendus sit iudicio plenario, an summario per assignationem decem dierum, ad apponendas exceptiones.
2. Resolutio questionis, ut plenariè conveniatur, non summarie per assignationem decem dierum.

1. **Q**uestio fuit in senatu: quidam colonus conduxerat fundum certo tempore, quo finito, manit in conductione, & quia per publicam scripturam contraxerat super conductione, dominus illum conveniebat super reconductione, petebatque decendum illi assignari per Ord. lib. 3. tit. 16. in principio, ibi, *Et autor mostrar scriptura publica* quasi super reconductione etiam per scripturam publicam contraxisset.

2. Reus verò negabat se alia via, quam ordinaria conveniendum, quippe qui per continuationem tantum culturæ videretur reconduxisse, quod prius ab actore docendum erat, cujus contrarium ipse etiam reus posset probare; unde tum quia sine scriptura contraxisset, tum quia de jure actoris non aliter constabat, quam si prius probaretur, ut fieri solebat in scripturis non liquidis, sed conditionalibus, non per summarium decendij, sed per libellum, & ordinem juris plenarium erat conveniendus. Et ita placuit in senatu prædictis rationibus.

DECISIO XXVIII.

Intelligitur Ord. lib. 3. tit. 16. in principio, circa assignationem decem dierum, an peremptorij sint?

S U M M Æ.

1. Decem dies assignati ad opponendas exceptiones, an peremptorij sint?
2. Impeditio non currit tempus.

3. Officiali imputanda est negligentia, non parti.
4. Resolutio questionis.

**Q**uestio altera fuit in senatu circa dictam Ord. lib. 3. tit. 16. in principio, ibi (*dez dias peremptorios*) assignati sunt hi decem dies in auditorio [audientia, vulgò dicitur] coram advocato rei conventi, cui scriba processum non dedit, nisi decem elapsis diebus: dubitatum fuit, si elapsi censeri debuerant, & an in processu conclusio facienda erat, ut iudex pronuntiaret super causa principali? Actor contendebat elapsos esse decem dies, & conclusio-nem in processu esse faciendam, nam prædicti decem dies peremptorij sunt, ut inquit prædicta Ord. & quod advocatus Rei debuerat processum petere, & visam in auditorio: & rursus reus tenebatur facere diligentiam ad processum habendum, ut possit exceptiones opponere intra illos decem dies. Pro parte R. allegabatur, quod advocatus petierat visam, & scriba tenebatur processum advocato dare, & quoad illum non daret, tempus decem dierum non currebat, & quod iste erat stylus senatus & auditorij: impedito namque tempus non currit, l. unica C. de annali exceptione, &c. cap. Quia de præbend. & imputatur officiali, per quem stetit, non autem parti, per quam non stetit.

Decrevit senatus, quod si advocatus Rei petiit processum & visa delle, aut per iudicem in auditorio illi dari iustum est, quod decendum ei non currebat, nisi à die quo processus advocato datus fuerit, & hoc casu servaretur stylus, quamvis pars tenebatur instare, ut processus daretur suo advocato, & cum non fecit, in aliqua fuit culpa, quæ sibi imputari debet.

DECISIO XXIX.

Intelligitur Ord. lib. 5. tit. 50. in principio, circa informationes faciendas in chartis, quas vocant (*de se gurança real.*)

S U M M Æ.

1. Informatio iudicis, ut charta regia securitatis concedatur, utrum sit facienda per testes de causa interrogatos, an sufficiat alia iudicis informatio, de qua non appareat? & an talis informatio presumatur, si iudex ad simplicem partis petitionem huiusmodi securitatem concedat?
2. Informatio per testes debet præcedere, de quorum dictis per instrumentum, aut acta constet.
3. Iustus metus debet probari, ut talis securitas præstetur.
4. Præceptum penale imponi non potest, sine causa cognitione. Citatus ad præstandum assurementum, rejectis omnibus exceptionibus tenetur illud præstare, & ita servat stylus in Parlamento Francia. ibid.
5. Idem servatur de jure nostro, ubi talis securitas petitur a prætoribus curiali criminalium causarum.
6. Intelligitur prædicta Ord. in illo verbo (*Et o ameaça*) Arbitrio iudicis relinquendum est, quæ sit justa causa concedendi istam securitatem. ibid.

Sic etiam intelligitur statutum Verona, & Ferraria. ibidem.

1. **D**ubium fuit in senatu circa intellectum Ord. lib. 5. tit. 50. in princ. ibi ( *despois que o juiz for informado* ) utrum hæc informatio, seu instructio iudicis esset facienda per testes de causa interrogatos: an sufficeret alia iudicis informatio, de qua non apparet? Et an præsumeretur talis informatio, licet iudex ad simplicem partis petitionem concederet huiusmodi?
2. Et placuit, ut informatio per testes præcederet, de quorum dictis per instrumentum, aut acta constaret, & ita verba ista [ *que o juiz for informado* ] senatus accipienda censuit.
3. Primum, quia iustus metus debet probari, aliàs iudex non faciet dari talem securitatem, ut ait Ioan. Imol. in l. 2. §. 1. D. solut. matrim. obiter Bart. ibi, in fine.
4. Item, quia præceptum pœnale, quale istud est, sine causæ cognitione non valet, ut dicit Hypol. conf. 79. & singul. 648. denique ultra præcitatatos Doctores, cautionem, sive securitatem hanc non aliter esse præstandam, quam causa cognita, affirmant Bart. in l. hac autem, in principio, D. si cui plusquam per l. Falcid. Felin. in rubr. de treug. & pace, numer. 30. vers. prima declaratio Paris. conf. 178. nu. 2. lib. 4. Petrus Plaça de delictis, lib. 1. cap. 7. n. 1. in fin. quos refert, & sequitur Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 2. casu 140. num. 4. ubi allegat etiam Rip. idem tenentem in rub. D. de damno infecto, num. 17. & sequenti, vers. quarto dubitatur. Idem tenet Bart. in l. capitalium §. ad statutas. D. de pœnis, dicens, quod dicta securitas non potest præstari, nisi appareat de causa, & sequitur additio ad Capellam Tolosanam, quæst. 489. vers. sed an sit necesse. ubi dicit, quod in Parlamento curiæ servat stylus, quod citatus in ea ad præstandum asscuramentum rejectis omnibus exceptionibus tenetur præstare cuicumque laico petenti, licet non alleget factum seu injuriam, & hoc propter excellentiam curiæ prædictæ, quæ suprema est, & capitalis: in aliis autem curiis inferioribus tenetur proponere, & probare; ita additio supradicta Aufserij, quem vide.
5. Et idem servatur jure nostro, ubi talis securitas petitur à prætore causarum criminalium in curia, qui ad simplicem partis allegationem illam concedit, ut in §. 1. huius Ord. ibi ( *& allegat algũas taes raçõis* ) quia propter ejusdem curiæ præminentiam remittit causæ cognitionem ad præsidem provinciæ, vel iudicem municipale, ut d. §. 1. ultimis verbis. Et ita fuit resoluta dicta quæstio in senatu, in quam rem allegatur Ord. lib. 3. tit. 83. §. 2. Et facit præcitatatos stylus Franciæ, de quo additio Tolosana.
6. Circa eandem Ord. in §. 1. in illo verbo ( *o ameça* ) dictum etiam fuit, quod iudex cognoscere debet, an minæ fuerint veræ, vel illusoriæ, & an is consuevit minas exequi, ut per Bart. in l. hac autem, in princ. D. si cui plusquam, per l. Falcid. Fel. & Plaçam ubi supra, quos sequitur Menoch. ubi etiam sup. & tandem ibi resolvit relinquendum arbitrio iudicis, quæ sit iusta causa concedendi istam securitatem, ubi illa non exprimitur, & sic intelligendum putat statutum Veronæ, & Ferrariæ.

## DECISIO XXX.

Examinatur casus notabilis circa Ord. lib. 3. tit. 16. in principio: an decem dies currant, si acta sunt in senatu cum petitione gravaminis?

## S U M M Æ.

1. An decendium currat, ab eo die quo primum assignatum fuit, an postquam petitio gravaminis in senatu fuit expedita?
2. Decendium numerandum est à die, quo iudex illud à principio præfinivit.
3. Reus potest excipere de eadem causa, intra decem dies, de qua ad senatum supplicavit.
4. Limitatio ad regulam qua habet, quod impedito non currit tempus.
5. Impedito, qui potuit impedimentum remove, tempus currit.
6. Tempus reo præfinitum, intra quod tenetur acta ad senatum deferre postquam supplicavit, currit à die quo sententia per cancellariam transit: secus si eam impediatur excipiendo, quod notabiliter declaratur.
7. Decendium reo assignatum, an currat, quando opponit exceptionem incompetentiæ, vel aliam quamcumque dilatoriam.

**A**Lia quæstio in senatu tractata fuit anno 1581. **A**F. convenit A. ex cautione, seu chirographo habente vim publicæ scripturæ, juxta Ord. lib. 3. tit. 16. in principio, ibi [ *ou alvara feito, & assignado* ] vel aliàs recognito, juxta d. Ord. §. fin. & Extravag. novissimam de ordine iudicij ad brevitatem litium, §. 4. præfixit iudex decem dies, juxta d. Ord. ibi [ *asine logo termo de dez dias* ] A. illis præfixis, ne per decendium procederetur à iudice postulavit, eò quod causa alium procedendi modum, & ordinem plenarium requireret, quia chirographus recognitus non erat, nec vim haberet publicæ scripturæ, sed quia iudex postulationi non detulit, senatum per petitionem, ut dicitur, supplicavit, & ad illum acta deferri curavit, ubi multis mensibus ab eo neglecta tacuit petitio, & tandem decreto contrario repulsa, ad iudicem rediit, jubente senatu, ut ex decendio procederetur. Quare iudex ex tunc decendium inchoandum pronuntiavit, à quo F. actor, qui ab eo die, quo primum designatum fuerat numerandum contendebat, ad senatum supplicavit.

Senatus re diligenter examinata decrevit numerandum esse decendium à die, quo iudex illud à principio præfinierat, quia si aliter statueretur, facile & frequenter fieret fraus huic legi, si reis conventis liceret huiusmodi supplicationibus ad senatum interjectis decendium sibi præfinitum suspendere, vel sopire, dum ejus responsum spectant, atque ita protelandi magis, quam abbreviandi lites daretur ansa, contra mentem huius ord.

Item allegabatur, quod reus de ea ipsa materia potuit intra decem dies excipere, de qua ad senatum suppli-

supplicavit, admiscendo etiam alias exceptionum species, quas Ord. hæc præscribit, & ita excipiendo legi satisfacere, & simul senatum supplicare, atque interim dum senatus non respondet exceptionis probationem in decendio facere, quod cum non fecerit, sibi imputet, qui quod facere debuit & potuit, omisit.

4 Nam licet impedito culpa officialium, vel iudicum non currat tempus, arg. l. 1. §. dies autem. D. quando appellandum sit. bonus text. in l. uni. D. de libellis dimissoriis. & est Ord. lib. 3. tit. 77. §. 12. tamen fallit quando aliter potuit impedimentum removeri, & fieri quod fuit omisum, quia tunc cum quis potuit facere id, ad quod tenebatur, & non fecit, non videtur impedimento, sed potius sua culpa non fecisse, arg. l. quod te mihi cum glossa si. ubi Rip. numer. 16 D. si cert. pet. & notat Paul. in l. si duob. numer. 5. D. de acquir. hered.

5 Et facit, quod dici solet, impedito currere tempus, qui potuit impedimentum removere, c. si. de elect. l. 2. §. si tamen D. si quis cautionib. per Felin. in cap. ex transmissa, colum. 1. vers. facit ad hæc, de præscriptione. Ita in presenti casu reus, qui potuit intra decendium excipere, & exceptionem probare, sibi imputet, qui potius elegit senatum supplicare, & qui tantum supplicavit, cum etiam simul possit excipere.

6 Ponderabatur præterea ad hoc Ord. lib. 3. tit. 77. §. 11. in fin. ibi (em bargada na cancellaria pella parte que agravou) ubi pars, adversus quam lata fuit sententia, à qua supplicavit, tenetur acta ad senatum deferre intra duos menses, à die quo sententia per cancellariam transit. Sed si is ipse victus ibi eam impediatur excipiendo, ex tunc denumerantur illi duo menses, quia ipse sibi impedimentum præstat, & idem sibi imputet; secus si non culpa sua, sed alterius partis, vel iudicis fuit impeditus, ut notanter probat d. Ord. §. 12. qui est §. sequens, & ita fuit iudicatum in senatu.

7 Et hinc mota fuit etiam quæstio super d. extrava. novissima de ordine iudicij, ad litium brevitatem §. 6. quatenus jubet procedi summarie in exceptione incompetentiæ, vel quavis alia dilatoria, quam pars proponit intra decem dies: utrum nihilominus illi decem dies currant? & supradictis rationibus, magis placuit ut currebant, non obstante huiusmodi exceptione, quia simul reus potuit cum protestatione alias exceptiones admiscere.

## DECISIO XXXI.

Intelliguntur Ord. lib. 3. tit. 45. §. 10. & lib. 4. tit. 6. in principio.

## SUMMÆ.

1. Proponitur facti species.
2. Articuli, qui de contractu mentionem faciunt, qui sine scriptura publica probari non possunt, delendi sunt.
3. Consensus uxoris in contractu inter fratres inito publica scriptura probari debet. Ord. lib. 4. tit. 6. in princ. declaratur ibid.
4. Quando quis non contractum, sed fraudem probare intendit, per testes id facere potest.

1 **Q**uæstio fuit in senatu, circa intellectum Ord. lib. 3. tit. 45. §. 10. in illis verbis (entre ir

maos.) Duo fratres erant, & unus alteri debitor erat in quadam summa, pro qua à fratre conventus, & sententia condemnatus, ne pomarium, quod pignori dederat in executione victori traderetur sub hasta venundatum; cum eo convenit, ut aliud prædium rusticum ejusmet aut etiam majoris pretij accipere, & pomarium ipsi dimitteret, nec subhastari sineret, & huic conventioni, ac transactioni consanguineum etiam mediatorem adhibuerunt: dumque tabellionem & alia ad scripturam consiciendam præpararent, victor, clam subhastationem, & executionem perfecit, pomariumque in licitatione venundari fecit: quod sciens victus adversus additionem & executionem, de nullitate & fraude excepit, & articulos inter alios de præparatione dictæ conventionis proposuit: victor postulavit, ut 2 scripturam offerret, alioquin delerentur articuli, cum de contractu facerent mentionem, qui sine scriptura publica non poterat probari, quia erat de rebus immobilibus, nec afferret consensum uxoris, juxta Ord. in 4. tit. 6. Respondebat victus, inter fratres talem scripturam non requiri per istam Ord. in hoc §. 10. Sed victor replicabat Ord. non comprehen- 3 dere fratris uxorem, cujus consensum etiam scriptura publica expressum desiderabat, ut d. tit. 6. in principio lib. 4. & hoc placuit senatui.

Ceterum, quia victus non allegabat contractum, 4 ut ex eo fratrem obligaret ad ejus complementum, sed ad illum de fraude & tergiversatione convincendum, admissi fuerunt articuli, & probatio per testes permissa fuit. Quod notandum est, in processu Philippi Vincentij cum fratre suo, in mense Januarij anni 1581.

## DECISIO XXXII.

Iudex qui cognoscit de proprietate, idem potest cognoscere de possessione, si modo ad utrumque sit competens.

## SUMMÆ.

1. Conventus super proprietate alicujus rei coram uno iudice, non potest actorem convenire super possessione ejusdem rei, nisi coram eodem iudice, & hoc sive duret, & pendeat primum iudicium, sive sit finitum.
2. Hoc procedit, quando iudex competens est, & utroque casu habet jurisdictionem: secus si incompetens sit.
3. Ord. lib. 3. tit. 24. unde deducta sit.
4. Clericus qui convenit laicum super possessione beneficij, coram iudice laico, potest reconveniri ab eodem laico super proprietate coram iudice Ecclesiastico.
5. Regula communis, & generalis non debet violari per regulam accidentalem, & non multum necessariam.
6. An reus conventus coram iudice Ecclesiastico super contractu usurario, possit convenire actorem super possessione coram iudice laico. Laicus non potest consentire in iudicem Ecclesiasticum in casibus in quibus jurisdictio ad iudicem secularem pertinet. ibidem.

7. Quid

7. *Quid decretum sit in hac quaestione.*  
 8. *Quid dicendum sit, si per reconventionem agatur.*

**R**eceptum est in jure, quod conventus super proprietate alicujus rei coram uno iudice, is talis conventus non potest convenire actorem iterum super possessione ejusdem rei, aut è converso, nisi coram eodemmet iudice, & hoc sive duret, & pendeat primum iudicium, sive sit finitum, ut resolvit glossa. Bart. Bald. & alij DD. in l. nulli. C. de iudiciis, gloss. Abb. Imol. & alij in c. fin. de iudiciis.

Pro qua conclusione illa redditur ratio, quia in primo casu, quando pendet primum iudicium, tum natura reconventionis, tum causæ continentia impedit illius divisionem: in secundo autem casu, nempe finito primo iudicio, durat adhuc impedimentum propter causæ continentiam, ne scilicet dividatur, secundum Bald. & Abb. ubi supra.

**2** Hoc tamen procedere dicunt, quando idem iudex competens est, & jurisdictionem habet in utroque casu: secus autem si competens non est, puta, quia jurisdictionem non habet in secunda causa, in qua is, qui erat reus in prima, agit ut actor, tunc enim is ita conventus super proprietate poterit alium convenire super possessione, aut è converso coram alio iudice competente, & hoc, sive prius iudicium pendeat, sive sit finitum.

**3** De primo casu, quando pendet primum iudicium, est text. in Ordin. lib. 3. tit. 24. §. 4. qui desumptus videtur ex Innoc. Host. Ioan. Andr. & communi Canonistarum in capit. 1. de mutuis petitionib. de quo per Abb. ibi, num. 8. & Marian. artic. 6. fallentia 1. num. 58.

**4** Et potest exemplum poni in clerico, qui convenit laicum super possessione beneficii, aut juris patronatus illius coram iudice laico (in casibus, in quibus laicus cognoscere potest) & laicus vult reconvenire clericum super proprietate coram iudice Ecclesiastico, poterit id quidem facere, quia hoc casu, cessat ratio reconventionis faciendæ ante iudicem sæcularem, cum incompetens sit ad cognoscendum de causâ proprietatis beneficii, aut juris patronatus.

**5** De secundo casu, quando finitum est primum iudicium, est text. & ibi glos. 2. & DD. qui eam sequuntur, in cap. fin. de iudiciis. ubi Abb. num. 15. qui dicit, quod hoc casu regula illa communis generalis & naturalis, quod actor sequatur forum rei, non debet violari propter illam regulam accidentalem, & non multum necessariam, ne causæ continentia dividatur.

**6** Ex his dubitatum fuit in senatu, de tali quæst. Duo laici super usurario contractu coram iudice Ecclesiastico, qui jurisdictionem prævenerat, litigabant: contendebatque actor, quod reus censum, quem super hereditate sua emerat, non poterat perire, quia usurarius fuerat contractus, & ut talis iudicari debuerat. Reus illum conveniebat super possessione, in qua erant percipiendi census, ut in illa conservaretur; dubitabatur, possetne id facere, cum hoc casu alter laicus declinabat ad suum iudicem, ex reg. quod actor sequi debet forum rei; & hic per actionem, non verò per reconventionem agebatur, & laicus non potest consentire in iudicem Ecclesiasti-

cum in casibus, in quibus jurisdictione ad iudicem sæcularem pertinet, Ord. lib. 2. tit. 1. §. ultim. Bart. in l. 1. §. & post operis. D. de novi. oper. nuntiat.

Nihilominus tamen fuit conclusum, quod non poterit cognoscere iudex Ecclesiasticus, & quod potius prævalere debebat reg. illa, Actor sequatur forum rei, naturalis, & generalis, quàm alia accidentalis, ne continentia causæ dividatur, & quod iudex Ecclesiasticus super lite usuraria procederet.

Quod si per reconventionem ageretur, tunc contrarium foret dicendum, ne continentia causæ divideretur: quamvis hoc secundum decisum non fuit, quia de eo non agebatur. Et de hac, quæst. fusius alio loco tractabimus.

### DECISIO XXXIII.

An per instrumentum factum inter contrahentes, contra heredes eorum via executiva procedi debeat.

#### S U M M Æ.

1. *Ordinatio lib. 3. tit. 16. §. pen. in illis verbis, as proprias, an intelligenda sit de propriis tantum personis facientibus obligationem, an etiam de acceptantibus.*
2. *Lex intelligitur secundum naturam tituli in quo posita est.*
3. *Ex præfationibus intelligitur dispositio.*
4. *Ord. prædicta intelligenda est de utraque personam creditoris, quam debitoris.*
5. *Heres creditoris debet prius legitimare suam personam, ut possit agere; alioquin caret actione.*
6. *Heres eadem persona cum defuncto censetur.*
7. *Creditor, & debitor sunt correlativi, & quod in uno dicitur, idem in altero est dicendum.*
8. *Maritus potest per decendum conveniri ex contractu, quem uxor ante matrimonium celebravit.*
9. *Scriptura conditionalis, si conditio sit impleta, dicitur pura.*
10. *Idem dicendum est, si scriptura purificetur ex conjunctione actorum, vel ex conjunctione alterius scriptura.*
11. *Idem est, si purificetur ex confessione partis.*
12. *Decendum, & privilegium processus executivi, jure communi concedebatur publicis instrumentis.*

**C**irca Ord. lib. 3. tit. 16. §. pen. in illis verbis, *as proprias*, sæpè in senatu oriuntur dubia: an loquens de propriis personis intelligenda sit de facientibus obligationem, an verò de acceptantibus. & aliqui dicebant esse intelligendam de facientibus obligationem, non verò de acceptantibus: differentia namque est inter facientem, & acceptantem, ut in Ord. lib. 4. tit. 33. in princ. in vers. *Ea parte*.

Item lex intelligitur secundum naturam tituli, in quo posita est, l. *Imperator. D. de in diem adiectione*. Bart. l. *fin. in princip. D. de condit. indebit.* At rubrica, sub qua ista lex situatur, loquitur de modo procedendi contra obligatos per publicas scripturas: ergo de illis, dumtaxat, est intelligenda.

Item ex præfationibus intelligitur dispositio, l. *fin. D. de hered. instit.* At in præfatione hujus Ord.

con-

continetur, quod solutiones, quæ debent fieri virtute publicarum scripturarum, non retardentur debitorum exceptionibus: ergo de ipsis, non de creditoribus loquitur: faciunt quæ tradit Iaf. in l. Possideri numero 16. de acquirend. possessione. Hæc allegata fuerunt in quodam processu à senatore docto: & facit d. Ordin. in princ. ibi, *Alvara feito & asinado*, ubi manifestè agit de creditore, & hoc jure utimur.

4 Tamen dubitabile hoc est, & magis dicendum videtur Ordin. esse intelligendam de utraque persona, tam creditoris, quam debitoris, ex illis verbis, *que sizeram as taes escrituras*, non enim dicit, quod fecerint obligationes, sed Scripturas. At Scripturam utraque pars dicitur facere.

5 Et ea ratione, ut videtur, quia heres, aut successor creditoris debet prius legitimare suam personam, ut possit agere, alioqui antea caret actione, ergo interim non possunt assignari decem dies debitori ad solvendum, vel excipiendum: facit, quia ita consuetudo est legem interpretata, & hoc jure utimur. l. si de interpretatione. D. de legibus.

6 Facit quia idem est, ubi convenitur heres debitoris, quia licet heres juris artificio eadem persona censeatur cum defuncto, excluditur tamen ex hoc verbo, *proprias*, ut in simili notat Bald. & Salicetus, in l. 2. verb. *propria*. C. quorum appellation. non recipiant. & ideo nisi hoc verbum, *proprias* poneretur, heres etiam includeretur, Alexand.

7 in l. postulante. numero 6. D. ad Trebellianum. Et cum creditor, & debitor sint correlativi, quod in herede debitoris dicitur, idem videtur dicendum in herede creditoris, præsertim cum eadem legitimandæ personæ militet ratio. Quare hæc ordinatio intelligenda videtur de propriis personis contrahentium, scilicet tam debitoris, quam creditoris. Ceterum, legitimatis prius personis, admittendum videtur, ut procedatur tamquam ex instrumento liquido. Bartol. in l. postulante. D. ad Trebellianum. Bald. l. per diversas, quæstio. 10. C. mandat.

8 Quod si uxor in casu istiusmet Ordinationis contraxerit ante matrimonium & maritus postea tantum convenitur: utrum possit per decendum conveniri? quæstionis fuit in senatu, & conclusum est, quod sic.

9 Circa istam Ordinationem notandum etiam est, quod in principio meminit Scripturæ publicæ, unde est intelligenda, si modò sit pura: & dicitur pura, si conditionalis sit, & conditio impleta. Bald. in l. cum testamento. C. de manumif. testament.

10 Item si Scriptura purificetur ex conjunctione actorum, vel ex conjunctione alterius Scripturæ. Bald. in l. final. C. falsa causa adiect. legato. & in cap. auditis. colum. 3. de rescriptis. Iafon. l. Gallus §. ille casus, num. 10. de liber. & posthumis.

11 Item si purificetur ex confessione partis, quia confessio talis æquipollet Scripturæ, l. cum te, ubi Iafon. num. 5. C. de transactionibus. Idem Bald. in l. 2. C. de bonorum possess. secundum tab. Hippol. in rubr. de probat. num. 69.

12 Nota etiam, quod isti decem dies, de quibus loquitur ista Ordinatio in principio, & privilegium processus executivi, jure communi non concedebatur publicis instrumentis, l. minor. 25. annis, cui

Cabedo Pars I.

fideicommissum. D. de minoribus. latè Anton. Massa. tract. de obligatione in forma Camera.

## DECISIO XXXIV.

Circa juramentum decisorium multa notabilia traduntur, ex quibus aliquæ leges regię intelliguntur.

### S U M M A.

1. An standum sit juramento decisorio etiam in qualitate, qua præcisè non concludit jurantem non esse debitorem.
2. Quando juramentum à parte defertur, creditur juranti, non solum circa principale debitum. sed etiam circa qualitatem adjectam, qua concludit se non esse debitorem. Juramenti decisorij qua sit vis, & quos producat effectus. Ibidem.
3. Vtrum reus, qui juravit se non esse debitorem ex duplici causa, altera sterilitatis, altera lesionis ultra dimidiam, absolvendus sit?
4. Vt reus absolvatur, requiritur qualitas concludens simpliciter & absolute.
5. Qui jurat se debere ex contractu, sed liberatum ob sterilitatem, non concludit se liberatum. Sterilitas exigua non excusat à solutione. Ibidem.
6. Sterilitas unius anni potest compensari cum ubertate aliorum, si multi sint jam decursi in conductione. Reus qui in juramento non respondit talem fuisse sterilitatem, qua cum nulla aliorum annorum ubertate possit compensari, concludenter non infert se liberatum. Ibidem.
7. Allegatio sterilitatis facta ab eis, qui per plures annos conduxerunt, non facile debet admitti.
8. Sterilitas debet probari per testes rustodes, & inspectores frumenti. De specie non arguitur ad genus, nec de parte ad totum. Ibidem.
9. Jurans se non debere ob lesionem ultra dimidiam absolvendus non est. Allegans contraria non auditur. Ibidem.
10. Si justa pensio non exprimat, non potest intelligi, qua sit læso ultra dimidiam illius.
11. Si læso in conductione interveniat, locator potest eligere vel rescissionem contractus, vel reductionem ad justam pensionem.
12. Quid decretum sit in præsentii casu hujus decisionis.
13. Sterilitas regulariter non excusat, nisi specialiter in casu, ubi labes omnem fructum abstulit: secus si aliqui fructus supersint, licet non sufficiant ad dimidiam pensionem solvendam.
14. Dimissio, vulgò en campacão, licita est, si fiat juxta formam Ord. hic allegata.
15. Quando regulariter actus fieri prohibetur, & in aliquo casu speciali permittitur, casus, seu qualitas debet exprimi ut admittatur.
16. Qui actione furti convenitur, & delato juramento jurat se non rapuisse, non concludit se liberatum.

17. *Conventus ex stipulatu iudicatum solvi, si simpliciter juraverit se non dare oportere, poterit rursus conveniri actione iudicati.*
18. *Conventus ex mutuo, si juret se non teneri de constituta pecunia, non ideo liberabitur.*
19. *Iurans debet certitudinaliter, & precise jurare, nec sufficit, si dicat, se putare, aut credere non debere.*
20. *Iuramentum habet vim plena probationis. Sicut probatio incerta, & ambigua non relevat probantem, ita nec iuramentum continens causam ambiguam. Ibidem.*
21. *Si quis falsum juret delato iuramento contrarium amplius probari non potest, nec de veritate debiti queri. Potest tamen conquiri de qualitate iuramenti, & an sit legitime juratum, concludenter, & precise. Ibidem. Sterilitatis verbum generale non concludit absolute liberationem, & super sterilitate possunt recipi probationes. Ibidem.*
22. *Renuntur aliqua causa, & qualitates, qua precise concludunt jurantem non esse debitorem.*
23. *Qualitates alia exprimentur, qua non sufficiunt ad liberandum.*
24. *Contra eum fit interpretatio, qui apertius potuit jurare, & iuramentum declarare, tamquam contra probantem ambiguit.*

1 **C**olonus quidam conventus ob debitam pensionem, seu ut nostri vocant, *matança*, & delato ei iuramento, juravit se debitorem esse, sed læsum fuisse in locatione ultra dimidiam, insuper & in fructibus sterilitatem contigisse: ortum fuit dubium in senatu, an standum esset iuramento decisorio, etiam in qualitate, sive causa, quæ præcisè non concludebat jurantem non esse debitorem.

2 Et dicendum, quod ubi iuramentum à parte defertur (quod voluntarium appellatur) creditur juranti, non solum circa principale debitum, sed etiam circa adjectam qualitatem, qua se non debitorem esse concludit; probat Ordin. libro 4. titulo 36. Paragrapho fin. quod & de jure tenet Bartol. in l. si cui. Paragrapho si à filio. D. legat. 1. Imol. in l. si quis à filio. eod. tit. Bald. in l. si quidem. C. de except. Abb. in cap. bona. notabl. 6. de postulat. pralatorum, Alexand. conf. 87. libro 1. & est recepta opinio, & probabilior, ea ratione, quia tale iuramentum litis decisorium habet vim transactionis, & majorem auctoritatem, quam res iudicata, l. 2. D. de jurejur. & valet ut sententia lata per veras probationes, l. nam postea. Paragrapho si donetur. D. eod. imò sicuti lata contra confessum, l. post rem iudicatum D. de re jud. unde sicuti in contractu transactionis, & in sententia potest & debet adjici ratio, & qualitas concludens justitiam ipsius, ita in iuramento eiusmodi licet adjicere causam, & qualitatem, quæ concludat jurantem non esse debitorem, & ideo etiam super tali qualitate standum est iuramento, & hoc videtur planum, quamvis DD. in hoc variant.

3 Ceterum in presenti casu, quamvis reus conventus juraverit se non esse debitorem, ex duplici causa, altera sterilitatis, altera læsionis ultra dimidiam, & ideo fuerit absolutus.

4 Videbatur tamen, quod non esset standum qua-

litati adjectæ, quia non concludebat illum non debere, & idem esse cum adicitur talis qualitas, quæ requirit probationem, & liquidationem, ut aiunt, & nihilominus condemnandum esse jurantem se debere, quia ut absolvatur, requiritur qualitas concludens simpliciter, & absolute, hæc autem talis qualitas adjecta non fuerat.

Nam quod attinet ad sterilitatem, qui jurat se debere ex contractu, sed liberatum ob sterilitatem, non concludit se liberatum, tum quia talis potuit esse sterilitas, quæ illum non excusaret, puta si fructus exigui sunt collecti, l. si uno. Paragrapho 1. l. ex conducto. Paragrapho idemque. D. locat. quia requiritur, quod sit talis sterilitas, quæ omnes fructus abstulerit, non tantum eorum partem etiam maximam, d. l. ex conducto, Paragrapho 1. vers. sed si tales. Ordin. libro 4. titulo 61. in princ. ibi, todos os fructos, idem disponit l. 22. titul. 8. part. 5. not. Angel. consil. 52. sic enim interpretanda videntur esse jura illa, licet DD. variant in hoc, & rationem sensit Bartol. d. l. si vis major. colum. 2. numero 4. & 5. unde cum hujusmodi sterilitatis qualitas possit se habere ad unam, & alteram speciem, incerta est responsio, & non concludens, & ideo non relevat respondentem, sicuti probatio non relevat probantem. cap. in presentia, de probat. not. Ioan. Andr. per illum text. in cap. auditis, de præscript. Socin. in l. 2. C. de bonorum possess. secundum, tab. Alexand. conf. 119. libro 1. facit gloss. in l. nec natales C. de probat.

Tum & secundò quia licet expressa fuisset vera sterilitas, tamen cum pro pluribus annis fuerit facta conductio, & multi essent jam decursi, fieri potuit, ut hujus anni, de quo agitur, sterilitas compensari potuerit cum ubertate præcedentium annorum, idque plerique testes in processu significabant, d. l. si uno, in princ. ibi, & qua evenerunt, l. licet, C. locat. Ord. tit. 61. in princ. vers. Empero, ibi, nos outros annos da dito arrendamento asi antes como despois, & d. l. licet, ibi, aliorum annorum: unde cum reus in iuramento non responderit fuisse sterilitatem, quæ cum nulla aliorum annorum ubertate possit compensari, planè concludenter non intulit, aut necessario, se ob sterilitatem liberatum.

Et re vera non facile debet admitti allegatio sterilitatis facta ab his, qui per plures annos fundum conduxerunt, quia vix est, ut unius anni sterilitas, si accidat, cum ubertate alicujus ex alijs annis non compensetur.

Ex quibus supervacaneum nonnullis senatoribus visum fuit, in eo processu inquirere; an conductor renuntiaverit sterilitati, & an potuerit denuntiationem (quam, *en campança* dicimus) facere. Et utrum illa fecerit eo modo quo debuit; nam etsi hæc omnino cessent, & denuntiatio, seu incampatio fuerit legitime facta (de quo tamen dubitabatur) adhuc dicebatur ex delato iuramento reum obligatum, quia non juravit adiecta denuntiationis qualitate; non enim dixit, juro me non teneri, quia denuntiationem legitime fecerim. Sed etsi possit allegari sterilitas, & denuntiatio, melior erat actoris probatio: nam reus non docebat adhibuisse testes custodes, aut inspectores collectionis, & demetionis frumenti, ut requirit Ord. lib. 4. tit. 60. §. fin. & actor melius docuerat, eo anno plures & non exiguos fructus

fructus collegisse, præter præcedentium ubertatem; reus verò id contraria probatione non elisit, sed tantum in quadam portione prædij, quæ appellabatur, *d. s. cordas*, illud infrugiferum fuisse docuit, ob inundationem: quod non sufficit, quia de specie affirmativè non arguitur ad genus, nec à parte ad totum.

- 9 Quod verò attinet ad secundam qualitatem de læsione ultra dimidiam, idem quod de superiore dicendum videbatur, quia reus juravit se debere ex contractu quasi valido, & statim adjicit se non debere ex eo, ut invalido & infirmo per læsionem, & ita allegans contraria audiri non debet. *l. i. C. de furt. l. Fitia. D. de condit. & demonstrat.*
- 10 Item, quia non expressit justam pensionem, & idè non potest intelligi, quæ sit læsio ultra dimidiam illius; ergo incertum fuit juramentum non concludens.
- 11 Item, quia responsio, quòd talis læsio intervenit, concludit solum, quòd locator debet eligere vel rescissionem contractus, vel reductionem ad justam pensionem, juxta *l. 2. C. de rescindenda vendit.* & cum ea qualitas contineat istam alternativam, non concludit simpliciter, & absolute conductorem jurantem non esse obligatum, quem admodum Ordin. desiderat *libro 4. titulo 36. §. fin. ibi, que conclusa elle não ser obrigado. l. si illud. §. si quis juraverit. l. duobus, §. si ei. ad fin. D. de jurejurando.*
- 12 Quare ex his revocata fuit sententia, & reus condemnatus, inspecto juramento, & eius ambigua, & subdola, & varia adiectione, eo etiam attentò, quòd probabatur, reum solere hujusmodi cautelis, & circumventionibus debitas plerumque pensiones, & ad quas obligatus erat, eludere, bonus aliqui, ad solvendum refractarius, ut testes dicebant, 29. Novemb. 1575. majori voto senatorum.
- 13 Et pro eadem sententia illud allegabatur: quòd sterilitas regulariter non excusat, nisi specialiter in casu, ubi labes omnem fructum abstulit. *l. ex conducto. §. i. D. de locat. Ordin. libro 4. titulo 61. ibi, todos os fructos.* nam, ubi aliqui fructus superfuerunt, sterilitas non inducit remissionem mercedis, etiam si illi non sufficerent ad dimidiam pensionis solvendam, ut aliqui dicunt, quia hoc est contra dicta jura, & similia; licet eo casu competat remedium ratione eiusmodi sterilitatis, *l. 2. C. de rescind. vend. si modò æstimetur, non eventus, sed rei status à principio, ut declarat Bart. in l. cotenferro, §. qui maximos, colum. 3. D. de publ. & vectigal.* Et ita defendi potest opinio Bartol. & aliorum in *l. licet. C. locat.* quos refert Covar. *pract. quest. c. 30. Ant. Gom. de contract. c. 3. n. 18. Paris. conf. 88. n. 23. l. 1.*
- 14 Iure autem nostro in hoc casu, licita est dimissio, quæ vulgò dicitur, *en campação*, si tamen fiat juxta formam Ordin. in *l. 4. tit. 60. §. fin.* Itaque cum in eo casu speciali sterilitas liberet colonum, non sufficit jurare sterilitatem evenisse, sed oportet exprimere specialiter illam qualitatem, scilicet, quòd omnem fructum abstulerit.
- 15 Nam ubi actus regulariter prohibetur fieri, & in aliquo speciali permittitur, si fiat, debet utique casus, aut qualitas permessa ex primi, ut admittatur: quòd in citatione dixit Innoc. in appellatione Abb. & in sententia Felinus.

Ita hic qui jurat, se liberatum ob sterilitatem, debet exprimere illam sterilitatis qualitatem specialem, ob quam solet remissio à jure concedi, alias simpliciter ob juratam sterilitatem non liberabitur.

Item facit text. in *l. duobus, §. si quis juraverit. D. de jurejur.* ubi conventus bonorum raptorum juravit non rapuisse, & tamen inquit text. quòd eo juramento non obstante potest conveniri actione furti, aut conditione furtiva, quia aliud est furtum fecisse, quòd etiam clam fieri potuit, aliud rapuisse, & ita probat, quòd conventus furti non liberabitur, si declato juramento juret, non rapuisse, quia non concludit omnino furtum non fecisse; ergo pari ratione, non satis erit jurare cum qualitate, quæ præcisè jurantem non concludat obligatum non esse.

Tertio inducebatur text. in *d. l. duobus, §. igitur.* ubi conventus ex stipulatu judicatum solvi, si juravit simpliciter se dare non oportere, poterit rursus conveniri actione judicati, non obstante illius juramenti exceptione; quia, inquit, potuit fieri, ut non fuerit commissa stipulatio, licet res judicata sit, quia vel in modo, vel in tempore defecerit stipulatio, secundum gloss. ibi, verb. commissa, & ita probat text. quòd conventus judicati, si juret se dare non oportere, quia dum conveniretur ex stipulatu judicatum solvi, fuit absolutus, non liberabitur, quia potuit absolvi eo, quòd non fuerit commissa stipulatio, quòd non sufficit ad liberandum ab actione judicati, nisi idè absolutus esset, quòd juraverit se damnatum non esse, ut inquit text. ibi, Nisi ideo, &c. Vides igitur causam, sive qualitatem adiectam juramento non sufficere, si ambigua sit, nec præcisè concludat jurantem esse liberatum.

Quartò ad idem ponderabatur text. in *l. si actor. D. eod. tit. de jurejur.* ubi videtur probari, quòd si conventus ex mutuo juret se non debere, quia pecuniam mutuo acceptam se non constituit soluturum, non ideo liberabitur, quia licet non teneatur de constituta pecunia, teneatur tamen de mutuo. Ecce quòd causa illa indifferens, quia non concludit jurantem omnino liberatum, illum non excusat.

Quintò magis in terminis aducebatur, quòd scriptis glossa per illum text. in verb. certioratur, in *l. jusjurandum 2. in princ. D. eodem. tit. de jurejurando.* dum inquit, quòd ubi juramentum de veritate delatum præstat, non sufficit si jurans dicit se putare aut credere, sed debet præcisè jurare, sic, aut sic esse, & illam gloss. commendat ibi, Bald. & Bolog. & est gloss. similis in *l. quoties D. eod.* qui text. probat, quòd debet certitudinaliter jurare se dare non oportere, & ideo non sufficit jurare se liberatum, quia Stichum, quem promiserat, putat decessisse. *d. l. jusjur. in princ.* ergo pari ratione debet jurare cum qualitate, quæ illum non esse debitorem concludat, alioquin non liberabitur.

Sextò facit illa omnium supradictorum ratio, quòd juramentum est veluti quædam probatio. *l. non erit, Paragrapho dato, ibi: quia satis probatum. D. eod. l. sed est. §. fin. l. eum qui tamen, in princ. D. illo tit.* immo habet vim plenæ probationis, secundum Angel. & Ias. in *§. item si quis 2. numero 2. Instit. de actor.* Ceterum sicuti probatio incerta, & ambigua non relevat probantem, ita nec juramentum continens causam ambiguum, & non concludentem debitum.

- 21 Nec obstat, quod præstito juramento, quod delatum est, etsi falsum quis juraverit, amplius contrarium probari non potest, nec de veritate debiti quæri, juxta Ord. in 3. tit. 5. §. 3. ad fin. facit l. adversus. D. de except. & l. non erit. §. dato. D. de jurejurand. ubi gloss. alia jura citat, & d. §. item si quis 20. ubi Ias. & alij, quoniam potest nihilominus quæri de qualitate juramenti, d. l. jusjurand. & l. ad pecuniarum, §. si de qualitate. D. eod. scilicet, an per improbatam religionem juraverit. d. l. non erit, §. pen. aut per verba non inducentia juramentum, juxta gloss. ibi, verb. religionis. Item an sit legitimè juratum, hoc est, prout fuerit delatum juramentum. l. 3. §. fin. cum duabus legibus sequentibus, l. qui per salutem. D. eod. Item si concludenter, & præcisè est juratum, id est, jurantem dare non oportere, per d. l. quoties, & d. l. jusjurandum, in princ. & utrobique gloss. an verò minus concludenter, & ambigüe, d. l. jusjurand. in princ. d. l. duobus, §. si quis, & §. fin. eod. titul. Et ita in præsentis specie licet reus colonus ex conducto conventus juraverit se non debere, quia tamen adiecit propter sterilitatem non debere, & illud sterilitatis verbum generale non concludat absolute liberationem; ideo judex illum sic jurantem non debuit absolvere, & merito audivit actorem excipientem adversus sententiam de forma juramenti, per d. §. si de qualitate, & quia illud eius arbitrio committitur, bene potuit articulos super causa juramenti, id est, sterilitate admittere, & super illa probationes recipere, & ob deficientem jurantis probationem, iterum illum condemnare, emendata priori sententia, quia causam juramenti, nempe sterilitatem, legitimè non probavit.
- 22 Ex quibus inferebat quidam senator jurantem liberari, si jurat se non debere, quia solvit, vel quia non contraxit. l. fin. §. 1. ubi gloss. verb. non oportere, D. de jurejurand. vel quia aliter jure non debet, nec præcessit contractus, gloss. verb. de reg. l. duobus, §. 1. D. de jurejur. puta quia habet debiti liberationem, vel quia dedit in solutum rem aliquam æquivalentem, vel quid simile, quia hæc omnia concludunt præcisè, jurantem non esse debitorem.
- 23 Inferebatur etiam secus esse, si jurasset non debere, quia contractus caruit solemnitate, quia talis potuit esse solemnitas, cujus defectus non infirmaret contractum. Item si juraverit intervenisse pactum de retrovendendo cum læsione pretij, quia talis potuit esse læsio, quæ contractum non efficeret usurarium. Item si juraverit conduxisse, sed non debere propter supervenientem sterilitatem, quia talis esse potuit sterilitas, quæ mercedis remissionem non mereretur.
- 24 Nec in dubio intelligendum est de sterilitate sufficiente ad liberandum, quia imò contrà eum fit interpretatio, qui apertius potuit jurare, tamquam contra probantem ambigüe, cap. in præsentia, de probat. d. l. duobus, §. si quis, & §. legitur, D. de jurejurand. vel quia sibi imputat, qui non perit à judice, ut sibi liceret juramentum declarare, juxta text. in d. l. duobus, §. si ei, in fin. ibi, vel replicatione emendandum.

## DECISIO XXXV.

Casus, in quibus uxoris citatio ad lites, de jure regni, necessaria est.

## SUMMÆ.

1. Citatio uxoris debet intervenire, si maritus conveniatur super jure patronatus Ecclesiarum. Idem practiatur in lite super jurisdictione. Ibid. Jurisdictio est quid reale. Ibidem.
2. Citatio uxoris necessaria est, si lis moveatur super juribus regularibus perpetuo debitis, vel super vi.
3. Intelligitur Ord. lib. 1. tit. 46. §. 2. ibi, sem mais outra citação de molher.

Antiquitus decretum in senatu fuit, quod citetur uxor illius, qui convenitur super jure patronatus Ecclesiarum, juxta Ord. l. 3. tit. 32. in processu antiquo de Anrique de Souza, & Antonij de Ataide, anno 1527. Conimbricæ, ut testatur Gam. decisio 182. Id meo tempore in senatu decretum etiam vidi, in processu super patronatu regio Ecclesiæ S. Joannis da Praça civitatis Olyssipponensis, contra Ludovicum de Britto, anno 1590. Quod & in lite super jurisdictione id etiam senatus decrevit, ut per Gam. ubi supra, & ego obtinui ita etiam faciendum esse in processu Comitiss de Villafranca, anno 1591. estque processus unus, & alterum apud scribam processuum regie coronæ: est namque jurisdictio quid reale. Ang. cons. 117. tradit Tiraq. de retra. libr. 1. gloss. unica. §. 32. num. 84. Palat. in repet. cap. fol. 407. num. 40. quæ ratio addenda est alteri, qua moti sunt antiqui senatores, ut per Gam. ubi supra.

Citatur etiam uxor, quando lis est super juribus regalibus perpetuo debitis, Ord. ubi supra, ibi, tributos, sic decretum fuit in processu Simonis Tavares de Aveiro, qui litigavit cum procuratore regio super juribus regalibus piscium terræ novæ, anno 1534. vidimus processum apud scribam processuum regis. Citatur etiam uxor in causa super vi facta in bonis, de qua agit Ord. d. l. 3. tit. princ. & sic servat practica.

Obstat tamen Ord. lib. 1. tit. 46. §. 2. in illis verbis, ibi, sem mais outra citação de molheres, quæ Ord. intelligenda est in casu solum, in quo loquitur, nempe in bonis communitatum, extra verò illum casum procedit altera Ord. lib. 3. tit. 32. in princ. & sic vidi in senatu decisum, & conciliatas illas duas leges regias, quod notandum est: & vide inferius, decis. 182.

## DECISIO XXXVI.

Casus qui in senatu interloquendo expediuntur, & non per deliberationes, quas nostri vocant, tençois.

## SUMMÆ.

1. Instrumenta vulgo dicta, dias de aparecer, non per deliberationes sed interloquendo expediuntur, &



in illis allegationes non admittuntur.

2. Idem servatur quando conceditur auxilium brachij secularis.
3. Sic fieri solet quando acta remittuntur, qua non pertinent ad senatores gravaminum.
4. Sic etiam expeditur confirmatio transactionis seu desistentia facta per partes.
5. Quando sententia, nulla pronuntiatur ex aliquo defectu, & nullitate, diffinitiva est, & per deliberationes debet expediri, & solvitur signatura.
6. Quando sententia annullatur, non ideo debent acta annullari, ne partes sumptibus, & dilationibus vexentur.

**D**ies comparitionis vulgò, *dias de aparecer*, expediuntur in senatu interloquendo, & non deliberando, seu per deliberationes, Ord. lib. 3. titulo 52. §. 6. *extravag. 2. cap. tit. 1. l. 3. §. 5.* & in his instrumentis, de *dias de aparecer*, allegationes de jure non admittuntur, verat namque id Ord. lib. 1. tit. 7. §. 8.

2. Item auxilium brachij secularis, quod conceditur per senatores gravaminum, expeditur interloquendo, & non deliberando, Ord. lib. 1. tit. 4. §. 7.
3. Remissiones, quæ fiunt de actis quæ non pertinent ad senatores gravaminum, sed ad alterum senatum, seu ad alios judices, sive sint senatores, sive judices in partibus, interloquendo fiunt, non deliberando; alioqui senatores vidi contrarium hoc casu tenere: sed superior practica melior, & frequentior est.
4. Confirmatio transactionis factæ per partes, seu desistentiæ, etiam fit interloquendo, & non deliberando.
5. Quando tamen sententia, nulla pronuntiatur, ex aliquo defectu, & nullitate, ut sæpè contingit, quando scilicet prætor curialis, seu senatores curiæ Portucalensis cognoscunt de aliquo processu, & causa, & sententiam proferunt, ad illos non pertinente, sed ad alios judices privativè, si sententia nulla pronuntiatur, diffinitiva est, Guid. *decif. 16.* & hoc per deliberationes, secundum meliorem practicam, fit, & signatura solvitur, & sic servat stylus senatus.
6. Et notandum est, quòd hoc posteriori casu, jam vidi annullari etiam acta simul cum sententia, ut fieri testatur Gamm. *decif. 219.* at crebrius vidi de annullatione actorum nihil in sententia pronuntari, quod melius videtur: sustineri namque acta debent, ne partes sumptibus, & dilationibus vexentur: & hoc sæpè in senatu factum, summa cum ratione, vidi, & sic fieri consulo.

## DECISIO XXXVII.

De clausula posita per debitorem in scriptura, ut non audiatur in judicio, quoad debitum deponat.

### S U M M A.

1. Clausula hæc, quòd quis non audiatur in judicio, quoad debitum deponat, non est apponenda in scripturis, nisi ad instantiam partium.

Cabedo Pars I.

2. Clausula hæc de jure licita est, quamvis Ordinationi nostræ regie videatur contraria.

Clausula hæc relegari omnino, & improbari debet. Ibidem.

3. Debitor qui auditus non est, ex eo, quòd in scriptura clausula prædicta apposta fuerat, si post latam sententiam, vigore executionis, pignora dedit, audiendus est.

4. Si ex tenore scriptura constet de nullitate ipsius debitor audiendus est, absque eo, quòd deponat non obstante clausula in contrarium.

5. An debitor audiendus sit, si agatur ad rescissionem contractus ex remedio l. 2.

Quid dicendum, si agatur ex enormissima latione. Ibidem.

6. Clausula prædicta suos effectus non operatur, quando pars judicium declinat, vel judicem recusat.

**C**lausula hæc frequens est in nostro regno, & adeo consueta, ut ferè eam tabelliones per usum jam adiciant in scripturis, absque eo, quòd per partes ad id faciendum rogentur: quòd nequaquam fieri debebat, ut in simili tradit Antonius de Quesad. in suis *questionibus, quest. 20. numero 5.*

Est autem clausula hæc de jure licita, text. in l. 2. cum proponas, & in l. ubi pactum. & ibi Doctor. C. de transactionibus. tradit Gamm. *decif. 69.* Valasc. *consult. 85. numero 6.* qui respondet Ordinationis regie dispositioni, libro 4. titulo 4. quæ in contrarium facere videbatur. Sed si mea valeret opinio, omnino lege promulganda releganda erat talis clausula è nostro regno. Etsi enim per eam lites præcidantur, ut inquit Vaz ubi supra numero 7. Tamen per illam multis pauperibus, alioquin justa allegare volentibus, denegatur audientia, quia non habent, quòd deponant, & sic quotidie à Rege in tribunali palatij dispensationem petunt, & aliquando impetrant, ut testatur Vaz d. num. 7. si enim clausula bona est, non est cur in ea dispensetur, ut multoties hodie fit, teste Valas. ubi supra: si mala prohibeatur poni, cessabit turba magna supplicationum, quas quotidie offerunt partes, super dispensatione prædictæ clausulæ.

Dubitatum vidi in senatu circa clausulam depositi, de hoc casu. Obtena fuit sententia contra debitorem, qui auditus non fuit, ex eo quia in scriptura apposta erat clausula, ut non audiretur, absque eo, quòd deponeret: ventum est ad executionem sententiæ, debitor exceptiones opposuit, & pignora dedit vigore executionis in forma *Extravag. p. 3. tit. 9. l. 3. §. 1.* quæsitum fuit, an esset audiendus: & videbatur, quòd non, ex regula text. in l. alia. & iis quæ per illum tradunt ibi Bart. & Paul. D. de novationibus. Non obstante hoc, decisum fuit, quòd audiretur, quia hoc casu, jam non agitur, ex scriptura, & contractu per illam inito, sed ex sententia, quæ actionem in factum produxit, & sententia est, quæ exequitur, & ob id dando pignora, in forma *Extravagantis prædictæ*, audiendus est, & ita non semel senatus censuit, & conducunt tradita per Avend. in tit. de las exceptiones. num. 58.

Bene verum est, quòd ad evadendas decisiones has senatus vidimus postea positam clausulam

lam in Scriptura, ne in executione audiretur, absque eo, quod deponeret.

4. Illud etiam iudicatum vidi, ut si ex tenore Scripturae constet de nullitate ipsius contractus, puta si uxor non consensit venditioni per maritum factae, quae venditionem vult rescindere, audienda est ipsa, seu maritus agens, absque eo quod deponat, non obstante praedicta clausula: sic decrevit senatus, teste Valasc. d. consult. 85. ad fin. faciunt tradita per Marant. disp. 7. num. 33. ubi plures DD. refert.

5. Si vero agatur ad rescissionem contractus, ex remedio l. 2. C. de rescindend. vendit. varie iudicatum in senatu vidi. Nam aliqui senatores dicebant audiendum esse, quia cum praedictum remedium renuntiari per partes non possit, Ord. libro 4. tit. 5. Paragrapho 6. in effectu, si non audiretur, induceretur renuntiatio per indirectum, quod directe fieri non potest. Alij contradicebant ex eo, quia per praedictum remedium non petitur annullatio, sed rescissio, quo casu clausula illa effectum suum operari debet, & hoc frequentius iudicatur, ut per Valasc. ubi supra, ad fin. Si tamen ageretur ex enormissima laesione, quo casu ex praesumpto dolo contractus nullus dicitur, l. si superstitie. ubi gloss. C. de dolo. Menoch. de arbitrariis. libro 1. quaest. 71. num. 18. fortassis non injuridice audiretur agens, absque eo quod deponeret; quamvis Vaz. ubi sup. in casu usurae, ubi eadem est ratio de annullatione contractus, hoc non admittat. Sed cogitandum est super hoc, est enim contractus usurarius, nullus, Ord. libro 4. titulo 27. Paragrapho 1. adiuncto titulo 14. in princ. facit l. non dubium, ibi, nullum contractum volumus, C. de legibus, l. quemadmodum, C. de agricol. & censibus, libro 11. Covarr. libro 3. variarum. cap. 3. Quamvis fatear senatum maxime intendere, circa observantiam clausulae, quae tamen, ut aliquantulum exorbitans, in his, & similibus casibus restringenda est.

6. Haec tamen clausula non operatur effectum suum, antequam iudex competens pronuntietur, si enim pars vocata in iudicium declinaverit ratione incompetentiae, audiri debet, etiam non facto deposito, quoad super declinatoria pronuntiatum sit: est namque prius iudicis persona legitimanda, argum. cap. foris. de verb. signific. principum instit. de offic. iudic. data vero pronuntiatione, super declinatoria, incipiet clausula suum effectum operari, quo ad debitum in Scriptura contentum, & ita vidi decretum in senatu. Et idem erit in recusatione iudicis, quamvis hoc posterius decisum non vidimus, attamen eadem est ratio in utroque casu.

#### DECISIO XXXVIII.

De exceptionibus oppositis regio rescripto, si appellatum fuerit, ad quem iudicem pertineat cognitio?

#### S U M M Æ.

1. Exceptiones oppositae contra regium rescriptum, quod praesentatur in partibus, si statim sine causa cognitione a iudice remittantur, ad senatores

palatij pertinet earum cognitio.

2. Si tamen iudex de viribus illius cognoscat. & a sententia lata appellatum fuerit, seu gravamen interpositum: tunc ad senatores senatus districti, in quo iudex est, pertinet cognitio.
3. Gravamina interposita ab illis, qui volunt excusari ab electione officiorum civitatum, & oppidorum, facta per Regem in mensa senatorum palatij, pertinent ad eosdem senatores.

Vidi saepe dubitatum super hoc: Emanat Regia provisio, seu rescriptum super aliqua re, ad alicujus supplicationem, seu officium aliquod, quod vacaverat, concedit id Rex alicui, & fit provisio regia de eo, seu super alia re, ut quotidie videmus: hoc rescriptum praesentatur in partibus (ut loquimur, quando significamus loca extra curiam, seu locum, ubi resident senatus supplicationis, & Portucalensis civitatis) altera pars exceptiones opponit; haec est practica hoc casu. Si statim absque causae cognitione remittuntur per iudicem, cui praesentatum fuit regium rescriptum, pertinet cognitio harum exceptionum ad senatores palatij, seu ad consiliarios patrimonij Regis, si ex eo tribunali emanavit praedictum rescriptum.

Quod si iudex, cui praesentatum fuit, cognoscit de viribus illius, & partes ordinarie agunt, allegando hinc & inde, de jure, & sententia proferatur, a qua appellatur, seu gravamen interponitur, tunc cognitio appellationis, seu gravaminis est senatorum illius senatus, ad cuius districtum pertinet; & hic est stylus.

Hoc non habet locum in gravaminibus, quae interponuntur ab iis, qui volunt se excusare ab electione officiorum civitatum, facta per Regem, & in mensa senatorum palatij, juxta pautas factas in civitatibus, & oppidis, circa electiones, lege promulgata, in mense Augusti, anno 1594. per illam namque haec gravamina pertinent ad senatores palatij, ut in praedicta lege continetur, idque privative.

#### DECISIO XXXIX.

De condemnatione expensarum, quae fit jus dicentibus.

#### S U M M Æ.

1. Ponuntur verba Ord. circa condemnationem expensarum iudicibus faciendam.
2. Ordinationis praedictae dispositio observatur, quando processus expeditur per praesides curiales, iudices regios, auditores causarum criminalium seu per quoscumque alios senatores.
3. Contrarium tamen praecipitur, si processus per senatores causarum gravaminum per deliberationes expeditur.
4. Clausula solita, & justificativa, qua in huiusmodi sententiis condemnatoriis expensarum adicitur,

adiicitur, non debet apponi, quando condemnatio fit ob non admissam appellationem.

**H** Abemus Ord. lib. 1. tit. 44. § ult. circa condemnationem expensarum faciendam iudicibus in hæc verba:

*E en todo o caso que ouverem de condemnar quaisquer dos sobre ditos inizes: asi de cidades, como de quaisquer vilas, nas custas: se a dita condemnação for em cada huã das nossas casas da supplicação, ou do civil, não se fara sem o regedor, ou governador ser presente: & sendo presente, seguido as mais vozes, sera nellas condemnado, ou relevado.*

2. Practica est, circa has expensas, ut si processus expeditur, per prætores curiales, iudices regios, auditores causarum criminalium, seu per altos quoscumque senatores, qui cognoscunt de causis, & illas expediunt in curia, & ut dicimus, *as despachão en relação*, tunc observatur dispositio huius legis, & rector senatus, seu gubernator, signat in sententia condemnationis talium expensarum.

3. Si verò processus expeditur per senatores causarum gravaminum, per deliberationes, quas vocamus, *tençõs*, non est necessaria præsentia rectoris, nec gubernatoris, nec signant, sed solum illi senatores gravaminum, qui in tali sententia sunt hoc semper ita vidi practicum, & solere de stylo antiquitus fieri accepi ab antiquis senatoribus: quod & decisum fuit 28. die Ianuarij, anni 1592.

4. Illud tamen nota, quòd in huiusmodi sententiis condemnationis expensarum, semper adiicitur clausula justificativa & solita (*& vira dentro en trinta dias allegar os embargos que tiver a não pagar as ditas custas*) quæ clausula semper apponi consuevit in omnibus casibus, in quibus iudices condemnantur in expensis.

Quando tamen condemnatio expensarum est ob non admissam appellationem, juxta Ordin. libro 3. tit. 54. §. 7. multi senatores consueverunt de stylo non ponere illam clausulam justificativam, quia lex statim facit in illo casu prædictam condemnationem expensarum, à qua ipsi non possunt recedere, nec esse mitiores lege: aliqui aliam practicam secuti, ponunt prædictam clausulam justificativam, ut semper pars audiat, nempe iudex, qui non admittit appellationem. Sed mihi melior practica prior semper visa fuit, & frequentior antiquitus fuit in senatu, ne partes per iudices vexentur, & sumptus faciant, & illos postea recuperent: si enim via aperitur iudici, ut exceptiones alleget, numquam condemnatio, aut serò effectum sortietur.

Et ex his declaranda veniunt tradita per Alvar. Vaz. consult. 26. per totam.

## DECISIO XL.

De instrumentis dierum apparitionis, quæ dias de parecer, dicuntur.

### S U M M Æ.

1. *Questio fuit in senatu, an in supplicationibus ordinariis, pars possit uti instrumentis dierum apparitionis.*

2. *Decisum fuit in senatu, quòd in supplicationibus*

*ordinariis pars possit uti instrumentis dierum apparitionis.*

3. *A iudice regia corona senatus Portucalensis supplicabatur ad expeditores gravaminum senatus supplicationis, quod lege nozißima immutatum fuit, & supplicatur ad iudices regia corona eiusdem senatus.*

4. *Tenor sententia lata in casu huius decisionis transcribitur.*

5. *Terminus assignatus ad prosequendam supplicationem à senatu Portucalensi est triginta dierum.*

6. *Intelligitur Ord. lib. 3. tit. 77. §. 11. qua in contrariam facere videbatur.*

7. *Terminus qui præfigebatur in senatu civilium causarum, qui Olyssipone erat, ad prosequendam supplicationem, erat quinque dierum.*

8. *Ad appellationem prosequendam, dantur sex menses a lege: attamen iudex præfigit terminum secundum distantiam loci.*

9. *Semestre tempus currit in appellatione à die receptionis illius, quod notabiliter declaratur.*

*Declaratur Ordin. lib. 3. tit. 53. §. 2. & 3. Ibid.*

*Declaratur Ordin. lib. 2. tit. 35. §. 30. Ibidem.*

10. *Intra tres dies quos, de Corte, vocant, expectatur is, contra quem instrumentum diei apparitionis recipitur.*

11. *Contra quod, decisum fuit in casu huius decisionis, decreverunt senatores anno de 94. & anno 98. & hæc secunda est tutior, & frequentior praxis senatus.*

**D**E his instrumentis dierum apparitionis, in casu appellationis, loquitur Ord. lib. 3. tit. 52.

Dubitari vidimus in senatu, an possit pars instrumentis uti in supplicationibus, quas *agravos ordinarios*, vocamus, ut utitur in appellationibus, juxta dispositionem istius Ordin. aliqui dicebant, quòd non. Tamen contrarium decisum fuit, & sic iudicatum, in quodam instrumento diei apparitionis, ex processu supplicationis, qui venit à curia Portucalensi: fuerunt partes Franciscus de Sousa, contra Monicam Gomez, scriba Petro Almirante, & processus fuit expeditus in mensa iudicis regie coronæ prædictæ curiæ, & juxta novam legem supplicandum erat ad senatores gravaminum curiæ supplicationis: & per illos expeditum fuit instrumentum diei apparitionis, 7. die Iunij, anno 1586. (quamvis hodie alia lege novissimè lata supplicatur ad iudices bonorum regie coronæ senatus supplicationis) & tenor sententiæ is fuit:

*Acordão em relação. Que visto como os agravantes não offererão seu agravo no termo que pera isso lhe foi assignado, nem no mais que forão esperados: pro nuncião seu agravo por deserto, & não seguido, & mandão que a sentença de que foi agravado se cumpra, & que por ella se faça execução & condemnão os agravantes nas custas.*

Terminus autem assignatus ad prosequendam supplicationem fuit triginta dierum: qui terminus ordinarius est, qui datur ad prosequendam supplicationem in dicta curia Portucalensi, & ut præsententur acta in illo termino in curia supplicationis.

Faciebat contra hoc, dispositio Ord. lib. 3. tit. 77. §. 11. ibi, *dentro de dous meses, & ibi, en termo de dous meses, cum enim lex terminum præfixerit,*

intra illud expectanda pars est; sed hoc intelligitur, quando non est præfixum tempus à iudice, & pars instrumentum diei apparitionis sumit, tunc enim terminus à lege per restrictionem iudicis caret effectu, & sic de stylo curiæ civilium causarum, quando Olyssipone erat, ubi etiam residebat curia supplicationis, præfigebatur terminus quinque dierum, in hæc verba, *Acordão, que concedem o agravo pero a casa da supplicação, o qual seguirão as partes em termo desinco dias.* Frustra igitur is præfigebatur terminus, si alius duorum mensium spectandus erat, qui duo menses solum locum habent, quando pars non sumit instrumentum, ut diximus.

8 Sic & pari modo in appellatione potest appellans intra sex menses illam prosequi, *Ordin. libro 3. tit. 53. §. 3.* & tamen semper assignatur per iudicem terminus quindecim dierum, vel plus aut minus, juxta distantiam loci, ad illam prosequendam. *Ord. d. tit. 53. §. 1.* & pars sumit instrumentum diei apparitionis, ut elapso termino præfixo à iudice, & *os tres dias da Corte*, sententiam per instrumentum diei apparitionis reportet: quod si non sumat instrumentum intra sex menses, poterit pars appellationem prosequi, *d. §. 3.*

9 Quod tempus semestre currit à die receptæ appellationis per iudicem (ut hoc obiter notemus) qui iudex semper in auditorio, quando appellatur, tenetur verbaliter recipere appellationem (si casus est appellationis) & scriba in termino receptionis hujusmodi mentionem expressè facere debet: & ita servatur, & sic intelligendus est *§. 2. d. Ordin. lib. 3. tit. 53. ibi. l. he for recebida, & §. 3.* quia statim sequitur, *ibi. appellar*, supplendus est per præcedentem *§. & l. he for recebida.* Quod nota, quia dubium non leve fuit, & ita decisum vidi semper, pro qua decis. facit *Ord. lib. 2. tit. 35. §. 30.*

10 Et hoc etiam notabis, quod intra *tres dias de Corte*, ut vocant, expectatur semper pars in his instrumentis, ex *Ord. libr. 3. tit. 14. in princ. ibi, & mais tres dias que serà esperado, se for citado por carta pera a Corte, ou pera a casa do civil*, per verbum autem, *Corte*, senatum supplicationis intelligit prædicta *Ord. ut & alia plurimæ*: & in specie de his tribus diebus de Corte loquitur *Ord. lib. 1. tit. 32. §. 7.*

11 Contra hoc tamen, quod decisum fuit, in casu superius posito, decreverunt senatores anno de 94. & in anno de 96. quod scilicet in supplicationibus ordinariis pars non possit uti his instrumentis dierum apparitionis: & hæc est tutior, & frequentior praxis senatus, in causis autem criminalibus, in quibus pro parte justitiæ non appellatur, instrumentum diei apparitionis potest à parte peti, ut probat *Ord. lib. 3. tit. 55. §. 8.* quod est notandum.

### DECISIO XLI.

An iidemmet iudices, quorum jurisdictio declinatur, & iudicium incompetens fore allegatur, possint de tali incompetencia cognoscere & pronuntiare?

### S U M M Æ.

1. Iudices ordinarij cognoscunt, an sua sit jurisdictio,

& pronuntiant super exceptionibus sui fori declinatoriis, & incompetentiæ.

2. Quod & in iudicibus delegatis procedit. Iudices arbitri minorem jurisdictionem habent, quam ordinarij. *Ibidem.* Iudices arbitri possunt cognoscere, an talis casus, v. g. comprehendatur in compromisso, & super hoc pronuntiare. *Ibidem.*
3. Superius dicta procedunt, etiamsi iudices ex tali pronuntiatione interesse præendant. Declaratur text. & gloss. in *l. de jure, D. ad municipalem.* *Ibidem.*
4. Quod sine dubio locum habet, ubi consuetudo in aliqua provincia viget, ut hoc casu iudices cognoscant, an sua sit jurisdictio, licet ex eo commodum præendant, ut in nostro regno viget.

**I**S casus sæpè in senatu occurrit, & distinguendo casus, sic semper decisum fuit. Si iudices ordinarij sunt, tunc ipsimet cognoscunt, an sua sit jurisdictio, & pronuntiant super exceptionibus declinatoriis sui fori, seu incompetentiæ, patet hoc ex *l. si quis ex aliena. D. de judiciis. l. 2. D. si quis in jus vocat. non ierit.* facit *Ord. lib. 1. tit. 4. §. E quanto, & lib. 3. tit. 53. in princ. & alia multis.* *Bart. d. l. si quis ex aliena. & in d. l. 2. & in l. de jure. D. ad municipal. Gam. decis. 340. num. 3.*

In delegatis, probat text. in *cap. pastoralis, cap. super litteris, de rescript. l. si præscriptione, C. si contra jus vel util. pub.* tradunt *Ias. d. l. 1. Avil. in lib. pratorum. cap. 2. verb. Abogados. Avend. de exeq. mand. 1. p. c. 1. num. 13. & 2. part. cap. 23.* Quod adeo verum est, ut iudices arbitri, qui minorem jurisdictionem habent, *l. 1. ibi, ad instar. D. arbitris,* possint cognoscere, an talis casus, v. g. comprehendatur in compromisso, & super hoc pronuntiare. *Abb. in cap. cum dilectus, de arbitris. Ias. d. l. 2. num. 18.*

Quod adeo verum est, ut locum habeat, etiamsi ex tali pronuntiatione, iudices aliquod interesse præendant, puta sportulas, seu signaturam; nam iis non obstantibus, possunt cognoscere, an jurisdictio sua sit: patet hoc, nam delegatis iudicibus debentur sportulæ, & non ordinariis, *l. reformationis, §. 20. Authen. de iudicibus, §. si quis autem, versicul. ne autem. col. 6. Ias. d. l. 2. num. 17.* at hi possunt cognoscere, an sua sit jurisdictio, *d. cap. pastoralis,* ergo iudices etiamsi interesse præendant in causa, possunt cognoscere, an sua sit jurisdictio. Nec obstat text. cum gloss. ubi *Bart. in l. de municip. quam gloss. sequitur Bart. in d. l. 2. n. 3. D. si quis in jus vocat.* Nam opinio Rosfr. quem ipse reprobat, melior est: quando namque negotium remotum est ab interesse, nec illud tangit principaliter, iudici non debet obstare, quin cognoscat, an sua sit jurisdictio, quod enim secundario tangit, non est in consideratione, *l. navis. ubi Ang. D. ad l. Rhod. de jact. cap. 2. de pact. in 6. notat in specie Avend. d. 2. p. cap. 23. num. 6.*

Maximè ubi consuetudo adest, quod iudices cognoscant, an sua sit jurisdictio, licet ex eo commodum aliquod eis veniat, quod casu *Bart. admittit opinionem Rosfr. contra gloss. & vide Aufser. de recusationibus, cap. 64.* & hæc consuetudo in nostro regno viget, & legibus probatur, ut supra diximus: & est plusquam notum, & sic semper vidi decisum; & hoc tenendum est.

DECISIO XLII.

An iudices appellationis illam ex actis desertam fore, pronuntiare possint?

S U M M Æ.

1. Proponitur casus decisionis presentis, & allegantur Ord. lib. 3. tit. 54 §. 3. & tit. 52. remissive.
2. In casibus contentis in ordinationibus superius allegatis possunt tantum iudices appellationem tamquam desertam pronuntiare.
3. De iure, elapso termino fatalium, etiam parte non opponente, potest iudex appellationem desertam pronuntiare ex ipsismet actis appellatoriis.
4. Quid sit tenendum in hoc dubio, per distinctionem notabiliter traditur, tam quoad supplicationes ordinarias, quam quoad appellationes. & n. 5. In supplicationibus ordinariis non possunt iudices amplius cognoscere elapso termino, etiamsi allegetur impedimentum, nisi fuerit minoris etatis. Ibidem.
6. Partes non possunt renuntiare termino decem dierum dato ad appellandum: possunt tamen termino semestri dato ad prosequendam appellationem renuntiare. Decretum senatus refertur. Ibidem.
7. Possunt partes in senatu, quando appellatio dicitur ex actis deserta, allegare justas causas impeditenti, propter quas acta in termino presentata non fuerint. Quod in supplicationibus ordinariis locum non habet, ut superius dictum fuit. Ibidem.
8. Intelligitur Ord. lib. 3. tit. 54. §. 3. & eodem libro titulo 52. Casus omissus remanet in dispositione juris communis. Ibidem.
9. Ius commune habet, quod elapso termino fatalium, possunt iudices appellationem ex actis desertam pronuntiare.

**Q**uestio fuit in senatu, circa intellectum Ord. lib. 3. tit. 54. §. 3. & eod. lib. tit. 52. an etiamsi pars, in cuius favorem sententia lata fuit, non perat instrumentum, de dia da parecer, ut nostri vocant, sed acta sint ad supremos appellationum iudices devoluta, elapsis iam sex mensibus, juxta Ord. lib. 3. tit. 54. §. 3. tradit Gam. decis. 68. vel elapso termino præfixo à iudice parti ad prosequendam appellationem, juxta d. ord. §. 1. possint iudices superiores ex actis, termino fatalium elapso, pronuntiare appellationem desertam; & magnam super hoc vidi disputationem.

2. Dicebant namque aliqui senatores, quod solum in illis casibus contentis in d. Ord. id licitum iudicibus est; in quibus huius nostri casus mentio facta non reperitur, & allegabant Afflic. dec. 243. ad fin.
3. Aliis contrarium visum fuit, quia de iure, elapso termino fatalium, etiam parte non opponente, potest iudex appellationem desertam pronuntiare ex ipsismet actis appellatoriis. Marant. in pract. 6. p. tit. de appell. num. 398. quem refert, & sequitur Avend. de exeq. mandat. cap. 1. num. 32. p. 1. Gutier. in quest. pract. lib. 1. quest. 103. num. 32.
4. In hoc dubio ita distinguendum est: si acta ve-

niant ad senatum per viam gravaminis ordinarij (ut nostri vocant *agravo ordinario*) & elapso termino præfixo ab Ord. libro 3. tit. 67. §. *Emandamos*. non possunt iudices amplius de tali gravamine cognoscere. Ord. ubi supra. Gam. dec. 68. etiamsi allegetur aliquod impedimentum, nisi fuerit minoris etatis. Ord. d. tit. 77. §. 15. Gam. decis. 38. num. 1.

Si verò acta veniant per viam appellationis, eo casu absque dubio potest iudex ex actis, elapso termino præfixo à iudice seu semestri tempore, juxta hanc Ord. appellationem desertam pronuntiare. DD. ubi supra, & ante eos Bart. in l. eos. n. 8 C. de appell. Rot. dec. 25 sub tit. de appell. Gramm. dec. 13. & facit pro hac parte *Extravag. clara*, quoad me. folio 77. vers. & fol. 108. vers. *qua sunt*. 2. part. tit. 1. l. 7. & 3. p. tit. 6. l. 5.

Verum est tamen, quod quamvis partes non possint renuntiare termino decem dierum ad appellandum, ut per Maran. in pract. fol. 605. num. 225. tamen termino semestri dato ad prosequendam appellationem possunt partes renuntiare, Marant. ubi supra, qui hanc quæst. latè prosequitur, & ita me iudice decisum fuit anno 1588. in actis appellatoriis oppidi de Ourique.

Possunt etiam partes in supremo senatu, quando appellatio pronuntiat ex actis deserta, allegare justas causas impeditenti, propter quas acta in termino presentata non fuerint. Ord. d. lib. 3. tit. 54. §. 3. Guido decis. 64. licet in supplicationibus ordinariis id partibus licitum non sit, ex d. Ord. libro 3. titulo 77. §. *E mandamos*. & diximus superius. num. 4.

Argumento in contrarium adducto de Ord. hac, quæ non ponit hunc casum, respondetur, quod etiamsi illum omiserit, remanet in dispositione juris communis, Ord. lib. 2. tit. 5. in principio, & §. 1. l. commodissime. D. de liber. & posthum.

Ius autem commune est, quod elapso termino fatalium possunt iudices superiores ex actis appellationem desertam pronuntiare: quod ita non semel iudicatum vidi.

DECISIO XLIII.

An super filiatione possit agi remedio legis, *Diffamari. C. de ingenuis*, & *manumiss.*

S U M M Æ.

1. *Extravag. regni. p. 3. tit. 1. l. 3. reducit legem Diffamari; solum ad certos casus; inter quos & super filiatione, non numeratur. Lex certos casus includens, omnes alios excludere censetur. Ibidem.*
2. *Questio hereditatis, vivente patre, tractari non potest.*
3. *Pater non potest alium in jus vocare, qui filium suum esse dicit, asserendo patrem esse plebeum, & ita in senatu iudicatum fuit.*
4. *Contrarium tamen iudicatum, & decisum fuit in casu huius decisionis.*
5. *Casus expressi in regula, ex compli gratia, & frequentioris usus, non faciunt, quominus dispositio extendat.*

extendatur ad alios habentes similem rationem.

6. Quod venit in consequentiam, non est considerandum.

Si de filiatione agatur, ratione alimentorum, potest agi ex d. remedio l. Diffamari. Ibidem.

1. **H**ec quæstio in senatu tractata fuit: videbatur, quod possit super filiatione agi prædicto remedio l. Diffamari: nam Extravag. regni, part. 3. tit. 1. l. 3. restrinxit legem illam, Diffamari, & ad certos casus illam reduxit, inter quos is non numeratur, & sic cum certos casus includat, alios omnes excludit, l. cum prator. D. de iudiciis.

2. Secundò, quia per filiationem, maximè in illo casu contingenti, prætendebatur hereditas contra ipsum patrem, quæ quæstio hereditatis, vivente patre, tractari non potest, juxta materiam text. in l. suspecta. D. de inofficioso testamento, hereditas namque non est viventis, l. ultim. C. de pact.

3. Et ob id inquit Gam. decis. 202. quod in senatu judicatum fuit, quod quidam non poterat alium in jus vocare, ex l. Diffamari, qui filium illius esse prætendebat, asserendo patrem plebeum esse, cum ipse nobilem se esse contenderet. Cum enim ex decisione illius casus, consequeretur prætentio ad hereditatem, quæ quæstio in vita patris non poterat tractari, judicatum fuit, quod non poterat pater citari, ex l. Diffamari.

4. Contrarium, in nostro hoc casu, fuit decisum: primò quia Extravagans disponit, quod possit fieri citatio, ex d. l. Diffamari, in casibus in ea contentis, & declaratis, & in aliis similibus, qui tangant statum personæ, cujuscumque qualitatibus sit. Planè is casus filiationis, ad statum personæ pertinet, asserit namque A. filium esse, ergo comprehenditur in illa Extravag.

5. Non obstat, quod inter casus in ea numeratos is non sit: nam illi sunt numerati, gratia exempli, exempla autem non restringunt regulam, nec arctant, notatur ad l. de quibus, ubi Bald. D. de legibus: imò casus gratia usus frequentioris positi, & expressi, non faciunt, quominus dispositio extendatur ad alios habentes similem rationem, gloss. verb. cupientes, in Clem. 1. de rescriptis, gloss. in l. 1. verb. judicati. C. de condict. indeb. nec possunt leges omnes casus comprehendere, l. non possunt, D. de legibus: plura namque sunt negotia, quam vocabula, l. naturalis, §. at cum do. D. de præscript. verbis: & ob id necessum fuit, quod procedatur de similibus, ad similia, d. l. non possunt. Ord. nostra. lib. 3. tit. 5. in princ. ibi, de semel havel à semel havel.

6. Ad secundum respondetur, quod etiam in illo casu ita fuisset judicatum, ut Gam. inquit, tamen multi senatores contrarium tenuerunt, & ipse Gam. fuit unus ex illis, vicit tamen major pars, secundum stylum nostri regni, Ord. lib. 1. tit. 1. §. 27. Illud namque de hereditate, de qua in vita patris agitur, in consequentiam venit, quod considerandum non est, l. navis. D. ad l. Rhod. de jact. l. fluminum, §. ultim. cum l. sequenti, D. de damno infecto. Quid si de filiatione agatur, ratione alimentorum, quæ petuntur, cum quæstio sit de præsentibus, omnino dicendum est, posse ex d. remedio l. Diffamari agi, & ita Gam. ubi supra, quod notandum est.

DECISIO XLIV.

Quot senatores requirantur in sententia recusationis alterius senatoris, seu judicis, aut officialis.

S U M M Æ.

1. Cancellarius senatus supplicationis iudex est recusationum senatorum eiusdem senatus. Iudex autem cancellariæ, magistratum, & officialium civitatis Olysiptonenfis.

2. Si per quinque senatores sententia procedenti in recusatione posita sit: an postea in sententia finali, quinque etiam intervenire debeant: an tres tantum sufficiant.

3. Ad procedendam recusationem tres senatores conformes necessario esse debent, quod etiam a fortiori requiritur in sententia finali lata super recusatione.

**C**ancellarius senatus supplicationis iudex est recusationum senatorum eiusdem senatus, & iudex cancellariæ, magistratum, & officialium, civitatis Olysiptonenfis. Extravag. 1. part. tit. 2. & tit. 3. vidi dubitatum in senatu. Agitur de recusatione, ut sententia feratur, per quam declararetur procedere: sunt tres iudices dati, qui discordando, alij duo dati fuerunt, & sic per quinque sententia procedenti posita fuit: quæritur: an postea in sententia finali, prædictæ recusationis quinque etiam senatores intervenire debeant, an tres? conclusum fuit, quod tres, & sic servat practica senatus.

Et notabis circa materiam, quod ad procedendam recusationem, necessariò tres senatores conformes esse debent, & a fortiori in sententia finali, quæ fertur super recusatione, & non sufficiet major pars ex tribus, scilicet duo, sed omnes tres concordantes esse debent, hic fuit semper stylus senatus, & observatus sine controversia.

Quando autem pars opponit exceptiones contra sententiam procedenti, a embargar a procedimento, iidem iudices, qui fuerunt in prima sententia procedenti, debent esse iudices ad cognoscendum de prædictis exceptionibus, & hæc est practica senatus desumpta ex Ord. lib. 1. tit. 1. §. 28. & lib. 1. tit. 29. §. 32. cum aliis, & sententia aliter lata nulla est.

DECISIO XLV.

An in recusationibus, juramentum in supplementum probationis deferatur

S U M M Æ.

1. An in supplementum probationis juramentum deferatur patri, quæ semiplene probavit senatorem sibi suspectum.

2. Omnibus casibus, ubi semiplene fuerit probatum, juramentum deferre licitum est, exceptis hiis in quibus specialiter prohibetur.

3. Quin-

3. *Quinquaginta septem fallentias predicta regula ponit Bertachinus.*
4. *De iure civili permittitur recusationem probare solo juramento recusantis.*
5. *Quando causa recusationis potest asserre infamiam recusato, tunc potest deferri juramentum recusanti, etiam non expressa tali causa.*
6. *Contrarium tamen in senatu decisum fuit, scilicet, quod nullo modo tale juramentum deferatur.*
7. *Recusatio potest intentari iudici mortuo, ad effectum sententiae annullandae, quam ipse tulerat.*
8. *Recusatio non potest fieri nisi per advocatum litteratum.*  
*Quadragintaquinque dies non currunt à die prima recusationis factae per ipsam partem, sed post secundam factam per advocatum litteratum. Ibidem.*
9. *In recusatione scribae minor probatio requiritur, quam in recusatione iudicis.*

**D**ubium magnum fuit in senatu: an in recusationibus deferri debeat juramentum in supplementum probationis? recusaverat namque pars quendam senatorem iudicem suum, & semiplenè probaverat: petebat, ut ei juramentum in supplementum probationis deferretur: dubitatum fuit, an ei deferri deberet.

2. Et videbatur, quod sic: nam regula est generalis, quam ponunt Doctores in *l. admonendi*, ubi Iason. num. 301. *D. de iurejur.* quod in omnibus casibus, ubi semiplenè fuerit probatum, juramentum deferre licitum est, exceptis his, in quibus specialiter prohibetur, idque Ordin. nostra regia generaliter etiam disponit libro 3. titulo 85. at inter casus specialiter exceptos, non reperitur is in materia recusationum: ergo regulæ generali standum est. *l. cum prator. D. de iudic. l. maritus. C. de procurator.* notant DD. in *l. 1. D. de regul. jur.* ubi Dec. numero 27.
3. Bertachinus ponit in repertorio, verb. *Juramentum in supplementum*, quinquaginta septem fallentias ad hanc regulam, & DD. in *d. l. admonendi*, & in *l. maritus. D. de questionibus.* Duennas regul. 300. Menoch. de arbitr. fol. 256. & 373. & nullus istorum Doctorum fallentiam aliquam ponit in materia recusationum.
4. Et de iure civili (cui standum esse in materia recusationis, in terris Imperatorum & Regum, Aufferius de recusationibus, in princ. numero 3.) permittitur recusationem probare solo juramento recusantis, Specul. titul. de recusat. Paragrapho qualiter. versicul. *quid si presumptio.* Alexand. conf. 104. volum. 5. Avendan. de exequend. mandat. 2. p. cap. 23. numero 13.
5. Immo dicit Abb. in cap. secundo num. fin. de appellat. & Aufre. ubi supra ad fin. quod quando causa recusationis probata potest infamiam recusato asserre, ut puta si dictum fuerit, quod concubuit recusans cum uxore recusati, aut simili, potest deferri juramentum recusanti, etiam non expressa tali causa, & solo juramento illius deciditur recusatio.
6. Contrarium tamen decisum fuit in senatu, & quod nullo modo tale juramentum deferretur, nec enim ullo tempore tale consuetum fuerat fieri, datus ansa pluribus recusationibus, & petiuriis, &

moti fuerunt senatores ex dictis in specie per Rebuf ad *l. Gallicas. titul. de recusationibus, artic. 14. gloss. unic. num. 4. fol. 161.* qui ita determinat, & hæc est melior practica, non obstantibus allegatis in contrarium, quibus responderi potest ex dictis per Rebuf. eo loci, & anno 1592. hoc ita decretum fuit.

Illud etiam pro constanti in senatu decreverunt senatores, quod iudici mortuo recusatio poterat intentari, ad effectum sententiæ annullandæ, in qua ipse fuerat, & id meo tempore in tribus casibus factum vidi, & antiquo etiam tempore factum fuisse comperi per acta, ut quia v. g. senator aliquis in sententia quadam fuit, & mortuus est, pars quæ id ignorabat, opposuit illum fuisse antea recusatum à patre suo, & pro suspecto illi iudicatum: hic fuit casus, cui similes alij applicari possunt.

Illud etiam vidi dubitatum, per legem Dominicam, §. 32. Recusatio fieri non potest, nisi per advocatum litteratum. Quidam articulos recusationis fecit per se sine avvocato, iustum fuit ut fierent per advocatum: dubium fuit, an quadraginta quinque dies deberent currere, à die primæ recusationis nulliter factæ; an à die secundæ factæ per advocatum litteratum? conclusum fuit in senatu, quod à die secundæ factæ per advocatum litteratum, ex traditis per Bart. in *l. jus civile. D. de legibus*, & arg. eorum, quæ tradit Molin. de primogeniis. lib. 3. cap. 13. num. 16. qui alios citat.

Nota etiam, quod in recusatione scribæ minor probatio requiritur, quam in recusatione iudicis. Anchar. conf. 263. adeo, ut juramento partis stetur. Cagnol. *l. librarius, num. 50. D. de reg. jur.* quod tamen ultimum non admitterem, ex suprâ resolutis.

## DECISIO XLVI.

Si per instrumentum provisum sit parti, ut appellatio recipiatur, possit denuò in actis controversi, an sit casus appellationis.

## SUMMÆ.

1. *In senatu decretum fuit, quod iudices appellationis, quibus acta appellatoria distributa fuerunt, possunt iterum controversere: an sit casus appellationis: quod tamen dubium patitur.*
2. *De sententia lata per senatores, videlicet, quod non cognoscunt de appellatione, quia jurisdictioni iudicis subest, & illum in expensis condemnant, solvitur signatura.*  
*Super condemnatione expensarum est iudex competens ille, ad quem acta appellatoria delata fuerunt. Ibidem.*

**I**n senatu non semel dubium hoc controversum vidi. Iudex in partibus appellationem non recepit: pars, quæ se gravatam sensit, per instrumentum gravaminis ad senatum conqueritur, juxta Ord. lib. 1. tit. 39. §. 7. versicul. *mas podera.* pronuntiat quod pars gravata fuit, & præcipitur iudici, ut appellationem recipiat, quam recipit, seu recipiunt illam secundum alios, de quo alibi tractabimus, & acta appellatoria in senatu præsentantur coram

coram senatoribus appellationum, & distribuuntur judici priori: dubitatur modò, an iudices appellationis, qui vident casum appellationis non esse, utpote, quia erat de jurisdictione iudicis, à quo appellatum fuit, id est, ut nostri loquuntur, *cabia na sua alcada*, & sic recipi talis appellatio non debuerat, poterunt hoc iterum controvertere, & in dubium revocare? Aliqui dicebant, quòd sic: nam per Extravagantem 2. part. tit. 1. l. 3. §. 10. dispositum est, quòd iudices appellationum non cognoscant de illis, *quando couberem na alcada dos iulgadores*, à quibus appellatur, & processus nullus fit, etiam si pars non opponat. Cum igitur processus nullus sit, sententia, quæ super instrumento gravaminis lata fuit, non poterat validare acta, utpote, quia per legem nulla erant. Et hoc mihi visum fuit, & aliis: alij tamen contradixerunt, quæ pars secuta fuit, die 1. Augusti 1591. sed prior opinio mihi magis placet; si enim casus appellationis non est, vetante lege, quomodo possunt senatores de illa cognoscere contra dictam Extravagantem? Non obstat sententia data super instrumento gravaminis, quia illa sententia, ut plerumque profertur, non tam plenaria causæ cognitione habita, quæ melius per acta omnia instruitur: cogita tamen.

2. Et de hac sententia, quæ fertur: *Que não tomão conhecimento da appellação por caber na alcada do iuiz, & o condemnão nas custas pella receber*, signatura judici debetur, quia super condemnatione expensarum est iudex competens ille, ad quem acta appellatoria delata fuerunt, Extravag. d. p. 2. tit. 1. §. 10. ibi, *qual aos superiores parecisse*, ut de jure etiam est, ex traditis per Doctores relatos à Gutier. in *practicis questionib. libro 1. quest. 20.* & de juramento confirmatorio. 3. part. cap. 5. numero 21. ergo illi debetur signatura: & sic iudicatum fuit contra quamdam gloss. cancellarij senatus supplicationis.

### DECISIO XLVII.

An Ord. l. 3. tit. 71. §. 28. incip. *E podera o iuis.* locum habeat in causis criminalibus?

#### S U M M Æ.

1. Iudex executor an possit cognoscere in causis criminalibus, de exceptionibus oppositis sententiæ, an illas statim remittere debeat. Vbi lex non distinguit nec nos distinguere debemus. Ibidem.
2. Ordo iudiciarius, qui servatur in causis civilibus, idem in criminalibus servandus est: nisi aliud per legem statutum sit.
3. Quid dispositum sit circa materiam hujus decisionis, per Ord. lib. 5. tit. 60. §. ultimo.
4. Iudex civitatis Portalegrensis cognovit de exceptionibus oppositis sententiæ criminali, quæ exiit è senatu, anno de 93. & sententiam diffinitivam protulit, de qua senatores per appellationem cognoverunt.
5. Qui sit frequentior stylus, & receptior in casu hujus decisionis.
6. Iudex in processibus criminalibus, exceptiones sta-

tim remittere debet ad senatores, qui tulerunt sententiam: in causis vero civilibus contrarium observatur.

Si in processu criminali, agatur etiam de interesse civili, super hoc poterit iudex cognoscere de exceptionibus oppositis in executione. Ibidem.

**M**agna fuit altercatio in senatu, anno 1562. 1. an Ord. libro 3. titulo 71. Paragrapho 28. quæ disponit iudicem executorem posse cognoscere de exceptionibus oppositis sententiæ, vel illas statim remittere, locum haberet in causis criminalibus: aliqui dicebant, quòd sic, ex eo quia lex generalis est, ad quascumque causas, & non distinguit, igitur non est facienda distinctio civilium causarum, & criminalium. l. de pretio. D. de pub. in rem. act. cum vulgar.

Insuper per Ord. libro 5. titulo 1. Paragrapho ult. 2. dispositum est, ut ordo iudiciarius causarum civilium servetur in causis criminalibus, nisi aliud expressè cautum sit per legem, in ipsis causis criminalibus: non habemus legem aliud dicentem, igitur, &c.

Alij contrà, & allegabant Ord. libro 5. tit. 60. 3. §. ultim. quæ specialiter loquitur in executionibus criminalibus, & inquit, *E se lhe vierem com embargos a se não executar logo dahi a tres dias os cerre & aselle, & os remetta a os iulgadores, que a sentença derão sob as penas sobre ditas.* quæ lex clara videtur pro hac parte.

Pro priori opinione allegabatur sic factum fuisse anno 83. in quo exiit quædam sententia criminalis, è senatu, & præsentata fuit judici in civitate Portalegrensi, ut eam executioni daret: coram illo pars exceptiones opposuit: de illis cognovit iudex, & sententiam protulit, quæ ad senatum per appellationem venit, ad eosdem iudices, qui eam tulerunt, qui de tali appellatione cognoverunt. Et quod senatus censuit, servandum est. l. filius. D. de falsis. cum alijs.

Insuper scribæ antiqui, & simul senatores, de hoc stylo percontati, dixerunt Ordinationem istam in omnibus causis observari solere; at melius iudices in partibus facere, si in causis criminalibus exceptiones remitterent, & de illis non cognoscerent, & hoc frequentius, & usitatus per illos fieri.

Tu dic, quòd in processibus criminalibus servanda est Ord. lib. 5. tit. 60. §. ultim. ut exceptiones per iudicem remittantur ad senatores, qui tulerunt sententiam, & de illis non cognoscant, & hæc est vera dispositio Ord. Hæc autem loquitur in causis civilibus, & sic per aliam limitatur: sitque merus executor iudex in partibus, cui præsentatur sententia criminalis, & facit pro hoc Extrav. p. 4. l. 11. tit. 22. Quòd si in processu criminali agatur etiam de interesse civili, super hoc poterit iudex cognoscere, oppositis exceptionibus in executione, & appellabitur ad senatores, qui sententiam tulerunt, quod contingit in causa super virginitate, aut alia simili, de quo latius egimus in decis. 14. supra: & sic in causis criminalibus servanda est Ord. lib. 5. tit. 6. In civilibus autem causis, hæc: quod ita absque dubio tenendum est.

Et vide Iul. Clarum in *practica* §. fin. q. 98.



## DECISIO XLVIII.

An lata sententia in senatu, possit contra illam excipi, quod iudex, qui illam in priori instantia tulit, incompetens erat.

## S U M M Æ.

1. Post sententiam latam in senatu, non admittuntur exceptiones opposita de incompetencia iudicis prioris instantia, si pars in predicta instantia de tali incompetencia nihil opposuerat.
2. In pronuntiatione super incompetencia nulla est iudicium iurisdictionis.

**D**Ubitabatur in senatu sæpenumerò de hoc dubio; causa quædam in partibus per iudicem, sententia, definita fuit, qui tamen iudex incompetens erat proculdubio in illa causa: attamen pars nihil in illa priori instantia opposuit, atque ita, ut diximus, sententiam iudex pronuntiavit: appellatum ab ea fuit ad senatum, & ad mensam competentem, & in illa appellatio per sententiam fuit expedita: lata sententia, pars exceptiones opposuit, de tali incompetencia iudicis prioris instantiæ: dubitarunt senatores, an viso, quod casus per appellationem devolutus fuit ad senatum, & expeditus per iudices competentes, admitti deberent exceptiones illæ de incompetencia, quæ etiam post tres sententias conformes admittuntur, glossa in *Clementina* 1. de *sequestr. possess. & fruct.* Tamen decisum fuit, quod non admitterentur tales exceptiones, ex doctrina Innocent. in *cap. 1. de confirmatione utili vel inutil.* Abb. Dec. & alij DD.

2. Ad materiam autem nota, quod in pronuntiatione super incompetencia nulla est iurisdictionis iudicis, id est, *não cabe na alçada do juiz*, sed potest ab illo supplicari per instrumentum gravaminis, seu petitionem, *ainda que o caso principal caiba en sua alçada*, ut est notab. Ord. lib. 1. tit. 8. §. 8. & est decretum in lib. 2. *Esphera* fol. 275. quod conducit ad intelligentiam Extravag. 1. part. tit. 11. l. 1. §. 1. & eadem p. tit. 17. l. 1. §. 5.

## DECISIO XLIX.

An iudex, cui precatatorium seu litteræ requisitoriæ præsentantur, oppositis executionibus, impediens illius executionem, illis recognoscere possit.

## S U M M Æ.

1. Iudex precatatorium, seu requisitoriam iudicis deprecantis tenetur adimplere, & exceptiones coram illo prepositas debet remittere.
2. Iudex deprecatus est merus executor. Iudex tenetur litteras commissionis inferere in litteris requisitoriis, nisi non constat de iurisdictione illius. Ibidem.

Cabedo Pars I.

**S**æpe sæpius vidimus in senatu de hoc controversi: & quamvis dicebatur, quod coram iudice, cui precatatorium, ut nostri vocant, præsentatur, exceptiones impediens executionem illius poterant allegari, & ipse cognoscere de illis, juxta text. in l. *si non cognitio*, & ibi Doctor. C. *si contra jus, vel utilitat. publ.* & ibi Bartol. in prima opposicione Doctor. in l. *à divo Pio*, D. de *re iudicata*. & in *cap. pastoralis de officio deleg.* Covar. *pract. questio. cap. 10. num. 7.* Menoch. de *arbitr. lib. 1. quest. 38. num. 3.* Tamen practica senatus communior est, ut iudex deprecatus adimpleat precatatorium, seu requisitoriam iudicis deprecantis, ut tenetur l. 1. D. de *requirendis reis.* Ord. libro 3. tit. 1. §. 5. lib. 2. tit. 26. §. 39. & lib. 5. tit. 42. §. 27. Rebuff. ad l. *Gal. tom. 2. de litteris requisitoriis, gloss. 2. num. 9.* & si exceptiones coram eo proponantur, eas remittat iudici, qui precatatorium, seu requisitoriam misit, & non cognoscat de eiusmodi exceptionibus. Hoc pluries in senatu decretum vidi.

Hoc autem idè fit, quia iudex deprecatus est merus executor, & idè tenetur obtemperare requisitoriis iudicis deprecantis, Innocent. in *cap. cum in iure de officio delegat in fin.* & in *cap. 1. de offic. ordin.* Capel. Tolos. *quest. 411.* Quod tamen intelligendum est, si constat de iurisdictione iudicis, aliàs tenetur ostendere litteras commissionis, & eas inferere. Ias. in l. 2. D. *si quis in jus vocat.* DD. in d. *cap. cum in iure, de offic. deleg.* & vide Rebuff. *ubi supra.*

## DECISIO L.

De restitutionibus minoribus concedendis.

## S U M M Æ.

1. An restitutio concedi debeat minori, illam non petenti. De iure, quando minor petit rem simpliciter, videtur etiam petere restitutionem in integrum. Ibidem. Si unum petatur, necessaria etiam ad illud consequendum petita censentur. Ibidem. Practica, & stylus senatus servat, quod non concedatur restitutio, nisi petatur. Ibidem. Beneficium non confertur in invitum. Ibidem.
2. Restitutio dilationis, & temporis decursi, ut minori currat, debet ei notificari, & eius curatori.
3. In senatu, & auditoris curia, per stylum observatur, quod procuratori minoris notum fiat, de concessione restitutionis, ut ei currat tempus. Idem servatur in assignatione dilationis; aliud tamen in auditoris extra curiam observatur. Ibidem.

**C**irca restitutiones minoribus concedendas, 1 vidi sæpius dubitatum, an concedi debeant illis non petentibus? Et quamvis de iure, quando minor petit rem simpliciter, videatur etiam petere restitutionem in integrum, quando sine petitione restitutionis, aliàs libellus, seu supplicatio, seu quid aliud ab illo petitum esset inutile, gloss. in *cap. constitutus, de religiosis domibus*, Ias. in §. *omnium*, num.

F

num.

num. 141. *instit. de actionib. & in §. rursus, num. 81. eod. tit. Rip. in l. naturaliter, §. nihil commune, nu. 29. D. de acquirend. possess. Felin. in cap. licet heli, nu. 22. de simonia. Nam petendo quis unum, videtur etiam petere omne antecedens necessarium, ad illud consequendum, l. proinde, D. si cert. petatur, l. ad legatum, & l. ad rem mobilem, D. de procurator. Roman. conf. 77. in principio. Dec. in cap. ex ratione, de appellat. notab. 2.*

Tamen semper in senatu practica est, & stylus, quod non concedatur restitutio, nisi petatur: beneficium namque non confertur in invitum, l. beneficium, D. de reg. jur. & iudex non impertitur officium suum, non petente parte, l. 9. §. hoc autem iudicium, D. de damno infect.

2. Imò hæc restitutionis concessio, quando fit in materia dilationis assignandæ, seu restituendi ad tempus decursum, ut minori currat, ei debet notificari, & curatori: sic servat stylus, ignorantique tempus non currit, cap. quia diversitatem, de concessione præbend. l. unic. C. de annali except.

3. In senatu tamen, & auditoriis curiæ, per stylum observatur, ut notum fiat de concessione restitutionis procuratori minoris, & sic vidi practicum, & hoc sufficiat, ut ei currat tempus. Idem observatur in assignatione dilationis, ut in curia procuratori notum fiat, & sufficiat. Aliud observatur in auditoriis extra curiam, nam tunc notificanda est dilatio parti, Ord. lib. 3. tit. 41. in princ. quod nota; quia sæpè vidi super hoc dubitatum.

De aliis, ad hanc decisionem conducentibus vide per Avendan. *respons. 4. & latè Sfor. Odo, tract. de in integr. restit. l. p. q. 3. art. 1.*

## DECISIO LI.

An confratriæ sanctæ misericordiæ gaudeant restitutionis beneficio?

### S U M M Æ.

1. Restitutio in integrum est privilegium contra jus commune, & non debet extendi ad alias personas, quàm ad eas, quibus à jure concessum est.

2. Confraternitas sanctæ misericordiæ instituta fuit & ordinata per Reginam D. Leonoram, uxorem Regis Ioannis Secundi.

Confratria prædicta non est subjecta prælato ordinario, nec visitatur per Archiepiscopum civitatis Olyssipponensis, nec solvit quartam canonicam, nec contribuit pro charitativo subsidio, sicut alia loca pia. Ibid.

De hæreditatibus, & legatis dicta confratria detrahatur quarta Falcidia, & Trebellianica. Ibidem.

3. Bona prædicta confratria liberè venduntur, & alienantur, sine solemnitatibus à jure requisitis in bonis Ecclesiæ alienandis.

4. Confratria hæc non est collegium Ecclesiasticum, sed collegium laicorum, piorum & devotorum hominum.

5. Confratria licet habeat capellas proprias, in quibus divina officia celebrentur, non idèò habet privilegium Ecclesiæ concessum.

Idem dicendum est in collegiis scholasticorum

pauperum, etiamsi sint loca pia, & habeant intra capellas, in quibus divina officia celebrentur. Ibidem.

Homines harum confraternitatum conveniuntur coram iudicibus laicis. Ibidem.

6. Confratria sanctæ misericordiæ non gaudet privilegio restitutionis in integrum, & hoc secundum opinionem Pauli Parisij, & Philippi Cornei.

7. In his quæ sunt juris, non introducitur consuetudo, nisi postquam res iudicatur in contradictorio iudicio.

8. Reprobatur opinio Pauli, & Cornei, & contraria verior & aequior est.

9. Tenor compromissi, per quod fuit instituta confraternitas sanctæ misericordiæ.

10. Beneficium restitutionis in integrum, prædictæ confraternitati concessum est secundum regulas juris communis.

11. Confratria prædicta fuit ordinata, auctoritate capituli Ecclesiæ majoris civitatis Olyssipponensis.

12. Confratria prædicta sanctæ misericordiæ gaudere debet beneficio restitutionis in integrum, & sic iudicatum fuit in senatu.

ET videtur quod non. Primò quia restitutio in integrum est privilegium contra jus commune. Bartol. in l. 4. D. de in integrum restitutione, unde non potest extendi ad alias personas, quàm ad eas, quibus à jure concessum est, cap. ea qua. de reg. jur. libro 6. l. in omnibus causis idem servatur, D. de regul. jur. Confratriæ autem laicorum non sunt de his personis, quibus hoc privilegium restitutionis in integrum conceditur per jus Canonicum: igitur non potest ad illud admitti, & cum de illa lex non loquatur, non ei competit, juxta text. in l. si servum, §. prætor ait, versicul. non dixit prætor. D. de acquirend. heredit.

Secundò non ei competit hoc privilegium, quia est confratria per laicos ordinata, nempe, per Reginam D. Leonoram uxorem Regis Ioannis Secundi, nec intervenit auctoritas prælati ordinarij, & per laicos regitur, & ministratur, & non per personas Ecclesiasticas, nec professas alicujus Ordinis, nec subjecta Ordinario, nec alteri Prælato, imò immediatè Regi, per Extravagant. 2. p. titul. 2. l. 13. §. 8. nec per Archiepiscopum hujus civitatis Olyssipponensis visitatur, nec per suos officiales, nec illi solvit quartam Canonicam, nec procuracionem, nec solvit aut contribuit pro charitativo subsidio, ad quod contribuunt loca pia, & personæ Ecclesiasticæ, nec de legatis, seu hæreditate illi relictis quarta Falcidia, seu Trebellianica desinit detrahi, à quibus sunt exempta relictis locis piis, ut per Bald. quem sequitur Corneus consilio 307. colum. final. in fin. libro 4. igitur clarum est, quod prædicta confratria non debet dici Ecclesiastica, nec is dicitur locus pius, cui competat privilegium hoc restitutionis in integrum.

Tertiò hoc manifestè convincitur, quia bona 3 hujus confratriæ, tam mobilia, quàm immobilia liberè venduntur, & alienantur, sine solemnitatibus à jure Canonico requisitis in bonis Ecclesiæ alienandis, cap. sine exceptione. 12. q. 2. ut per Rebuf. in tractat. alienat. rerum Ecclesiæ, Guilhelm. Redoanus in tractat. de rebus Ecclesiæ per totum, imò quotidie in foro,

foro, in publica subhaftatione venduntur, & præconifantur in licitationibus, quod non permitteretur alia ratione, quàm quia sunt bona prophana, & non Ecclesiastica, nec pro bonis Ecclesiæ reputata: igitur non ei competit hoc privilegium restitutionis, quo Ecclesiæ gaudent. *cap. 1. de restit. in integrum.*

4 Et quamvis hæc confratria capellas habeat, & Capellanos, qui in choro horas Canonicas cantant, & altaria in quibus divina celebrantur, id est, ad pia opera exercenda in missis, & orationibus, ut & in cleemosynis: at non ob id dicta confratria, & collegium laicorum, Ecclesiasticum dicitur, sed tantum collegium laicorum piorum & devotorum virorum, ut est.

5 Et ita videmus, quod confratriæ, quæ habent capellas proprias, in quibus divina celebrantur, non ob id habent privilegia concessa Ecclesiis. Idemque videmus in collegiis scholasticorum pauperum, etiam si sint loca pia, & habeant intra capellas, in quibus Missæ dicantur, & divina officia celebrentur, non ob id tamquam Ecclesiæ reputantur, nec eorum bona sunt Ecclesiastica, nec habent hoc privilegium & beneficium restitutionis in integrum, ut in terminis dicit Bald. in *Authentica, Hoc jus porrectum, C. de sacrosanct. Ecclesiis.* quod fraternitas hominum sæcularium non sunt loca pia, nec privilegiata: sequitur Corneus *consil. 318. lib. 3. numer. 6.* & est de mente Ioan. de Imol. in *cap. officij de testament.* & alibi dicit idem Corneus *consil. 307. libro. 4. colum. final.* loquendo de istis fraternitatibus laicorum piorum, quod jura loquentia de Ecclesiis non militant in hujusmodi fraternitatibus personarum sæcularium: & homines harum fraternitatum conveniuntur coram iudicibus laicis, & non coram Ecclesiasticis, quia non sunt Ecclesiæ, nec Ecclesiasticæ personæ, ut per Bartol. in *l. cum senatus. colum. 1.* & ibi Soc. *concl. 2. D. de rebus dubiis.* Alexand. & Paul. in *l. collegium. C. de hered. instituend.* idem Alexand. *consil. 102. numer. 1. libro 6.* & facit Ord. *lib. 2. tit. 3. §. 1.*

6 Et pro hac opinione, quod confraternitas hæc non habet privilegium hoc restitutionis in integrum, est in terminis consilium Pauli Parisij 134. *per totum libro 4.* ubi de hac quæstione latè agit, & ibi resolvit, quod hujusmodi fraternitatibus non competit hoc privilegium nec restitutio in integrum: & ante illum, idem tenuit & consuluit Philippus Corneus *consil. 57. numer. 20. lib. 3.* & videndus est Gamma *decis. ult. numer. 5.*

7 Quod si dicatur, prædictam confratriam, ex consuetudine hoc privilegium habere, quia ita est consuetudo: Respondetur, quod in his, quæ sunt juris, non introducitur consuetudo, nisi postquam res iudicatur in contradictorio iudicio, & in dubium venit, *l. cum de consuetudine. ibi. contradicto aliquando iudicio. D. de legibus.* Deinde consuetudo hæc, ut valeat, præscripta legitimè debet esse, *cap. ultim. & ibi glossa de consuetudin.* & ad præscriptionem necessaria est possessio per longum tempus, quia non dicitur plus præscriptum, quàm possessum, *l. 1. §. hoc interdicto. versic. Iulianus. D. de itinere actusq. privat.* & ibi Bartol. *numer. 1. cap. auditis.* ubi Abb. *de præscriptionibus.* ubi probatur,

Cabedo Pars I.

quod præscribens aliquod jus non obtinebit, nisi in illa specie tantum, de qua agitur.

Contrarium tamen verius, & æquius videtur ex traditis per Sforçam Odo. in *tractat. de restit. in integrum, 1. part. quæstion. 3. artic. 6. num. 46.* ubi latè de hac materia, & ibi pures refert pro hac sententia.

Et ad evidentiore hujus rei cognitionem libet hic inferere originem hujus confraternitatis desumptam ex libro compromissi illius:

*A confraria & irmandade desta sancta misericordia de Lixboa, foi instituida no anno do nascimento de nosso Senhor Iesu Christo, de 1498. no mez de Agosto na Seè Cathedral desta mui nobre, & mui leal cidade de Lixboa, per permisso, & consentimento, & mandado da illustrissima, e mui Catholica senhora, a senhora Rainha Donna Leonor, molher do serenissimo Rei Dom Ioão o Segundo, que sancta gloria aia: aqual ao tempo da instituição da dita confraria, & irmandade regia & governava os Reinos, & Senhorios de Portugal, pello mui alto & poderoso senhor el Rei Dom Manoel o premeiro deste nome seu irmão, que a esse tempo era em os reinos de Castella, afeitar a successão que nos ditos reinos lhe era devida: sendo isso mesmo na instituição da dita confraria, & irmandade, & dando a ella outorga autoridade, & ajuda o reverendo collegio da Seè da dita cidade.*

Nec obstant in contrarium adducta, nam ad 10 primum respondetur, quod beneficium concessum prædictæ confratriæ est juxta juris communis regulas, de quibus latè per Doctores relatos ab Sforça ubi supra.

Ad secundum respondetur, quod etsi sit prædicta confratria ordinata per laicos, tamen fuit cum auctoritate capituli Ecclesiæ majoris civitatis Olyssipponensis, & habet Ecclesiam erectam, & altaria, ut patet, ob idque beneficio restitutionis gaudere debet.

Ad tertium respondetur, quod quamvis ita sit, 12 tamen ob alias rationes, prædicto beneficio gaudere debet, juxta tradita à Doctoribus, quos refert Sforça ubi supra.

Et sic iudicatum fuit in favorem prædictæ confratriæ sanctæ misericordiæ, anno 1592. 27. die Junij, Scriba Marco Romeiro, Judice Doctore Antonio de Gamma, Regio Consiliario, tunc temporis Cancellario senatus supplicationis, in causa recusationis cujusdam senatoris, quem recusavit prædicta confratria, eratque in eadem causa actor D. Alvarus Vaz.

De his autem confratris vide eundem Doctorem Alvarum Vaz, *consult. 105.*

## DECISIO LII.

An dispositio Extravagantis, *lib. 3. tit. 3. p. 3.* locum habeat in auditoribus dominorum terrarum litteratis.

### S U M M Æ.

1. Decretum fuit in senatu, quod dispositio prædictæ Extravagantis locum habeat in auditoribus dominorum terrarum litteratis.

F 2



2. Pronuntiatio iudicum causarum criminalium civitatis Olyssipponensis, in terminis hujus legis, habetur, ac si esset facta per iudices ordinarios (& non de fora) & sic iudicatum fuit.
3. Lex prædicta, an habeat locum, casu quo aliquis delinquens chartam securationis impetrat, etiamsi postea Rex provisione emissa jubeat, ut in eo casu per viam inquisitionis, seu devassa, procedatur.
- Hæc lex solum habet locum in inquisitionibus, quæ per leges ordinarias regni fiunt. Ibid.
- Nonnulli tamen senatores distinxerunt, inter provisionem concessam partibus petentibus, & inter provisionem emissam nulla petente parte, quæ opinio melior, & tutior videtur. Ibid.

1. Hanc legem in illis verbis, ou despacho do Ceregedor da comarca, locum habere in auditoribus dominorum terrarum litteratis, decretum fuit anno 1589. in auditore quodam litterato cujusdam magnatis.

2. Iudicatum etiam fuit, quod pronuntiatio iudicum causarum criminalium civitatis Olyssipponensis, in terminis hujus legis haberetur, ac si esset facta per iudices ordinarios, & non, de fora, cum virgas rubeas, gestent, ut est expressa Ord. lib. 5. tit. 58. §. 2. licet & aliter iudicatum accepimus, tu cogita.

3. Dubitatum etiam fuit circa hanc legem: Si aliquis delinquens chartam securationis impetravit, eò quod de illo querelatum fuit, seu denuntiatum; postea Rex aliquibus ex causis provisione emissa jussit, ut de illo casu inquireretur, & effectus est inquisitionis, seu de devassa, si locus erit prædictæ legi: & tutius esse decretum fuit, ut non esset locus huic legi, sed quod delinquenti charta securationis valeret, & quod hæc lex solum intelligatur in inquisitionibus, seu devassis, quæ per leges, & ordinationes regni fiunt, & in casibus de quibus inquisitiones fiunt per ordinationes regni, & non in inquisitionibus particularibus, quæ per particulares provisiones Regis, seu rescripta fiunt. Quod notandum maxime est, ut quotidianum. Nonnulli tamen senatores sic distinguebant, quod si per provisionem Regiam, casus effectus est inquisitionis, nulla parte petente, locus sit huic legi: si verò ad petitionem partis casus factus est inquisitionis, tunc non: & hæc pars melior videtur: per quam potest declarari, & intelligi Ord. lib. 5. tit. 42. §. 5.

### DECISIO LIII.

De subscriptione, quæ fit in casu Ord. lib. 3. tit. 46. §. E acon teçendo.

#### S U M M Æ.

1. Subscriptio talionis, an fieri debeat, quando chirographus privatus de falso arguitur, qui tamen confectus est per aliquam personam ex illis, quorum chirographis, secundum legem regiam plena fides adhibetur.
2. In senatu fuit iudicatum, quod Ordinatio prædicta solum procedit in publicis scripturis in quibus loquitur.
3. Decretum senatus antiquum refertur.

Vidi dubitatum circa hanc ordinationem in §. E acon teçendo, in illis verbis: *Que tal estromento ou escritura he falsa*, an hæc subscriptio fieri debeat, quo casu aliquis contendit chirographum privatum falsum esse, confectum tamen per aliquam personam, ex illis, quorum chirographis plena fides adhibetur, per Ord. lib. 3. tit. 45. §. 14.

Et videtur idem hoc casu esse dicendum, ac dicitur in publica scriptura, ut scilicet, subscriptio fiat ab illo, qui privatum chirographum, alicujus tamen personæ, ex contentis in d. §. falsum esse probare contendit: idque ex text. eleganti in l. ultima. C. de fide instrum. ibi, *Chartula junctæ glossa eodem verbo*, & quæ tradit ibi Bald. & Salicet. & reliqui DD. agnoscetes loqui legem illam, in subscriptione ad pœnam talionis, ibi, *(in)scriptionem) junctæ l. ultima. C. de accusat. & gl. in verb. inscriptionis*. quam exornat Duenh in reg. 27. & ita per text. in d. l. ultim. C. de fid. instrum. Id notat. Paul. Castrenf. ibi. num. 15.

Contrarium tamen iudicatum fuit in senatu, ut Ord. hæc locum non haberet, nisi in scripturis publicis, in quibus loquitur.

Decretum autem fuit antiquitus in senatu in hæc verba: *Que se em algum feito a parte vier cõartigos de falsidade ha de ser presente, & processalos empresensa: aliã, não lhe serão recebidos os tuis artigos de falsidade, ainda que os ponha civilmente.*

### DECISIO LIV.

An exempti conventi coram prætore curiali, possint declinare ad iudicem laicum sui domiciliij?

#### S U M M Æ.

1. Moniales divæ Clara civitatis Eborensis, an possint declinare iudicium prætoris curialis, velut quilibet privatus, vel tamquam persona miserabiles.
2. Quando reus duos, vel plures iudices habet, non jure speciali, sed communi, actor potest unum ex illis eligere, ad actionem suam prosequendam, & numero 4.
3. Ordinationes regia apud nos jus commune dicuntur.
5. Intelligitur reg. l. juris ordinem. C. de jurisdic. omnium iudicum.
6. Quando reus ex speciali privilegio plures iudices habet, tunc demum ejusdem rei est electio.
7. Si actor eligat unum ex pluribus iudicibus, quos reus jure communi habet, non potest postea variare, nec ad alium redire.
8. Moniales an sint persona miserabiles.
9. Arbitrio iudicis relinquitur, quanam sint dicenda persona miserabiles.
- Ecclesia, & monasteria ex quatuor ordinibus mendicantium sancti Francisci, divi Dominici, divi Augustini, & Carmelitarum, item, & moniales cujuscumque ordinis, & instituti, habent privilegium miserabilium personarum Ibid.
10. Moniales ratione prædicti privilegij possunt eligere iudicem sui domiciliij, & ad illum remittenda sunt.
11. Persona miserabiles habent multos iudices ex privilegio, non jure communi, & illarum est electio.

12. Persona miserabilis, conventa ab alia, simile privilegium habente, potest eligere judicem, apud quem actor reum convenire debet.
13. Moniales licet sint divites, non ob id excluduntur a predicto privilegio: quod idem dicendum est in viduis nulla facta distinctione.
14. Regula predicta, quod in multis iudiciis ex privilegio datus electio sit rei, non habet locum, quando fraus & dolus intervenit.
15. Refertur decretum senatus.
16. Exempti conventi, qui privilegio miserabilium gaudent, non possunt judicem eligere: sed actoris est electio.

**C**ontigit in senatu dubitari de verbis Ord. lib. 2. tit. 1. in principio. ibi, *podem ser citados perante quaiſqaer iustiças, è iuizes leigos, onde forem moradores, ou perante o Corregedor da nossa Corte, ou sobreluizes, circa casum presentem.*

Quidam N. in iudicium vocavit moniales divæ Claræ civitatis Eborenſis coram prætorè curiali caularum civilium: moniales, exceptione proposita, eligere volunt judicem laicum prædictæ civitatis, in qua ipsæ domicilium habebant, & reorum partes sustinebant: prætor non obstante exceptione, iussit illas coram se respondere: conquestæ fuerunt ad senatum; quæsitum fuit, an prætor benè pronuntiaverit?

Et videtur, quod non. Cum enim moniales reæ essent, nec iudicium laicale declinarent, immo coram iudice laico respondere volebant, dum tamen convenirentur in loco sui domicilij, succedit regula, quod actor sequi debet forum rei, *l. juris ordinem. C. de jurisdictione omnium iudicum. cap. si clericus, cap. cum sit generale, de foro competente. Socin. reg. 15.* & ita pronuntiare prætor debuerat.

Ut tamen veritas hujus quæstionis habeatur, duo sunt considerandi casus in hac materia, qui diversam decisionem continent.

1 Primus casus est. Moniales in casu proposito posse declinare iudicium prætoris, velut quemlibet privatum, ex regula illa generali, qua quis jure communi attento, conveniendus est in loco sui domicilij, & actor rei forum sequi debet, ut supra diximus: vel declinare poterant, & eligere judicem, tanquam personæ miserabiles, ex privilegio concessio per Ordinationem lib. 3. tit. 4. §. 3.

2 Quoad primum membrum, quando ipsæ volunt declinare, ex regula juris communis, actor sequitur forum rei: dicendum videtur nullo modo eas id posse facere, & prætorem hoc casu rectè pronuntiasse, ut coram se responderent.

Regula namque est, quod quando reus duos, vel plures habet iudices, non jure speciali, sed communi, actor poterit ex illis unum eligere ad actionem suam prosequendam, nec tenetur præcisè sequi rei forum, text. ubi Doctor. in leg. ultima. C. de jurisdictione omnium iudicum. l. cum clericis, ubi Bald. numer. 1. C. de Episcopis, & clericis. Glossa & Doctor. in leg. ultima. C. ubi in rem actio. cap. cum sit generale. ubi Abbas. numer. 10. de foro competente. glossa in cap. dilecti. eodem tit. glossa in cap. statutum. §. cum verò, ad finem. de rescript. lib. 6. Roman. consilio 412. Afflict. decis. 257. idem

— Cabedo Pars I.

Afflict. in constit. rubr. 37. libro 1. numer. 16. Marant. l. si actor. num. 33. D. de procuratoribus. Covarr. variarum. libro 1. cap. 10. num. 6. novissimè Suares de Pax. in praxi, tom. 1. tempor. 1. num. 77. Atqui moniales in terminis prædictæ ordinationis libro 1. tit. 1. in principio, ut ceteri exempti, non jure speciali, sed communi, iudices illos habent, ut in regno possint conveniri ob rationem traditam in dicta Ordinatione: ergo actor, qui prædictos exemptos in jus vocat, poterit eligere judicem ex prædicta regula, & non ipsi exempti.

Confirmatur id ex eo, quia Ordinationes regis 3 jus commune nobis sunt, Palat. repetit. rubr. §. 65. num. 16. ad finem. Covar. practitarum cap. 27. num. 4. Gamm. decis. 50. num. 6.

Pro hac parte facit Ord. libro 3. tit. 5. §. penultimo, ibi, *Se os actores, perante elles os quiserem demandar.* ergo clarè ex his verbis actori electio datur, quod quidem ea ratione factum fuit, quia ex iuribus allegatis in prædicto casu, cum exemptis Ord. plures iudices dederit, actori electionem tribuit: si numquam reis eam dedisset, facile legislatoribus fuisset, id declarare in principio d. tituli primi. libro 2. ut declaravit in libro 3. tit. 4. §. 3. & ea verba in illa Ord. addere, quæ in ista posuit circa personas miserabiles in ea contentas, *quæ elles antes quiserem.*

Et retenta hac opinione, non obstat argumentum, quod in principio proposuimus de regula, l. Juris ordinem: illa enim locum habet, quando reus non plures, sed unum judicem habet, tunc enim coram illo conveniendus est: quilibet autem regulariter, solum iudicem domicilij habet, nisi ex alia particulari ratione, alibi sortiatur forum, ut per glossam, in l. hæres absens. ubi DD. D. de iudiciis.

Vel etiam responderi potest, quod quando reus 6 ex privilegio plures iudices habet, tunc demum ejusdem rei electio est, & actor sequetur forum rei, id est, convenire reum debet coram eo iudice, quem ipse elegerit: glossa in Authentic. habita. C. ne filius pro patre. ubi Bald. Salicet. & reliqui Doctor. Rebuffus ibi. Covar. variarum, libro 1. cap. 18. nu. 6. Suares ubi supra, num. 8. & reliqui Doctores, quos citavimus, Marant. in l. si actor. num. 33. D. de procurator.

Benè verum est, quod postquam actor unum 7 elegerit iudicem, ex pluribus, quos reus jure communi habet, non poterit ad alium redire, nec variare, Ord. lib. 3. tit. 5. §. penultimo, ultimis verbis, pro qua facit ubi ceptum, D. jud. Bald. in Auth. habita. C. ne filius pro patre. facit Ord. lib. 3. tit. 4. §. 3. ad fin.

Quoad secundum membrum, quando moniales, 8 seu monachi, petunt remitti ad iudicem electum ratione miserabilium personarum, advertendum est sintne miserabiles personæ, & de illis, ac de istis iudicandum.

Personæ verò miserabiles quæ sint, ponunt Doctor. in l. 1. C. quando Imper. inter pupil. & in cap. significantibus, de officio delegat. Guid. dec. 556. Marant. de ordine iudiciorum. 4. p. distinction. 9. num. 77. Menoch. de arbitr. lib. 2. casu. 66. Rebuff. ad leg. Gallias. tom. 1. tit. de sementis præjudicialibus l. 12. art. 8. glos. ultima. Covar. practic. cap. 6. Gregor. Lopez. l. 6. tit. 3. part. 3. glossa, E con estos.

Relinquitur tamen arbitrio iudicis, quæ dicantur miserabiles personæ, præter expressim in iure nominatas, ut tradunt DD. *in d. l. i. C. quando imp. inter pupillos.* vide DD. *ubi supra.* Covar. *pract. cap. 6. num. 3.* Et Ecclesiam miserabilem personam reputari, tradunt relati à Covar. *ubi proxime cap. 7. numer. 3.* quo loco receptum testatur in Hispania, monasteria ex quatuor ordinibus mendicantibus, sancti Francisci, divi Dominici, divi Augustini, & Carmelitarum: item & monialium cujuscumque ordinis, & instituti, miserabilium personarum privilegium habere.

- 10 His sic præhabitis, patet resolutio ad secundum membrum. Si enim moniales petant ad iudicem remitti domicilij sui, quem eligunt, ut possunt hoc casu facere, tamquam miserabiles personæ, Ordin. *d. tit. 4. §. 3.* utique remittendæ sunt, nec poterit prætor curialis cognoscere de causa hac, quando ipsæ ut reæ ad iudicium prætoris vocantur.
- 11 Confirmatur hoc expressè ex eo, quia cum hoc casu his personis miserabilibus multi iudices sint dati, ex privilegio, & non iure communi, electio est rei, & non actoris, tenent Doctores à nobis supra relati. Covar. *practic. cap. 7. num. 5. versic. sexto deinde.* Cum ergo moniales in iudicium vocantur, poterunt declinare ad iudicem proprii domicilij, ex privilegio miserabilium personarum.
- 12 Quod ampliandum est, etiam si conveniantur à persona alia simile privilegium habente, tunc enim actor convenire reum debet apud iudicem, quem reus elegerit, Ordin. *d. tit. 4. §. 3. ibi. En tal caso o autor siga o foro do reo.* tradit multa Covar. post Afflict. & Herniam, quos citat *practic. cap. 6. à num. 4.*
- 13 Quamvis autem moniales divites sint, non ob id eligentes prætorem, seu iudices novarum actionum (ut vocant) seu domicilij, ab hoc privilegio excluduntur. Covar. *ubi supra,* contra alios, quos allegat *cap. 7. num. 3.* cui accedit lex regia, *d. lib. 3. tit. 4. §. 3.* quæ generaliter disponit circa viduas, nulla facta distinctione, sint divites nec ne, licet in viduis aliter dicat Afflict. *constit. lib. 1. rub. 37. numer. 18.*
- 14 Illud tamen adverto in terminis Ordin. *libro 3. tit. 4. §. 3. ibi, O actor seguira o foro do reo,* in æquè privilegiatis. Quod si persona miserabilis aliam ejusdem conditionis convenerit, coram iudice proprii domicilij, & reus declinaverit ad iudicem suum, & eligat prætorem curialem extra domicilium, audiendus non est, cum id malitiosè factum videatur, malitiosque sit obviandum, in specie, Afflict. *ubi supra.* Covar. *d. cap. 7. num. 5. versic. quintus.* Et idem dicendum erit in monialibus conventis, cum per ratio in omnibus miserabilibus personis sit. Quamvis enim in multis iudicibus ex privilegio datis electio sit rei, ut diximus, tamen intelligendum videtur, ubi cessat fraus, & dolus, qui nemini patrocinari debet. *lege 1. §. editiones D. de edendo,* & vide circa hanc materiam decretum senatus, quod est in libro viridi fol. 123.
- 16 Hinc fit, ut exempti, qui non gaudent privilegio miserabilium personarum, ut sunt prælati, & alij, si conveniantur, non poterunt eligere iudicem, sed actor iudicem eliget, juxta superius data, quod valde notandum est.

## DECISIO LV.

An quæ fuit olim inhonesta, si nunc sit clausa, & facta honesta, dicatur honesta, quoad hoc, ut si quis eam rapiat, incurrat pœnam legis.

## SUMMÆ.

1. *Intelligitur Ord. lib. 5. tit. 14. §. E se algum homem.*
2. *Declaratur regula, semel, de reg. jur. lib. 6. Habitus malus tollitur per triennium, & cessat præsumptio. Ibidem.*
3. *Mulier, quæ per triennium, in clausura, & honestate perseveraverit, honesta, dicitur, quoad effectum hujus Ordinationis.*

**I**N Ordin. libro 5. tit. 14. §. E se algum homem enganar, &c. additum est verbum, *honestata*, ut dispositio illius procedat, videndum est, an dicatur honesta, in terminis Ordinationis, illa quæ olim honesta non fuit, nunc verò honesta est.

Et quidem, quoad effectum istius Ordinationis, dicitur honesta illa, quæ olim luxuriosè vixit, & inhonesta fuit, si per triennium fuit honesta, & emendata, quia licet, quæ semel fuit impudica, præsumatur impudica, hoc intelligitur, nisi probetur contrarium, ut omnes notant in *regula, semel, de regul. jur. lib. 6.* probatur namque contrarium, si per triennium steterit correctæ & pudica, ut probat text. per quem omnes hoc notant in *Authentic. de monach. §. sancimus, collat. 1. ibi, attamen sufficit ad medicrem purgationem peccatorum, & ad virtutis augmentum triennalis temporis testimonium.* facit etiam bonus text. in *cap. legem. 53. distinction. ubi glossa, & Archidiaconus. Iason. in lege, si prius, num. 43. D. de novi operis nuntiatione.* Aliter enim d. *regula, semel,* esset nimis aspera, secundum Probum in *cap. usurarium. num. 14. de usuris, lib. 6.* Tollitur enim per illud triennium habitus malus, & cessat præsumptio, ut etiam declarat Alciatus in *capit. cum non ab homine. num. 37. de iudiciis. Hippol. in rubr. de fidejussor. q. 22. & in l. 1. in principio, num. 77. D. de question.*

Ex quibus dicendum est, in casu hujus Ordinationis, quod si aliqua antea impudica fuit, & postea clausa, & pudica, & intra triennium suæ clausuræ habuit rem cum aliquo, quod ista non dicitur honesta, quoad effectum hujus Ordinationis, licet sit clausa: & puto, quod ab ultimo coitu sit computandum triennium, ut potest colligi, ex mente Doctorum supra citatorum. Si verò per totum triennium numquam habuit rem cum aliquo, immo clausa, & pudica fuit, honesta dicitur, ut huic Ordinationi, & pœnis in ea contentis locus sit: quamvis contra teneat Bald. quem allegat Tiraquel. *cessante causa, limitat. 12. num. 4.*

## DECISIO LVI.

An captus incarceratus injustè, si postea constet, quod debeat incarcerari, etiam si mox relaxetur, debeat relaxari.

## SUM-

## S U M M Æ.

1. Per legem novam reformationis, in §. 39. dispositum est, quod nullus, de quo fuerit querela data, incarceretur, absque eo, quod summarium testium fiat examen.
2. In querelis servanda est prædicta lex reformationis: secus si per viam inquisitionis procedatur.
3. Captus, qui non ritè incarceratus est, aufugiens è carcere antequam captura nulla declarata sit, an teneatur commentariensis? remissivè.
4. Refertur decretum senatus.

**D**E hac quæstione bis in senatu vidi dubitari. Per legem novam reformationis in §. 39. dispositum est, quod nullus, de quo fuerit querela data, incarceretur, absque eo, quod summarium testium fiat examen. Quidam, de quo fuerat querela data, in carcerem conjectus fuit, absque testium summario examine, tamen posteaquam in carcere fuit, recepti sunt testes summarie, & per illos constitit illum benè carceratum esse, contendebat vincendus esse relaxandum, quia tempore quo in carceribus captus fuit, injustè, hoc est, non ritè captus fuisset, id est, non servata forma legis: & sic illa fuit pertractata quæstio, an captus in carceribus injustè, hoc est, non ritè, vel non rectè, si postea constet, quod debeat incarcerari iterum, etiam si mox relaxetur, debeat relaxari? Et Ludovic. Roman. in l. si finita. D. de damno infect. in princ. tenet, quod non: idem tenet Paul. conf. 472. in fin. lib. 1. quem sequitur, & commendat Bertachinus de Episcopo, lib. 1. qu. 46. num. 67, ubi subdit, quod de facto judicavit, secundum opinionem Paul. d. loco: & ultra supra citatos videnda est glos. & DD. in d. l. si finita. Bart. in quest. 6. incipit: Lappus: & in proposito facit unum verbum Pauli de Citadinis de jure patronatus, num. 106. Dec. conf. 449. numer. 19. Et quod non retractetur talis captura, facit text. in l. final. §. fin. D. eò quod metus causa. de quo per Ias. in l. a divo Pio. §. in venditione. colum. 3. D. de re judic. Bernard. Dias reg. 168. & ita in senatu judicatum fuit, aliquibus contradicentibus; pro quo facit, quod circuitus vitandus est, l. non ideò minus. D. famil. exerciscunda.

2. Contrarium etiam judicatum fuit in aliis casibus: mihi placet hæc distinctio, quod in querelis servetur lex reformationis, in casibus verò, in quibus per inquisitionem proceditur, non relaxetur carceratus, ex dictis in principio, & aliqui senatores in hac distinctione conveniunt.
3. Si autem ita captus, antequam declarata sit captura pro nulla, aufugiat è carcere, an teneatur commentariensis, seu custos carceris, vide Angel. & Paul. in d. l. fin. D. quod metus causa: & in l. que sub conditione. §. de hoc jurejurando. D. de condit. instir.
4. Et est notandum, quod in querelis vulnerum fit examen, Ord. lib. 1. tit. 44. §. 62. Extravag. 1. p. tit. 17. l. 8. & fit etiam, de nodos & pizaduras negras & sanguentas. Ita decretum in senatu anno 1600. in quadam petitione gravaminis.

## DECISIO LVII.

De chartis securationis, quas nostri, *cartas de seguro*, vocant.

## S U M M Æ.

1. Prætor curialis, qui in senatu chartam securationis confessivam cum defensione concessit, potest solus per se secundam concedere, & reformare, casu quo impetrans chartam, prima effectus indignus fuit.
2. Reformatio nihil de novo operatur, in casu hujus decisionis, nec charta securationis confessiva, semel concessa, negari potest.

**C**Asus hic pro notabili signatus, & notatus fuit per me, circa chartas securationis, quas, de *seguro*, vocant nostri. Prætor curialis chartam confessivam cum defensione in senatu concessit, juxta Ord. lib. 5. tit. 49. §. 2. postea reus, qui illam petiit, & impetravit, illa effectus indignus fuit, quod vulgo dicitur, *quebrou a carta*, & iterum secundam petiit: dubitabatur, an hæc secunda etiam in senatu concedenda esset, ut fuerat prima, in forma prædicta Ord. an verò Prætor ipse solus per se illam concedere possit, & reformare, hoc enim verbo propriè utimur. Et decretum fuit, quod Prætor solus per se illam possit concedere, & reformare: cum enim jam semel concessa fuisset in senatu, & visa inquisitione, quam de vassam vocamus, satisfactum erat formæ dictæ Ord. lib. 5. tit. 49. §. 2. Et reformatio non operatur quid de novo, neque illa cum jam semel concessa fuit, negari poterat, & ob id solus prætor hanc reformationem poterat facere. Bart. in l. si qui reus. D. de pub. judiciis.

## DECISIO LVIII.

An attendendum sit tempus primæ, an verò secundæ capturæ illius, qui captus, primæ capturæ tempore fuit inventus sine habitu, & tonsura clericali, postea verò è carcere aufugit, & iterum captus, habitum, & tonsuram deferre inventus est, ad hoc, ut gaudeat privilegio clericali.

## S U M M Æ.

1. Clericus ut gaudeat privilegio clericali, sufficit probare, quod tempore capturæ erat in habitu, & tonsura.
2. Ultima derogant prioribus, & ultima mora nocet.
3. Qualis quis invenitur, talis judicatur, & talis presumitur, qualis habitu reperitur.
4. Superveniens privilegium, dignitas, & jus, liberat ab onere antea injuncto, solvit vinculum præcedentis obligationis, adjuvat, & excusat, pendente lite; quinimo, & ordines adepti post commissum delictum, patrocinantur delinquenti.

5. Fuga è carcere licet delictum sit, tamen, quia prohibetur, & puniatur, licitum est è carcere auferre.
6. Laicus captus, postea fugiens factus clericus, vel ad Ecclesiam confugiens, & privilegio clericali, & immunitate Ecclesie gaudet.
7. Captus primo in habitu, & tonsura, postea fugiens, iterum secundo captus sine habitu, & tonsura clericali, ratione prima captura privilegio non gaudet.
8. Captus sine habitu, & tonsura, postea fugienti iterum captus in habitu, & tonsura, suffragari non debet ordinis prerogativa, & tempus prima captura attenditur.  
Clericus in minoribus, qui habitum & tonsuram reassumpsit, tunc demum privilegio Ordinis gaudebit, si antea non sit preventus à iudice seculari, qui tamen personaliter talem clericum punire non poterit: licet bene aliter iudicare.
9. Quando clerici in minoribus gaudeant privilegio clericali, remissivè.

Quòd autem primæ capturæ tempus non sit inspiciendum, sed secundæ, & ita quòd Ordinis privilegium huic capto patrocinari debeat, faciunt sequentia.

1. Primò, quia Ord. lib. 2. tit. 1. §. Os clericos, versic. *eo que fiz er artigos de clerigo solteiro.* disponit, quòd sufficiat probare, quòd capturæ tempore, erat captus in habitu, & tonsura, nec distinguit inter primæ, aut secundæ, aut tertiæ capturæ tempus.
2. Secunda ratio est, quia hic fuit constitutus in sua libertate, arg. text. in l. plerique, ibi, si non multo tempore. D. de ritu nuptiarum. & in l. vir uxori, alias, vir mulieri D. de donat. inter vir. & uxor.  
Tertia ratio est, quia ultima derogant prioribus, in omni materia, arg. l. pacta novissima. ubi latè Ias. C. de pact. Specul. tit. de accusat. §. 1. col. 2. & inde etiam dicimus, quòd ultima mora est attendenda, l. illud. D. de periculo. & commod. rei vend.
3. Quarta ratio sit, ex eo quòd dicitur: quòd ubi te invenero, ibi te iudicabo, id est, in eo statu, quo te invenero, ita te iudicabo, l. item apud Labeonem, §. si quis virgines. D. de injuriis. ubi talis quis præsumitur, qualis habitu reperitur.
4. Quinta ratio sit, quia superveniens privilegium liberat quem à priore onere, quòd incumberebat, l. spadonem. §. si autem quis tutor. & l. jurisperitos. D. de excusat. tutorum. Item sacerdotium superveniens tollit munus publicum antea inunctum, l. prator. circa principium. & ibi notata, D. de vacat. & excusat. munerum. Item superveniens dignitas solvit vinculum obligationis præcedentis, etiam voluntariè contractæ, l. interdum. D. de oper. libert. Item clericatus superveniens facit quem eximè à foro seculari, secundum Ioann. Andr. in cap. 1. de obligat. ad ration. Speculator. in titul. de reo. versic. sed quid si pendente, & versic. sequenti. Item dignitas, & jus superveniens, etiam lite pendente adjuvat, & excusat, Bart. in l. si rem alienam §. fin. D. de pignoratitia actio. item facit Ordin. lib. 2. tit. 1. §. E sendo algũ. ubi dicitur; quòd ordines valent illi, qui eos sit adeptus post delictum commissum, licet etiam postquam semel de

eo coepit accusari, & ita tenet Oldrad. consil. 4. incipit, quòd laicus delinquens. & fortius dicit Oldrad. quòd quis etiam tunc potest gaudere clericali privilegio, cum sit accusatus, imò à iudicio seculari condemnatus. Unde planè videtur dicendum ita in casu proposito, quòd huic capto suffragari debeat ordinis prerogativa, ut quia sit secundæ capturæ tempus attendendum, non primæ, & ita fuit bis, aut ter iudicatum in senatu supplicationis.

Nec obstat, quòd ex contrario allegatur, quòd scilicet huic capto non debeat patrocinari sua malitia, nec ex fuga, quæ delictum est, debet commodum reportare, cap. intelleximus. de iudicis, cap. sedes, de rescript. cum similibus. Quoniam respondeo, quòd fugere, est se defendere, & cuilibet est permissa sui defensio, l. ut vim. D. de iustit. & iure; unde licitum est unicuique à carcere fugere, ut se defendat, & quamvis fuga puniatur tanquam delictum, ab ordinatione regia libro 5. tit. 36. §. 4. non ideo facit, quòd fuga per se delictum sit, sed tantum, quia prohibita, quinimo inconveniens est, ut hic ex fuga puniatur, ceterum juvetur ex sua diligentia, & honesta cura, qua postea curavit, & fecit, ut in decenti habitu incederet, scilicet in habitu, & tonsura clericali; nec enim ex eo debet quis puniri, quòd iustè facit, & quòd iure tenetur facere; tenetur autem habitum, & tonsuram deferre clericalem, cap. Clerici, & cap. Clericus, de vita, & honestate clericorum, cap. Ioannes, de Cleric. conjugatis, cap. 1. eod. tit. lib. 6.

Præterea demus, quòd is purè laicus esset, cum captus primò fuit: postea fugit, & clericus factus est: quis dubitet, hunc privilegio gaudere clericali? nemo sanè, & ita probat Oldrad. ubi supra, ergo tantumdem dici debet in casu nostro, ubi captus fuit repertus in laicali habitu, postea fugit, & captus est in clericali; profecto non dubium est, quin ipsi sit clericale profuturum privilegium. Rursus si is laicus sit captus, & fugiens postea è carcere ad Ecclesiam confugiat, gaudebit utique Ecclesie immunitate: ergo ita gaudebit clericali privilegio is, qui primò, ut laicus deprehensus, postea ut clericus captus est, & inventus in habitu, & tonsura debita, ita argumentatur Oldrad. in d. consil. 4.

Postremò facit, quòd si veram esset, quòd tempus primæ capturæ inspicere deberet; sequeretur, si aliquis primò fuit captus in habitu, & tonsura, & postea è carcere fugiens, iterum & secundo captus est, sine habitu, & tonsura clericali, quòd is ratione primæ capturæ remittendus esset ad iudicium Ecclesiasticum, quo tamen iure numquam utimur: neque quisquam est, qui non videat, hoc quàm sit absurdum, si observaretur: quare cum hoc casu non sit remittendus ad Ecclesiam, quia habetur ratio secundæ capturæ, bene sequitur, quòd ita sit dicendum, in nostro casu, ut habita ratione secundæ capturæ, non primæ, ad Ecclesiasticum remittatur iudicium, contrariorum enim eadem est disciplina, & idem debet operari oppositum, in opposito, quòd propositum, in proposito. §. cum autem instit. de contrahen. emptione. cum multis adductis per Dinum, in reg. qui sentit. de reg. jur. lib. 6.

Sed contrarium servatur, & ita iudicavit sæpe senatus, pro qua parte videtur text. in cap. ex parte de privilegio, & in ca. ex parte, de clericis conjug. vide tamen



men Imol. in cap. cum Ioannes, de clericis conjugat. num. 17. versic. potest dicere. ubi concludit, quod clericus in minoribus, qui habitum, & tonsuram reassumpsit clericalem, tunc demum privilegio gaudebit ordinis, si antea non præventus esset à iudice sæculari, puta quia sine habitu, & tonsura ab eo fuit captus, quia tunc, si reassumat postea talem habitum & tonsuram, non prodest illi, quominus teneatur coram sæculari respondere, quam vis idem Imol. ibidem sentiat, hoc casu personaliter non posse talem clericum puniri à sæculari, licet bene aliter iudicare, quod etiam tenet Aufter. de potestate sæculari. regul. 1. num. 19. fol. 11. vol. 4.

- 9 Quando autem clerici in minoribus gaudeant privilegio clericali, vide Trident. sess. 23. cap. 6. sub decreto de reformatione.

## DECISIO LIX.

Quòd supplicatio de gravamine æquiparetur appellationi ab interlocutoria, quæ de iure canonico permittitur: & an, & quando iudex à quo possit gravamen, aut attentata revocare?

## SUMMÆ.

1. Appellatio ab interlocutoria, qua iure canonico permittitur, jurisdictionem iudicis à quo regulariter non suspendit, & innovata valent, nisi per iudicem superiorem revocentur.
2. Supplicatio per viam gravaminis, apud nos æquiparatur appellationi ab interlocutoria: secus si per petitionem gravamen interponatur à iudicibus loci, in quo est senatus.
3. Iudex à quo potest interlocutoriam, seu gravamen revocare de iure communi, intra quatuor menses, & de iure nostro intra decem dies citata parte.
4. Appellatione pendente à sententia diffinitiva, attentatum, vel innovatum à iudice à quo, vel à parte, vel à tertio, per iudicem ad quem revocatur.
5. Si turbetur possessio appellantis, vel fructus rei possessæ, super qua contenditur, dissipentur, potest iudex à quo se intromittere.
6. Virum appellans petens gravaminis revocationem, vel aliquid aliud coram iudice à quo vel coram alio, quam iudice appellationis, videatur appellationi renuntiare?
7. Appellans, qui litigat, vel petit aliquid tangens causam principalem, aut sententia injustitiam coram iudice à quo vel coram alio quocumque inferiori, appellationi videtur renuntiare.
8. Appellans litigans super gravamine illi factò, vel super innovatis coram iudice à quo, appellationi renuntiare non censetur.
9. Terminus intra quem gravamina presentari debeant, remissive.

**A**ppellatione interposita ab interlocutoria, (quod licet de iure canonico) vel à gravamine, quòd tantumdem est, & nos appellamus, aggra-

var por instrumento, ou petição, suspensa fit iudicis à quo jurisdictione, quoad hoc, ne possit tamquam iudex appellatorem compellere, ut coram se respondeat, nisi ad audiendam revocationem, cap. si à iudice. de appellationibus lib. 6. quæ debet fieri citata parte, quæ appellavit, ut ibi. Sed ipse iudex à quo potest interim ad ulteriora procedere; cap. non solum. §. 1. eod. tit. lib. 6. & innovata valebunt, nisi per iudicem appellationis causa cognita revocentur, vel prius iudicem à quo inhibeat, ne ulterius procedat, ut ibidem, & in his duobus casibus illa est differentia, quia in primo non fit revocatio, nisi causa appellationis sit vera, in secundo fit, etiam si causa vera non sit, ut ex d. §. 1. in fine colligitur.

Et quod talis iudex à quo nondum inhibitus, 2 possit interim ad ulteriora procedere: & quòd iudex appellationis possit ex causa ejusmodi innovata revocare ultra, d. c. non solum, est text. in c. signific. c. significantibus, de appellationibus, c. dilecto. in fin. eod. tit. cap. 1. de dilat. & passim in iure canonico; & hoc iure utimur, cum per viam gravaminis supplicatur, ex Ordinatione lib. 3. tit. 59. §. 3. quia tamen §. non procedit, quando per petitionem gravamen interponitur à iudicibus loci, in quo est senatus, tunc enim suspensa manet jurisdictione iudicis: & sic servat stylus.

Sed utrum iudex à quo possit gravamen suum, 3 seu interlocutoriam revocare? licet DD. se involvant, dic breviter, quòd potest, l. quod iussit. D. de re jud. intra quatuor menses, secundum gloss. ibi, sed quo tempore, relinquit cogitandum Perusinus in d. cap. si à iudice, numer. 8. col. fin. de appellat. lib. 6. sed secundum jus nostrum intra decem dies tantummodo, Ord. lib. 3. tit. 48. §. 2. & à sentença, & ita debet accipi. d. cap. si à iudice, & quæ ibi tractant DD. & in cap. cum teneamur. de appellat. ad quam revocationem faciendam à dicto iudice à quo, debet pars citari, ut in d. cap. si à iudice. per rationem Perus. ibidem. num. 2.

Si verò appellatur à sententia diffinitiva, quis 4 poterit revocare attentatum? Distingue, aut innovatur à iudice à quo, aut à parte, vel à tertio: in primo casu revocatur per iudicem ad quem, d. cap. non solum. & cap. sollicitudinem, de appellat. ut per Duenh. reg. 42.

In secundo casu iudex item appellationis, non 5 autem iudex à quo, ut per glossam in d. cap. non solum. fallit primò, nisi turbetur possessio appellantis cap. cum teneamur. ubi Abb. num. 5. de appellat. fallit secundò, nisi fructus rei possessæ, super qua contenditur, ab aliquo litigatorum, appellatione pendente, dissipentur, cap. fin. ubi Abb. not. 3. de sequest. possess. & fruct. & est ad hoc Ord. lib. 3. tit. 58. §. 1. & 2. in his enim casibus potest se intromittere iudex à quo: nec per hoc appellans renuntiat appellationi, ut supra diximus.

Solet etiam dubitari, si appellans petat horum 6 aliquid, vel aliter gravaminis revocationem, coram iudice à quo, vel coram alio, quam iudice appellationis, an censetur appellationi renuntiare? & distinguitur, aut per viam simplicis querelæ sive informationis factæ illi, non ut iudici; aut verò per actum contrarium suspensioni, jurisdictionis suspensionis per appellationes, qui non potest explicari à iudice,

judice, nisi ex vi suæ jurisdictionis; in primo casu pone exempla: si post appellationem appellans coram judice à quo producit suam appellationem, vel ostendit suam sententiam fuisse injustam, ut ideò ab executione recedat, vel aliter vult gravamen docere, ut illud revocet, tunc enim videtur appellans per hoc ab appellatione recedere, ex Rot. probata per Perus. *in d. cap. si à judice. post glossam ibi. de appell. in 6.* in secundo casu videtur renuntiare appellationi secundum Perus. *ibi.*

7 Sed, & melius distingue, aut appellans, coram judice à quo appellavit, litigat, vel petit aliquid quod tangat causam principalem, aut sententiæ injustitiam, quod tunc videtur renuntiare appellationi, *glos. verb. teneris. d. cap. si à judice. per text. in cap. gratum. de officio delegati. & c. cum venissent. de testibus.* & idem erit, si de hoc litigetur, coram inferiore judice appellationis, ad quem inferiorem posset ipse si vellet provocare. *c. sollicitudinem. de appellat.* Amplia, etiam si hoc casu protestaretur nolle appellationi renuntiare, per textum *in dict. cap. sollicitudinem.* Limita dupliciter per Perus. *in d. cap. cum teneamur. col. 2. verb. Adde primo. & vers. secundo addetur.* ubi omnino vide.

8 Aut verò appellans litigat super gravamine illi facto, aut super innovatis, pendente tali appellatione, tunc enim potest agere coram judice à quo super revocatione, nec per hoc censetur renuntiare appellationi de gravamine, est text. *in cap. si à judice de innovat. textus in dict. c. cum teneamur.* & est optima glossa, quæ id multifariè, & eleganter probat *in d. cap. si à judice. vers. teneris.* quam sequitur Perusinus. *nu. 5. Decius. nu. 3. in dict. cap. cum teneamur.* & hæc distinctio videtur jure probabilior.

Amplia, si sit appellatum ab interlocutoria, *d. cap. si à judice. si à diffinitiva. d. cap. cum teneamur.*

9 De termino autem intra quem instrumenta gravaminis præsentari debeant, vide *Ord. lib. 3. tit. 59. §. ultimo. Gamm. decis. 132.*

### DECISIO LX.

An judex & notarius simul quis esse possit, & acta scribere?

#### S U M M Æ.

1. In actis contentiosa jurisdictionis, judex & notarius simul quis esse non potest: potest tamen in actis jurisdictionis voluntariae.
2. Iudex potest scribere acta gesta coram se in causis modici præjudicij.
3. Causa criminalis semper dicitur magna, & quantumcumque; levis major est qualibet causa civili.
4. De mandato summi Pontificis, Regis, aut Principis non recognoscentis superiorem, potest judex simul & notarius esse, & acta coram se scribere. Notarij creantur à Principe. Ibidem.
5. Intellectus ad cap. quoniam contra falsam, de probationibus.

**A**N judex possit esse simul & notarius, & scribere acta gesta coram se? de facto agitatum vidi. Et de quæstione hac videndus est Accurt. *in*

*l. jubemus §. sane. ubi Bart. num. 13. Bald. num. 3. Salicet. & Paul. Castr. de sacrosanctis Ecclesiis, post Innocent. in cap. cum a nobis, de testibus. latè Bart. in l. si servus communis. D. de stipulat. servorum. DD. in cap. quoniam contra falsam, de probation. Guid. decis. 564.*

Qui omnes concludunt, quòd in actis contentiosa jurisdictionis non potest, qui est judex, simul esse notarius, & acta coram se gesta scribere: at in actis voluntariae jurisdictionis potest, & ipsimet Doctores exempla ponunt.

Potest etiam scribere gesta coram se in causis modici præjudicij, & brevioribus: quæ autem istæ sint, vide per Jacob. Menoch. *de arbitrariis. lib. 1. casu 72.*

Illud autem notandum est, quòd causa criminalis semper magna dicitur, ita ut quantumcumque levis major sit qualibet causa civili, notatur ad *l. servorum, D. de pænis.* tradit Jacobus Menoch. *ubi supra, casu 464. num. 2.* quam distinctionem sepe positam tradit Bart. *in d. l. si servus communis.* Guid. *d. decis. 564.*

Quando tamen summus Pontifex, Rex, aut Princeps non recognoscentis superiorem, hoc jubet, & concedit judici, potest judex simul & notarius esse, & acta gesta coram se scribere: cessat enim tunc ratio à Doctoribus tradita; inquit enim, quòd ea ratione judex simul & notarius esse non potest, & acta coram se gesta scribere, quia talis judex habet publicam auctoritatem ad judicandum, non verò ad scribendum, ita Innocent. *in d. cap. cum a nobis. DD. ubi supra.* Si ergo summus Pontifex, Rex, seu Princeps non recognoscentis superiorem, judici tribuat etiam auctoritatem ad scribendum, cessat prædicta ratio, & valebunt acta scripta per illum. Princeps namque notarios creat, *Ord. lib. 2. tit. 15. §. 1. c. 1. qua sint regalia. Avend. de exequend. mandat. lib. 1. cap. 1. num. 9.* & alibi latè, Deo dante, dicemus.

Nec obstat superius dictis text. qui in contrarium facere videtur *in d. ca. quoniam contra falsam, de probation.* loquitur enim in eo, quòd regulariter fit, non enim judex potest, ut diximus, regulariter, id est secundum juris regulas ipsemet scribere acta coram se gesta, at id facere de mandato summi Pontificis, Regis, aut Principis non recognoscentis superiorem, potest, juxta superius dicta: ex eorum namque mandato datur iudicibus publica auctoritas, ad acta scribenda. Quod valde notandum est: vidimus enim concessam prædictam auctoritatem iudicibus per Regem in hoc regno non semel in inquisitionibus faciendis, quas, devassas, vocamus.

### DECISIO LXI.

An Rex tamquam magister, seu gubernator, & perpetuus administrator Ordinum militarium possit committere causam terminandam simul, & super possessorio, & super proprietate?

#### S U M M Æ.

1. Summus Pontifex, & Rex possunt statuere contra jus canonicum, & civile.

2. Et si id faciunt motu proprio, præsumitur, quòd intervenit iusta causa.
3. Agere prius de possessorio, quàm de petitorio, est ordo à jure canonico, & civili datus.
4. Princeps potest committere ut causa judicetur super possessorio, & petitorio, licet possessorium fuerit prius intentatum, & partibus etiam renuentibus.
5. Fieri autem posse de consensu partium nulli dubium est.  
Commisssa aliqua causa, utraque, & possessionis, & proprietatis commissa censetur. Ibid.
6. Rex tamquam magister ordinum militarium non potest facere, quòd judicetur super possessorio, & petitorio simul, partibus renuentibus.  
Magister ordinum militarium, est tamquam quilibet praelatus. Ibidem.  
Inferiores non possunt statuere contra legem superioris. Ibidem.  
De jure canonico statutum est, ut prius de possessione agatur, & postea de proprietate. Ibidem.  
Summus Pontifex potest statuere contra jus positivum. Ibidem.
7. Prælati inferiores à Papa non possunt statuere contra jus.
8. Quod quemadmodum intelligendum sit, declaratur.
9. Resolutio quæstionis.

**H**anc quæstionem vidi in facto agitatam; & quòd summus Pontifex, & Rex id possit tamquam Rex facere, probatur, quia summus Pontifex, & Rex possunt contra jus canonicum, & civile rescribere, & statuere, notatur ad *l. princeps, D. de legibus, l. digna vox, C. eod. tradit latissimè Ias. in l. fin. C. de constitut. principum Bald. in cap. super. nu. 1. de causa possessionis, & proprietatis.*

2. Et quando id faciunt motu proprio, præsumitur, quòd intervenit iusta causa. *Glof. in l. relegati. in fin. D. de panis, quæ communis est, ex traditis per Myningerium lib. 5. observationum, observatione 8. numer. 3.*
3. Agere namque prius de possessorio, quàm de petitorio, est ordo à jure canonico, & civili datus, *cap. super eo. de ordine cognit. text. in l. si de vi. D. de judiciis l. ordinarij. C. de rei vendicat.* Cum ergo huic juri canonico, & civili, summus Pontifex, & Rex possit derogare, bene sequitur, quòd poterunt etiam statuere, ut causa possessorijs, & petitorijs simul tractetur, & decidatur, idque faciendo iustè fecisse præsumendum est, ex superius dictis.
4. Et ita, quòd Princeps possit committere, ut causa judicetur super possessorio, & petitorio, licet possessorium fuerit prius intentatum, & partibus etiam renuentibus, tenet *Alex. cons. 54. n. 3. l. 5. Gram. decis. 15. nu. 1. Capic. dec. 69. nu. 13. decis. Pedemon. in novis. 15. per totam. Menoch. de recuper. remedio. nu. 300. & remed. 15. n. 372. DD. ad l. naturaliter, in §. nihil commune. ubi Rip. D. de acquirend. possess.*
5. De consensu autem partium id posse fieri nulli dubium est, *text. in cap. 1. ubi scribentes de causa possessionis, & proprietatis, & vide in materia text. in c. 1. de sequest. possess. & fruct. ex quo colligunt DD. quòd commissa aliqua causa, utraque, & possessionis, & proprietatis commissa censetur.*

Si verò Rex tamquam magister Ordinum militarium id vult facere, non utique potest, partibus renuentibus, quia magister Ordinum militarium est tamquam Prælatus quilibet, inferior tamen à Papa. *Navar. in Apologia de redditibus Ecclesiasticis, quæst. 1. monito 56. num. 8.* Inferiores autem non possunt statuere contra legem superioris. *c. cum inferior. de majoritate, & obedient. Clementina. ne Romani. in principio. de electione.* Cum autem de jure canonico statutum sit, ut prius de possessione agatur, & postea de proprietate, *cap. super. de ordin. cognition. cap. in litteris, de restitutione spoliatorum, & diximus suprâ: bene sequitur, quòd inferior à Papa non potest huic juri derogare, sed solus summus Pontifex id poterit facere, qui contra jus positivum statuere potest. cap. proposuit. ubi DD. de concessione præb.*

Quòd autem Prælati inferiores à Papa non possint contra jus statuere, tenet *Iason. in l. omnes populi. 1. lectur. num. 30. D. de justitia, & jure. & est glof. singularis. in cap. ultim. verb. possit. per totam, de hæreticis, lib. 6. quam dicit notabilem Abb. in cap. dilecto. notab. 4. de præbend.*

Et quamvis aliqui Doctores teneant, quòd Episcopi possint statuere contra jura, quando datur iusta causa, & necessaria, ut cum *Bald. & alijs resolvit Ias. ubi suprâ. Covarr. de sponsalib. 2. part. c. 6. numer. 11. in fin.* Id tamen intelligendum est, quando talis causa nova est, & verotimiliter per Papam non cogitata, ut docet *Abb. in cap. at si clerici. §. de adulteris. num. 9. vers. prædicta limitatio. de judicijs.*

Conclusum fuit, quòd magister Ordinum militarium, non possit, partibus renuentibus, statuere, quòd judicetur de possessione, & proprietate simul, anno 1598. mense Septembr.

## DECISIO LXII.

Si in instrumento sit apposita clausula, ne debitor audiatur excipiens, antequam summam debitam deponat; & actor certam quantitatem petat, aut quod ex calculo deberi confiterit: Utrum debitor ita conventus possit calculi rationem eligere, & absq; deposito debeat audiri?

## S U M M A.

1. In alternativa electio est debitoris; & ob id ille à quo alternative petitur, summam, quam debet, aut quod debere confiterit ex calculo, non tenetur deponere, ex clausula scriptura, si eligat calculi rationem.
2. Contrarium determinatum fuit in presenti decisione, quia per alternativam non censetur actor recedere à clausula depositi.
3. Libellus alternativus esse non potest regulariter.  
*Verba libelli ambigua in favorem libellantis sunt interpretanda. Ibidem.*  
*Declaratur sensus verborum libelli alternativum in casu presentis decisionis. Ibidem.*
4. Quando libellus alternativus esse non potest, actor eligit ex alternativa, & libellum ad certam summam petitionem adaptare potest.

Qui quod superfluum est, & jure improbatum detrahit, mutare non videtur. Ibidem.

5. Alternativa posita in libello, in causa presentis decisionis, quatenus calculum respicit, non requirit necessario calculum, ante finitam causam.
6. Instrumentum, in quo quis promittit certam summam, nisi aliter ex calculo appareat, liquidum est, & executionem meretur.
7. Calculi adjectio non facit contractum conditionalem, nec incertum.
8. Resolutio questionis.

**Q**uidam actionem alternativè proposuit, dixit enim reum sibi certam pecuniæ summam debere, aut quod collatis, atque disunctis rationibus debere constitisset.

1. Et ideo cum alternativa fit in debitoris electione. *reg. in alternatis, de reg. jur. lib. 6.* videbatur quod potuisset reus calculi rationem eligere, & ita non debere deponere.
2. At contrarium visum fuit, quia non videbatur ea fuisse agentis intentio, ut ex illis actionis verbis intelligatur voluisse à depositi clausula in instrumento locationis posita discedere.
3. Tum quia libellus alternativus esse non potest regulariter, *l. prator edixit, § quod autem, D. de injuriis.* Tum quia verba libelli ambigua in favorem libellantis sunt interpretanda, juxta textum, & ibi notata in *l. si quis intentione, D. de judiciis,* & ea verba illum sensum habere videntur, ut certa summa simpliciter petita sit, & amplius si quid deberi ex calculo constitisset, idque interpretando in favorem agentis.
4. Tertio, quia cum libellus nequeat esse alternativus, potuit actor ex alternativa eligere, & libellum ad certæ summæ petitionem adaptare, tunc enim mutare non videtur, dum quod superfluum est & jure improbatum, detrahit.
5. Quarto, quia pars illa alternativæ, quæ calculum respicit, non requirit necessario calculum, sed perinde est, ac si dicat, quod post discussam causam, & in toto calculo, deberi constitisset, hoc ipsum petitur, sed per hoc non tollitur, quin causa discutatur, quod si discutienda est, certè clausula depositi adimpleri debet.
6. Sicut & dicitur de instrumento, in quo quis promittit certam summam, nisi aliter ex calculi ratione appareat, quod censetur liquidum, & meretur executionem, etiam antequam ratio calculetur, ut notat eleganter Socin. in *l. quibus diebus, § quidam Titio, D. de condit. & demonstrat. & in l. pecuniam, D. si cert. petat.* ubi sequitur Dec. *col. 2. vers. quarto nota.*
7. Nam ea calculi adjectio non facit contractum conditionalem, nec de liquido, aut certo, facit non liquidum, aut incertum: sic igitur in presenti non desinit esse certæ petitiō per calculi rationem adjectam, nec ejusmodi postulatio statim desiderat necessario rationes distrahi, ante omnem causæ examinationem. Et pronuntiatum fuit, quod clausula depositi servaretur, 22. die Decembris, anno 1577.

## DECISIO LXIII.

Jus tertij, an liceat illud allegare?

## S U M M E.

1. Jus tertij non licet allegare, nec de eo opponere.
2. Fallit hoc, quando tale jus est exclusivum juris agentis.
3. Quando is qui allegat, jus habet à tertio, potest de jure tertij excipere.
4. Quando de jure actoris non constat, non est opus, ut de jure rei quaratur.
5. Jus tertij potest allegari, quando nullitas actus ipso jure inducitur.

Possessor potest opponere contra emphyteutam, quæ finita sunt generationes, & res non ad illum, sed ad directum dominum pertinet. Ibidem.

6. Quando voluntas tertij requiritur ad nullitatem actus, de jure tertij opponi non potest.

Contra donationem non potest opponi de supervenientia liberorum: & si pater donationem non revocavit, nec ejus hæredes, nec alius eam revocare potest. Ibid.

Contra testamentum ob filij præteritionem nullum, alius de nullitate excipere non potest. Ibid.

Contra emphyteutam incidentem in commissum alius opponere non potest. Ibid.

Contra alienationem factam à minore sine decreto, alius excipere non potest. Ibid.

**F**requenter in senatu dubitari solet, quando locum habeat hæc regula, ob id de ea agemus, quæ sic habet: Jus tertij non licet allegare, nec de eo opponere, *l. loci corpus, § competit, D. si servitus vendic. l. si alienam, ubi gloss. multa jura allegat, D. solut. matrimon. Iason. in l. indebiti §. sed si nummi. D. de condit. indebit. Alexand. cons. 8. volum. 7.*

Fallit nisi tale jus sit exclusivum juris agentis, *Bart. in l. 2. D. de except. rei jud. Florian. d. l. loci, §. competit. Paul. cons. 367. num. 2. lib. 1.*

Item fallit, quando is qui allegat, habet tale jus à tertio, ut per Dec. *cons. 247. in fin. & vide Ioan. Ferrarient. in sua pract. in forma libelli negat. vers. expectat. col. 2.* qui optimè distinguit, quando liceat de jure tertij excipere.

Et dicit Alexand. in *l. si alienam, col. 3. in fin. D. solut. matrimonio per l. finalem, C. de rei vendicat. l. cum servum, C. de servis fugitivis.* ubi Paul. quod potest quis opponere contra actorem, dicendo; obstat tibi, quod res, quam petis, ad te non pertinet, sed ad alium. Et hinc est, quod, ubi non constat de jure actoris, non est opus, ut quaratur de jure rei, ut est casus, & ibi notant omnes, *d. l. fin. C. de rei vendicatione.*

Adde & iis distinctionem hanc, quod aut non expectatur voluntas tertij, ut actus pereat, & infirmitur, sed ipso jure inducitur nullitas; & tunc tale jus tertij potest allegari, quia jam efficaciter est exclusivum juris agentis, secundum Bart. *d. l. fin. C. de rei vendicat. §. l. 2. n. 1. De except. rei jud. Spec. tit. de locato. vers. si emphyteuta cadit.* ubi est additio Bald. singularis, quæ idem dicit, ubi possessor conventus excipit contra emphyteutam, quod finitæ sint generationes, &

& non ad illum, sed ad directum dominum pertinet, & huc tendit D. c. d. conf. 247.

6 Aut verò expectatur voluntas tertij ad nullitatem actus, & tunc quis non potest opponere de jure talis tertij, ita Bald. l. cum servum, num. 1. C. de furt. Puta si contra donatarium opponatur de supervenientia liberorum, quia si pater nondum donationem revocavit, nec heredes eius, nec alius potest revocare, ita Baldus l. 1. num. 18. C. de inoffic. donation. Idem si agatur ex testamento inofficioso ob filij præteritionem, quia interim, donec ipse præteritus dicat nullum, alius de nullitate ista excipere non poterit, quia tertius hoc non potest allegare, ut notant DD. in l. filio præterito D. de injusto rupto. & l. maximum vitium, §. sancimus. C. de liber. præteritis. Ita Bart. d. l. 2. Bald. & Salicet. d. l. cum servum. Idem ubi excipitur, quòd emphyteuta incidit in commissum, quia expectatur declaratoria voluntas directi domini, secundum Bald. ubi supra. Idem in alienatione facta à minore sine decreto, quia expectatur, quoad ipse minor petat se restitui, & contractum rescindi, interim verò alius id non potest allegare, ex Iul. l. ex hoc jure. n. 63. in 11. effectu, D. de justitia & jur. Vide tamen latè doctissimum Barbofam in l. si alienam. num. 55. cum sequentibus, D. soluto matrim. & fratrem meum Gondicalum Mendez de Vazconcellos in suis quaestionibus, lib. 2. cap. 7. num. 11.

### DECISIO LXIV.

An Consiliarij Regis recusari possint tamquam suspecti?

#### S U M M U S.

1. *Questio pro utraque parte disputatur.*
2. *Quilibet potest recusari: nisi excipiat à regula.*
3. *Consiliarij Regis possunt recusari, quinimo & totum consilium, quando aliter per Principem non est provisum.*
4. *In casibus in quibus senatores palatij exercent jurisdictionem voluntariam, recusari non debent: tametsi contrarium fuit judicatum.*
5. *Extravagantes, stylus, & consuetudo regni, senatores palatij recusari posse, admittunt.*
6. *Cancellarius maximus, & alij Cancellarij recusari possunt, in casibus in quibus judices sunt: secus in expediendis chartis, seu sententiis, ut transeant per Cancellariam, & sic fuit decretum.*
7. *Senatores non poterant se eximere à judicandi munere, nisi fuerint recusati: postea tamen lege emissã fuit statutum, ut possint jurejurando se eximere.*
8. *Inquisitores Apostolici recusari possunt tamquam suspecti.*  
*De materia Consiliariorum Principum vide remissivè citatos.*

**M**aximum dubium extitit in facto: an Consiliarij Regis, senatores nempe palatij, recusari possint tamquam suspecti.

1 Et videbatur, quòd non: primò, quia hi non exercent actus jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, & supplicationes de gratia expediunt, in

Cabedo Pars I.

quibus non potest admitti recusatio. Secundò, quia nulla lex est, quæ directè disponit illos posse recusari, sed solum enuntiativè; lex enim novissima recusationum in principio, circa cautionem deponendam in recusationibus faciendis personis ibi numeratis, enumerat senatores palatij: sumendum autem argumentum non est à verbis enuntiativis ad inducendam legis dispositionem, notatur ad Clement. 1. de probat.

Pro contraria parte facit Extravagans regni. p. 1. tit. 1. l. 1. §. 7. ubi inquit, quòd Cancellarius maximus est judex recusationum officialium omnium in illa lege contentorum, in quibus enumerantur senatores palatij, & in §. 2. illius legis, ergo recusari possunt. Secundò & facit Extravag. p. 1. tit. 3. l. 3. ubi sunt hæc verba, *E que o Chanceler mor conhecesse semente das sospeições que fossem postas aos vedores da fazenda, & desembargadores della, & desembargado res do paço, &c.* Igitur dicendum est, quòd possunt recusari.

Tertiò quia regula est, omnes posse recusari, & solum ab hac regula excipitur Summus Pontifex, & Rex, seu Princeps non recognoscens superiorem, tradunt DD. in c. 1. de judiciis. Abb. in cap. querelam, de electione. Dec. in cap. postremo, de appellationibus.

Pro resolutione dicendum est, quòd consiliarij Regis possunt recusari, quando in contrarium per Regem, seu Principem non est provisum, ut multoties Rex providet, imò & consilium ipsum recusari potest, quando principiores de consilio suspecti sunt, Anton. de Butrio eleganter in cap. 1. de judiciis. qui distinguit inter causas consultivas, & decisivas, ut in illis recusari non possint, in istis verò sic: quem refert Laudensis de officialibus dominiorum. quest. 15. Roland. à Valle consil. 19. libro 3. Menoch. de arbitrariis jud. caus. lib. ultimo.

Si tamen Rex declarat causas, in quibus recusatio admitti tantum debet, & illos limitat, extra illos recusatio admitti non potest, juxta regulam l. in agris. D. de acquirendo rerum dominio.

Fateor tamen, quòd in omnibus casibus in quibus senatores palatij exercent jurisdictionem voluntariam, & non contentiosam, ut est expedire supplicationes omnes gratiæ, & Regi ad interrogata per consultationes respondere, & in similibus casibus, qui sunt de mera gratia, declarandum lege regia erat, illos recusari non posse, sed solum in casibus contentiosæ jurisdictionis, in quibus ipsi judices sunt, qui multi accidere possunt. Tamen in proposito dubio, admittæ fuerunt recusationes, & judicatae secundum probationem datam.

Non obstat prius argumentum in contrarium: responderetur namque regulæ standum esse, quoad contrarium Rex non statuit.

Ad secundum responderetur, quòd Extravagantes illæ, & stylus, & antiqua consuetudo regni, quæ illas interpretata est, disponunt, ut senatores palatij recusari possint, & sic consuevit fieri, quod sufficit. l. si de interpretatione. D. de legibus.

Cancellarius autem maximus & alij Cancellarij senatus supplicationis, & Portucalensis, recusari possunt, in illis tantum casibus, in quibus judices sunt: at in expediendis chartis, seu sententiis, ut transeant per cancellariam, non possunt recusari, quia non sunt judices, sed solum dubi-

dubitatores, & dubia ab illis proposita, per alios senatores deciduntur, ut est *l. 1. titul. 2. p. 1. §. 2.* Et sic decreverunt senatores palatij in recusatione quadam posita per Comitem de Monsanto Cancellario maximo, & meritissimo Simoni Gonçalvez Preto. Sic etiam bis decretum fuit in senatu supplicationis meo tempore, circa Cancellarium supplicationis.

7 Illud advertendum est, quod etiam si per legem reformationis, §. 15. statutum erat, ut senatores non se à iudicandi munere excusarent, nisi recusati fuissent, præterquam in casibus in ea lege contentis: postea tamen lege emissa anno 1596. dispositum fuit, ut id possent facere, quando illis secundum conscientiam suam visum fuisset, dummodo id iuramento affirmarent, & sic non potest admitti talis recusatio, nisi per hæc verba (*Jurejurando, sou sospetto*) & hæc regia provisio est in libro 6. *senatus. fol. 237.* circa quod vide elegantissima verba Auli Gellij, *noctium Atticarum lib. 4. cap. 2.*

8 An autem inquisitores Apostolici recusari possint? dic, quod quamvis Archidiaconus, & Domin. in cap. *plerique, de officio Ordinarij, lib. 6.* teneant quod non, & eos sequatur Rip. *de peste lib. 3. num. 140.* quos refert Roias *de hæreticis, num. 435.* & alibi allegat singularem instructionem de Madrid. an. 1561. *cap. 52.*

Tamen contrarium tenet Symanchas *de Catholicis instit. tit. 17. num. 50. & sequenti.* Refert Roias ubi supra. Bernard. *Commenfis de hæret. verb. recusation. num. 1. & sequentib.* quos vide: & secundum hanc ultimam sententiam prædicari audio.

De materia autem consiliariorum Principum vide Anton. *Revilium tractat. de justitia & injustitia lib. 3. c. 2. Iterniam, in cap. 1. à num. 8. hic finitur lex. Afflict. lib. 1. constit. rubr. 45. à num. 39. & l. 7. tit. 18. part. 4.*

### DECISIO LXV.

Charta securitatis utrùm proficiat ei, qui incarceratus pro uno crimine, ad aliud illam impetravit.

#### S U M M Æ.

1. Incarceratus pro uno crimine, si ad aliud impetret chartam securitatis, charta ei non proficit, si pars adversa contradicit.
2. Quod idem dicendum est, licet incarceratus de captura mentionem faciat.
3. Quando autem pars non contradicit, talis charta impetranti prodesse debet.
4. Idem videtur dicendum, si pars consentiat vel taceat, licet de captura mentio non fiat.
5. Si verò pars contradicat, charta non proficit impetranti.
6. Princeps in dubio beneficium non concedit in præjudicium tertij. Ibidem.  
Charta surreptitia, non expressa causa, qua si expressa fuisset, difficiliorem redderet superiorem ad concedendum, non valet. Ibidem.

1 **C** Harta securitatis, quæ, de seguro, dicitur, utrùm proficiat illi, qui in carcere detentus

pro uno crimine, ob aliud, de quo timebat futuram accusationem, dictam chartam impetravit: excitata fuit quæstio in senatu cum de facto contigit: & obtinuit, ut non proficeret, quia pars adversa contradicebat.

Sed distingue, aut fecit mentionem de captura, aut non: primo casu, aut pars contradicit, aut non: si contradicit, videtur quod dicta charta non proficit, quia istud est beneficium Principis, quod citra præjudicium tertij debet concedi: at si is virtute dictæ chartæ à captura eximeretur, fieret inde parti præjudicium, tum quia illi daretur durior adversarius, nempe liber à carcere, & vagus, tum quia daretur reo causa fugiendi, & ita pars amitteret debitam sibi illatæ injuriæ satisfactionem.

Si verò non contradicit pars, tunc dicendum videtur, quod ei, qui illam impetravit, prodesse debet.

In secundo autem membro, quando non est facta mentio capture, aut pars consentit, vel tacet, & videtur idem, quod quando non contradicit.

Aut contradicit, & idem dicendum videtur, quod supra diximus in altero casu primi membri: tum ex supradictis rationibus: tum etiam quia in dubio Princeps non concedit beneficium in præjudicium tertij, *l. l. Paragrapho merito. D. ne quid in loco publico*: tum etiam, quia lex istas chartas concedit, ut delinquentes non absint, sed compareant se liberaturi in iudicio, vel condemnationem debitam expectaturi. Satagit enim lex hominum nocentium condemnationem, vel innocentium absolutionem; quæ ratio cessat hic, ubi iste captus jam comparet, quia in carcere est: ergo cessare debet dictæ chartæ utilitas, tum etiam, quia talis charta est surreptitia, quia tacuit capturam, quæ, si exprimeretur, difficiliorem redderet superiorem ad concedendum, *capit. postulasti. de rescriptis.* Et per hæc fundamenta, ita pronuntiatum fuit.

### DECISIO LXVI.

An in causa alimentorum admittatur appellatio.

#### S U M M Æ.

1. Quando agitur de alimentis præteritis, regulariter appellatio admittitur.
2. Si verò de alimentis futuris agatur officio iudicis, id est, propter inopiam agentis, appellatio non admittitur: secus si jure ordinario agatur.
3. Alij indistinctè tenent, quod à sententia lata super alimentis futuris, admittitur appellatio. Et quod etiam, quando agitur officio iudicis, super alimentis admittatur appellatio, multis ostenditur. Ibidem.
4. In omnibus casibus, etiam requirentibus summariam cognitionem, appellatio regulariter licita est.
5. Regula illa, quod super momentanea possessione non admittatur appellatio, limitatur multis modis, remissive.
6. Verior videtur opinio, quod si agatur jure ordinario,

nario, sive officio iudicis, super alimentis futuris, admittatur appellatio.

7. Appellatio super alimentis futuris non habebit effectum suspensivum, ubi is, qui petit alimenta, propter inopiam egit, secus si habeat unde se alat.
8. Ex quibus aliqua notabilia inferuntur.
9. Etiam si victor habeat unde se alat, poterit sententiam interim exequi, non obstante appellatione, si fideiussorem praestet ad restituenda alimenta, casu, quo in instantia appellationis succubuerit. Si tamen victor fideiussores non inveniat, tunc illi tantum alimonia, ad litis sumptus subministrabitur, quantum iudex moderato arbitrio aestimaverit. Ibidem.
10. Conducunt ad Ordin. lib. 3. tit. 28. §. 6. & eod. lib. tit. 36. §. 2.

**I**N hac quaestione distingui solet, an agatur de alimentis praeteritis, an verò de futuris. In primo casu admittitur appellatio regulariter. Ita declarat Ias. in l. de alimentis, n. 5. C. de transactionibus. ubi dicit, hoc casu suspendi sententiam per appellationem, allegat Ioan. Andr. ad Specul. tit. de appell. §. in quibus, vers. sed numquid. Francisc. Aret. cons. 97.

**I**n secundo autem casu, cum agitur de alimentis futuris, solet distingui, quòd aut agitur jure ordinario, & per viam actionis, & tunc appellatur: aut agitur officio iudicis, id est, propter inopiam agentis, ut exponit Bart. in l. final. num. 1. D. de appellat. recip. & tunc non appellatur regulariter. Ista fuit distinctio Alberici de Caleot antiquitus, quem refert Angel. l. si iudex infra allegata. & postea Martin. de Fano, quem refert, & sequitur Speculat. in tit. de appell. §. in quibus, num. 10. vers. sed numquid. quem ibi sequitur Ioan. Andr. in addit. ibi, de utroque primum membrum placet, & c. Bart. in l. final. num. 1. D. de appellat. recip. Angel. in l. si iudex D. de his, qui sunt sui, vel alien. jur. & ratio distinctionis ea assignatur, quia ubi agitur officio iudicis, requiritur summaria cognitio, & ideo non admittitur appellatio, argumento text. in l. si iudex. D. de his, qui sunt sui, & c. l. si quis à liberis, §. solent. D. de liberis agnoscendis, cap. ex parte, de accusat. cap. penult. & cap. fin. 17. quaest. ultima. quæ jura citat Specul. d. numero 10. secus, ubi agitur actione ordinaria. Item, quia ubi alimenta petuntur, officio iudicis, videtur iudicium possessorium, & ideo non appellatur, l. i. C. si de momentanea possess. fuerit appellat. secus, si jure actionis, quia tunc intentatur iudicium petitorium, in quo admittitur appellatio, ita Angel. ubi supra, post Guilhelm. & Speculat. quos citat. Alij tenent, quòd indistinctè non appellatur. Bart. in l. mella. de alimentis, & cib. legatis. Gigas de pensionibus, qua 95. n. 3. & Socin. regul. 24. fallentia. 20. Afflict. decis. 152. num. 3.

**A**lij verò indistinctè tenent, quòd à sententia super alimentis, etiam futuris lata, potest regulariter appellari, quod tenuit idem Speculat. tit. de officio omnium jud. Paragrapho 1. vers. sed an in eisdem, numero 4. & antea Robert. de Bobio Doctor antiquus, quem ibi refert Ioan. Andr. in addit. Idem Ioan. Andr. secutus Guilhelm. de Suzariis in addit. ad Specul. tit. de appellat. Paragrapho in quibus, d. numero 10. vers. sed numquid, & additio. ad Bart. eadem argumenta reassumens, in l. mella.

Cabedo Pars I.

n. 5. D. de aliment. & cib. leg. Bart. tract. de aliment. num. 47. & quia omnes conveniunt, ubi agitur jure actionis admittendam esse appellationem, ideo tantum de ea specie agemus, ubi agitur officio iudicis de alimentis futuris.

Et quòd tunc debeat admitti appellatio primò probat Spec. d. n. 4. per l. placet, à 2. C. de pedaneis jud. ubi dicitur, quòd à sententia ex omni causa prolata potest appellari, & ita non excludit causam alimentorum, quacumque via de illis agatur.

Secundò, quia nullo modo est prohibitum appellare, cum officio iudicis de alimentis agitur, ergo sufficit, ut censeatur permissum, argument. l. illam, C. de collat. l. 3. D. de prævocat. ad finem. cap. is qui, de sententia excommunicat. libr. 6. facit l. statuas D. de religiof. & sumptib. funerum. ita Guilhelm. de Suzar. relatus à Ioan. Andr. ubi supra d. n. 4. statur enim regulæ, dum exceptio non probatur.

Tertiò quia non solum in majoribus causis appellatio permittitur, l. & in majoribus, C. de appellat. sed etiam in minimis, cap. de appellationibus, l. i. in ordine de appellat. eodem. tit. Ergo sive hæc causa super alimentis futuris, quia possessoria, sit de minimis, sive quia petitoria, sit de majoribus, non prohibetur in ea appellatio, ita Guilhelmus, & Ioannes Andr. ubi supra.

Quartò quia sententia lata super alimentis est definitiva, l. si quis à liberis, Paragrapho si quis ex his, D. de liber. agnoscend. ergo ab ea regulariter appellabitur, quia non reperitur prohibitum, ita sentit Bart. in d. tract. de aliment. num. 47.

Et mihi placet hæc pars, limitando, ut infra dicam. Nec obstant opposita: non inquam primum, quia jura, quæ allegantur, non probant, quòd ubi requiritur summaria cognitio, non appellatur, immo in contrarium est regula, quòd in omnibus causis majoribus & minoribus, civilibus & criminalibus, regulariter licita est appellatio, ut probatur in d. l. & in majoribus, C. de appellat. in l. non tantum, & in l. fin. Paragrapho jussus D. eod. & ita d. l. placet C. de pedan. judic. licet multipliciter regula limitetur per Socin. reg. 24. & Ioan. Bern. reg. 35.

Nec etiam obstat secundum, d. l. i. C. si de momentanea possess. fuerit appell. quia licet regulariter à sententia lata super momentanea possessione non liceat appellare per illam legem: tamen illa regula limitatur multis modis, ut per Soc. reg. 18. Ioan. Bernard. reg. 36. Duen. reg. 44. Nec sequitur, agitur officio iudicis de alimentis futuris, ergo agitur de momentanea possessione, aut remedio possessorio: cum officium iudicis possit intentari tam in petitorio, quàm in possessorio iudicio.

Quare puto regulam constituendam, quòd in 6 causa alimentorum, etiam cum de futuris agitur, sive officio iudicis, sive jure actionis agatur, licita sit appellatio, & hoc videtur placuisse Ioanni Andr. in addition. ad Specul. d. Paragrapho in quibus, numero 11. secutus Guilhelm. de Suzar. & addit. ad Bart. d. l. mella.

Sed intellige, quòd appellatio ista, non habet effectum suspensivum, ubi is qui petit alimenta, propter inopiam egit, adeoque alimentis indigeat, ut sententiæ executio dilationem non patiantur, puta quia alendus, non habet omnino aliunde



unde se alatur: nam tunc æquum est, ut illi interim præbeantur alimenta, secus si habeat unde se alatur. ita notabiliter scripsit Ioan. Andr. post Guilh. de Suzar. quem sequitur in additione ad Specul. de appellat. d. §. in quibus, n. 11. vers. sed numquid verb. aliorum. & idem probavit add. ad Bart. d. l. mella. D. de aliment. & cib. legat. allegant ad hoc text. in l. si instituta, §. penult. D. de inofficioso testam. & l. filius, D. de jure deliberando.

8 Ex quibus inferitur primò, quòd si petens talia alimenta habeat aliunde, unde se alatur, quòd non fiet interim sententiæ pro eo lata executio, sed suspendetur per appellationem, quia tunc cessat illa necessitatis ratio, ob quam executio interim permittitur, & facit text. in l. si quis à liberis, §. sed si filius, & §. solent. in fin. de liber. agnoscend.

Inferitur secundo, idem sensisse Bart. post Mart. de Fan. & Specul. in d. l. fin. D. de appellat. recipiend. num. 5. dum ait, ideo super his alimentis fururis, cum agitur officio iudicis, id est, propter inopiam, non admitti appellationem, quia talia dilationem non patiuntur, per jura quæ citant in d. l. fin. l. 2. D. de feris, & cap. qua fronte, de appellat. & ideo apparet eos, qui in hac specie scripserunt appellationem non admittendam, melius locuturos fuisse, si dixissent, appellationem admittendam, sed executionem sententiæ non suspendendam; quia scilicet præstatio alimentorum indigenti faciendâ, dilationem non patitur, juxta illud (Venter non dat inducias) quod plano sentit Angel. in d. l. si iudex, licet non satis se expedierit, & expressim tenuit Ias. in l. de alimentis n. 5. C. de transactionibus.

Inferitur tertio, melius locutum fuisse Angel. licet sub dubio in d. l. si iudex, dum ait, quòd licet, quando alimenta petuntur, jure actionis possit appellari, tamen fortè interim sententiæ executioni mandabitur, & quamvis ad hoc dicat se non habere legem expressam, tamen rationem dicere, ne alendus interim fame pereat.

Inferitur quarto, lapsos eos fuisse, qui indistinctè dixerunt, in causâ alimentorum futurorum non admittendam appellationem, nisi intelligamus, vel executionem interim non debere suspendi, vel id probasse, ubi notoriè constaret, quòd alendus nihil aliunde habeat, unde se possit interim alere.

Inferitur quinto, quòd si is, qui petit alimenta, & obtinet sententiâ, habeat unde se alatur, non poterit illam interim exequi, sed suspendetur executio, appellatione pendente, ex mente Guilhelm. & Ioan. Andr. & aliorum, qui eos sequuntur.

9 Quòd tamen intelligendum est, nisi victor præstet fideiussionem, quòd restituet tantum, quantum pro alimentis interim perceperit, si in instantia appellationis succubuerit. Ita plane sentit Angel. ubi supra. dum ait, quòd in præstatione horum alimentorum, servabitur modus, qui servatur in supplicatione, Authent. qua supplicatio. C. de precibus impetrat. offer. & in petita restitutione, in cap. suscitata. de in integrum restitut. & satis sensit Bart. in tractat. de aliment. dum allegat l. si quando, quæ est l. fin. C. de ord. cognit. & antea Speculat. in d. §. in quibus, numero 11. vers. sed numquid, dum ait, quòd ubi fuerit actum officio iudicis, non admittetur appellatio, nisi diceretur iudex modum excessisse, quo casu, inquit, alimenta iterum præstabuntur, per jura quæ

citant in l. si instituta Paragrapho penult. D. de inofficioso testam. & l. si neget. D. de liber. agnoscend. & ita bene significat, quòd tunc admittetur appellatio, sed si fiat executio præstita fideiusione, & condemnatus obtineat in causâ appellationis, actor illi percepta interim alimenta restituet, quòd & Bart. placuisse videtur in d. l. fin. num. 1. dum se remittit ad Specul. in dicto loco. Idem expressius voluit idem Specul. titul. de officio omnium iudicum, §. 1. vers. sed in eisdem, num. 4. in illis verbis (Ita tamen quòd pendente appellatione alatur, qui fuerit pronuntiatus alendus sine præjudicio tamen) allegat d. leg. si instituta. & l. fin. C. de ordin. cognit. l. filius, D. de jure deliberand. Ex quibus illud animadverto, quòd si is victor habeat fideiussorem, tenebitur præstare fideiussionem. Si non inveniatur, tunc illi tantum alimentoniam, etiam ad litis sumptus subministraretur, quantum iudex moderato arbitrio æstimaverit, ut statuit d. l. fin. C. de ord. cognit.

Quæ omnia in practica notabilia sunt, & conducunt ad intellectum Ord. lib. 3. tit. 28. §. 6. & eod. lib. tit. 36. §. 2. & vide Alvar. Vaz. consult. 1.

## DECISIO LXVII.

De carceratis sub fideiussoribus datis.

### S U M M A.

1. Datus sub fideiussoribus, carceratus dicitur, quòd non est in eo, qui chartam securationis sumit. Dicitur, ou, ponitur inter diversa. Ibidem.
2. Qui chartam securationis habet, & eam frangit, perinde est, ac si eam non acciperet.
3. Qui sub fideiussoribus datus est, semper manet obligatus ad se liberandum, siue culpam habeat, siue non, aliter fideiussionem amitteret.
4. Tabellio, si non notificaverit iudici, quòd qui chartam securationis habet non comparet, privabitur officio: secus est in eo, qui datus est sub fideiusione. Hoc tamen per Extravagantem immutatum est. Ibidem.

Inter eum, qui datus est sub fideiussoribus ad se liberandum à culpa, & eum, qui securationis chartam habet, ea est differentia, quòd primus carceratus dicitur, Ord. lib. 3. tit. 8. §. penultim. Secundus verò non ita. Ordin. libr. 3. tit. 7. §. 1. ibi, *Porem isso não avera lugar em o que toma carta de seguro, ou de fiança*, nam illa dictio, *ou*, ponitur inter diversa, l. pen. §. fin. D. de actionibus empti, ergo non est idem.

Altera est differentia, quia ille, qui chartam securationis habet, & eam frangit, non incurrit poenam, sed perinde est, ac si illam non acciperet, Ord. lib. 5. tit. 1. §. 8. facit l. si privatus. D. de iis quibus ut indig. Alexand. & Iason. in l. 1. in princip. D. de novi operis, cap. exhibita. de homicidio, & vide Extravagantem, 1. part. tit. 28. §. 5. si enim non est in culpa, propter quem accepit chartam securationis, non potest carcerari absque culpa.

At qui sub fideiussoribus datus est, semper obligatus manet ad se liberandum, seu culpam habeat, seu non: aliter fideiussionem amitteret.

Nec



4 Nec tabellio privabitur officio, si non notificaverit judici, quod datus sub fideiussoribus non comparet, ut carceretur, ut est in eo, qui chartam securitatis habens se liberat, sunt enim hæc diversa, Ordin. d. lib. 5. tit. 1 § 7. quamvis hoc immutatum sit per d. *extravagantem* 1. p. tit. 28. §. 5. quæ tamen vocat, *seguros*, illos, qui sub fideiussoribus dantur, quod notabile est.

DECISIO LXVIII.

An fructus veniant in petitione, aut libello, etiam si non petantur.

S U M M Æ.

1. Fructus separati à solo, & percepti ante litem contestatam, in petitione, aut libello non veniunt, nisi petantur.
2. Fallit primò in fructibus pendentibus.
3. Fallit secundò, quando petitur rei restitutio. Quando agitur iudicio particulari, ratione violentiæ expulsiuæ, vel inquietatiuæ, veniunt fructus etiam si non petantur. *Ibidem*.
4. Fallit tertio, quando agitur actione universali, quod etiam sublimita.
5. Quartò fallit, quando fructus sub petitione proposita comprehendi possunt.
6. Fructus post litem contestatam veniunt, etiam non petiti, quinimmo, & accessiones, & deteriorationes.
7. Quod intelligitur, si modò fructus veniant, ex natura actionis propositæ.
8. Intellige secundò, si fructus petantur pendente iudicio.
9. Intellige tertio, si post sententiam petantur statim, & tunc petuntur officio iudicis.

FRUCTUS etiam si non petantur, utrum veniant in petitione aut libello, sæpè in senatu dubitatur.

1 Prima Regula. Dic, quòd fructus separati à solo, & percepti ante litem contestatam, non veniunt regulariter nisi petiti, l. *adiles*, §. *item sciendum*, ad finem D. de *adilitio edicto*. Angel. & Iacobin. in l. *solemus*. reprobata ibi glossa 2. D. de *iudiciis*.

2 Fallit primò in fructibus pendentibus, qui sunt pars rei petitiæ, ut est text. in l. *fructus pendentes*. D. de *rei vindicat.* & tenet Angel. ubi supra, num. 2.

3 Fallit secundò, ubi petitur rei restitutio, quia non intelligitur fieri restitutio, nisi res simul cum fructibus restituatur, l. *videamus*, §. *in faviana*. D. de *usufructu*, l. *in condemnatione*, §. *cum verbum*, D. de *regul. jur.* Ita Angel. d. numero 2. qui in hac specie defendit glossam, ibi, quatenus simpliciter dixit, petita re venire etiam fructus: unde infert Angel. quòd etiam in iudicio particulari, cum agitur ratione violentiæ expulsiuæ, vel inquietatiuæ, veniunt fructus, licet expressim non petantur, quia in omnibus his iudiciis, agitur de restitutione rei ablatae, & idem dicit tenere Innoc. & Ioannes Andr. in cap. *gravis*, de *restitutione spoliatorum*.

4 Fallit tertio, nisi agatur actione universali, puta petitione hereditatis, ut per Glossam, Angel. & Albericum, in d. l. *solemus*. ubi Iacobinus col. 2. versic. in eadem glossa. Baldus in l. *cum proponat*. C. si quis al-

Cabedo Pars I.

teri vel sibi. & in l. 1. C. de *fructibus*, & *litium expens.* & in l. *properandum*, §. *sin autem alterutra*. C. de *iudiciis*, & in l. 2. C. de *petit. hereditat.* Alexand. in l. *si maritum*, §. *si fundum*, D. *solut. matrimon.* Aretin. consil. 110. consultissimè, colum. penultima vers. pari etiam ratione. Quod sublimita, ut per Bart. in d. l. *solemus*, in fine. nisi aliquid excipiatur à petitione.

Fallit quartò distinctè, ubicumque fructus post litem contestatam sunt comprehendi, sub petitione proposita, quia omne id venit in iudicium, quod sub petitione proposita potest comprehendi, & includi, text. & ibi notat Bart. post glossam 2. in d. l. *solemus*. idem tenet Glossa in d. §. *item sciendum*, l. *adiles*. D. de *adilitio edicto*.

Secunda regula. Fructus post litem contestatam veniunt regulariter, etiam non petiti, Bald. in l. 2. colum. 1. vers. *præterea*, C. de *petit. hereditat.* & in l. *properandum*, §. *sin autem alterutra*. vers. *idem in fructibus*. C. de *iudiciis*. Alexand. in d. l. *si maritum*. §. *sin*. in fine. D. *solutio matrimonii*, & cons. 92. viso. colum. final. libro 5. bonus text. in l. *ex diverso*, §. *ubi alienum*, iuncta glossa. D. de *rei vindicatione*: melior textus in §. *item sciendum*, ubi non tantum de fructibus loquitur, sed etiam de accessionibus, & deteriorationibus, textus etiam expressus in Ordin. lib. 3. tit. 50. §. 1. ad finem.

Quod intelligit Angel. in d. l. *solemus*. procedere, si modò fructus veniant, ex natura actionis propositæ: secus si non veniant, per text. quem allegat in d. l. 1. C. de *iudiciis*, ubi idem Angel.

Intelligit secundò procedere, si modò fructus petantur postea pendente iudicio, per text. quem allegat in d. §. *item sciendum*.

Intellige tertio, si saltem statim post sententiam, scilicet, eodem die petantur, non post, ut ex glossa expressa, & notabilis in d. §. *ubi alienum*. verbo, *errore*, quæ allegat text. in l. *terminato*. C. de *fructibus & litium expens.* & in l. *Paul. à 1. de rei vindicatione*, ubi etiam glossa final. & tunc petuntur officio iudicis, quia sunt percepti post litem contestatam, ut adnotavit dicta glossa. Paragrapho ubi alienum, per textum in d. §. *item sciendum*, & vide doctissimum Barbosam in rubric. D. *solutio matrimonii* 3. p. num. 61. cum sequentibus. Gamm. dec. 319. n. 3.

DECISIO LXIX.

Circa fructuum restitutionem.

S U M M Æ.

1. Fructus percepti, & qui percipi potuerunt, jubentur restitui à mala fidei possessore.
2. An persona petitoris, vel possessoris attendenda sit, in perceptione. Circa quod Bartoli, & communis ponitur resolutio. *Ibidem*.
3. Communis opinio dupliciter limitatur.
4. Interesse singulare actoris non solet considerari. Fructus non solent estimari, nisi prout communiter percipi consueverunt. *Ibidem*.
5. Possessor, qui erravit in iure, regulariter facit fructus suos. Error in iure licet impediat prescriptionem, non tamen impedit fructuum acquisitionem. *Ibidem*.

G 3

6. Quando

6. Quando ex titulo contractus, qui revocatur, numquam translatum fuit dominium, res cum fructibus restituenda est.
7. Quando lex retro habet venditionem pro infecta, resoluta venditione, veniunt fructus, etiam ante litem percepti, & consumpti.
8. Idem ubi in diem addicitur res vendita.
9. Idem ubi venditio celebratur sub ea conditione, nisi tertius meliorem conditionem attulerit.
10. Vbi titulus dominium transtulit, fuit autem revocabilis, propter malam fidem emptoris: res cum fructibus revocatur, etiam ante litem contestatam perceptis.
11. Quando alienatio rei immobilis, minoris, fuit valida, interveniente tamen lesione in pretio, revocatur, & res cum fructibus restituitur.
12. Evincens rem à mala fidei possessore cum fructibus eam evincit.
13. Si ex contractu revocabili transfertur dominium, & emptor est bona fidei, non tenetur ad fructuum restitutionem.
14. Licet regulariter, quando rescinditur contractus factus super re minoris, veniant fructus: tamen hoc fallit, si quis ignorans rem esse minoris, eam bona fide comparavit.
15. Idem procedit quando contractus Ecclesia rescinditur, si possessor ignoravit in jure, vel in facto.

**F** Ructus percepti, & qui percipi potuerunt jubentur restitui, à malæ fidei possessore, l. domum C. de rei vindicatione, & in c. gravis de restitut. spoliat.

Sed cuius persona attendi debeat, petitoris, an possessoris, dubitari solet, id est, an quos petitor percipere potuit, an verò quos possessor? Et licet Bart. variis fuerit, ut colligitur ex his, quæ scripsit in l. ex diverso §. 1. D. de rei vindicatione, & in d. l. domum, tamen distinctionem Bart. in d. l. domum, sequitur ibi Baldus, & ibi Bart. additio, quæ hanc dicit magis communem opinionem, & refert idem tenentes Imol. & Paul. post Reynerium in l. fructus, D. de rei vindicatione. Sequitur Aretin. conf. 17. consideratis. col. 8. Et distinctio Bart. est, quòd si quis vult se referre ad id, quod singulariter posset percipi, debet referri ad personam petitoris, l. si navis. in fine. D. de rei vindicatione, si autem ad id, quod communiter solitum est percipi, idem est, sive se referat ad petitorum, sive ad possessorem, quia in effectu, quod communi æstimatione consuevit percipi, est attendendum, juxta notata in l. 2. C. de rescindenda venditione, & vide l. apud Iulianum. §. fructus. D. de legat. 1. & in cap. gravis. de restitutione spoliatorum.

Quam tamen opinionem communem limitat dupliciter additio ad Bartolum. d. l. domum. eamdem opinionem sequuntur Alexand. in l. apud Iulianum, §. fructus, circa medium D. de leg. 1. Barb. conf. 80. colum. 12. ad medium lib. 3. Ruin. conf. 161. numero 19. in fin. libro 4. & veram, & communem testatur Boerius, quæst. 268. num. 3. & num. 4. & dicit eam in iudiciis servari.

Facit, quòd non solet considerari interesse singulare actoris, ut inquit Dec. in l. generaliter. num. 3. de reg. per legem, si servum. D. ad legem Aquilianam. l. pretia rerum. D. ad legem Falcidiam. nec fructus solent æstimari, nisi prout communiter percipi consueverunt, Bartolus in l. cotem ferro. §. qui maximos.

num. 9. de Publicanis. & vide Copium de fructibus. vol. 7. tractatum.

Et quamvis possessor malæ fidei non faciat fructus suos, l. certum, C. de rei vindicatione, tamen possessor, qui erravit in jure, regulariter facit fructus suos; quia licet error juris inducat præsumptam malam fidem ad impediendam præscriptionem, non tamen quoad acquisitionem fructuum, nisi aliter probetur mala fides, glossa recepta ibi à Bald. & Saliceto in lege 2. Cod. si quis ignorans rem minoris esse compar. & ideo talis error in jure, etiam aliter non probata bona fide, impedit restitutionem fructuum. Alex. d. l. 1. §. si vir uxori, colum. 4. D. de acquirend. possessione. Aretin. in lege, uxor. D. eodem.

Ubi autem contractus aliquis rescinditur, utrum res cum fructibus sit restituenda? Dic, quòd ubi titulus, qui revocatur, numquam transtulit dominium, tunc restituitur res cum fructibus, ut in donatione causa mortis, ubi donator convalescit, quia cessante illa causa, videtur numquam retro datum esse: quo pacto accipiendus est textus in l. cum quis D. de condit. causa data, causa non secuta. Ita Ioannes Copius ubi supra, lib. 3. cap. 6. & lib. 4. cap. 10.

Idem ubi lex retro habet venditionem pro infecta, nam etiam tunc resoluta venditione veniunt fructus, etiam ante litem contestatam percepti, & consumpti, ut in redhibitoria, juxta textum in l. cum autem, versic. jubent adiles, & in l. facta. D. de adilitio edicto, quo pacto intelligitur d. l. cum autem, §. penult. & l. quod si nolit. eodem titulo.

Idem erit, ubi in diem addicitur res vendita, nam & tunc ideo fructus veniunt, quia resoluta venditione, eò quòd alius meliorem attulit conditionem, lex habet rem etiam à retro pro inempta, tanquam si nulla præcessisset venditio, l. item quod l. eum qui, l. imperator. D. de in diem additione.

Idem ubi venditio fuit sub ea conditione, nisi alius tertius meliorem conditionem attulerit, quo casu pendente conditione fructus medijs temporis non emptori, sed venditori cedunt, l. necessario, §. quod si pendente. D. de pericul. & commod. rei vendit.

Ubi autem titulus, qui revocatur, dominium transtulit, quia valuit mero jure, sed ita fuit revocabilis, quia emptor fuit malæ fidei possessor, tunc res cum fructibus revocatur, etiam ante litem contestatam perceptis, puta cum creditor mala fide vendit pignus, & emptor mala fide emit, textus notabilis in l. 1. C. si vendit pignus. agatur, vel quia minori pretio, vel quia sine debita solemnitate, l. pen. & d. l. 1. C. eodem tit.

Qua ratione, ubi minor alienat rem immobilem cum decreto, licet contractus valeat mero jure, si tamen læsio intervenit in pretio revocatur, & restituitur res cum fructibus, quia minor, vel sui facilitate, vel dolo emptoris deceptus creditur, l. si quidem C. de prædiis minor. l. 2. C. eodem tit. l. 2. D. de minoribus: juncta l. quod si minor. §. restitutio. D. eodem tit. l. patris, §. si pecuniam. D. eodem tit.

Et eadem quoque ratione idem dicitur in evincente, qui si evincit rem à malæ fidei possessore, evincit cum fructibus, l. venditor. D. de evictione l. super empti. C. eodem. Qui veniunt in eo, quod interest, pro quo etiam agit evincens, l. cum successores, l. si controversia. in fine. C. de evictionibus. Ordinatur. lib. 3. tit. 30. §. 4.

13 Si autem ex tali contractu revocabili translatum fuit dominium, & emptor fuit bonæ fidei, utique non tenebitur ad fructus, puta quia ignoravit in jure, vel in facto, ut latè per Alexand. in l. 1. Paragrapho si vir uxori, colum. 4. vers. & inducit etiam, D. de acquirenda heredit. Aretin. in l. uxor. D. eodem tit.

14 Et facit, quia licet regulariter, ubi contractus factus, super re minoris, si rescinditur propter læsionem, vel solemnitatem omiffam, veniant etiam fructus, quia tunc titulus non excusat possessorem à fructibus, ut est Glossa notabilis in l. patri. Paragrapho prædium. D. de minoribus, quam commendat Roman. singular. § 28. Tu habes: & facit textus in l. minor. 25. §. prædia. Tamen hoc fallit, nisi ignorans rem esse minoris, bona fide comparaverit, text. in l. 2. ubi gloss. C. si quis ignorans rem minor. comparaverit.

15 Quo fit etiam; ut quamvis contractus Ecclesiæ, si rescindatur ratione læsionis, vel solemnitatis omiffæ, fiat etiam fructuum restitutio. Dec. consil. 282. viso. Socin. cons. 22. sequendo ordinem. colum. penult. vers. 4. Illud tamen fallit, nisi sit bonæ fidei possessor, & ignoravit in jure, aut in facto, secundum Alexand. & Aretin. ubi supra.

Pro quo facit, quod solus error in jure etiam aliter non probata mala fide, impedit restitutionem fructuum, ut supra dictum fuit, & vide Gam. decis. 94. num. 2.

DECISIO LXX.

Quando dicatur læsio enormissima.

S U M M Æ.

1. Enormissima læsio, secundum quosdam, ea dicitur, quando multum excedit dimidiam justii pretij, veluti duplum, vel triplum.
2. Tutius tamen videtur, relinqui judicis arbitrio, quæ dicatur læsio enormissima.
3. Data enormissima læsione venditio per dolum censetur celebrata, & non obstantibus quibuscumque clausulis revocari debet.

Data enormissima læsione, perpetuo agi potest; nullaque præscriptio procedit. Ibidem.

Quemadmodum venditor agere potest de enormissima læsione: ita etiam & eius heres. Ibidem.

11 **Q**uæstio dubia inter Doctores est frequenter in senatu agitata, quando dicatur læsio enormissima: nam Iason in Authent. Sacramenta puberum. num. 42. C. si adversus venditionem. Cagnol. l. 2. num. 80. C. de rescindend. venditione. dicunt eam dici, quando multum excedit dimidiam justii pretij, & solet exemplificari, quando læsio est ultra duplum, vel triplum justii pretij, hæc enim sine dubio censetur læsio enormissima. Gratus cons. 88. numer. 3. libro 3. Ant. Gabriel. libro communium opinionum. tit. de jure dotium. conclus. 1. num. 11. vel quod idem sonat, quando quis non accepit, quantum est tertia vel quarta pars justii pretij. Corn. cons. 133. num. 8. libr. 3. & cons. 27. num. 5. libr. 4. Menoch. de arbitr. libr. 2. centur. 1. casu 74. & sequenti: vel si læsio sit in duplo, vel triplo justii pretij, ut per cum-

dem Corn. consil. 124. num. 1. libro 3. v. g. si rem valentem duo millia, & ultra, vendidisti pro mill. ut exemplificat Casador. dec. unica. de emptione, & venditione. Covarr. resolutionum. lib. 2. cap. 4. num. 5. & ad hunc modum videtur explicandus Caspol. consil. 29. num. 12. dum dicit, enormissimam læsionem appellari, quando est de toto pretio, vel quasi, allegat l. omnes, §. Lucius. D. qua in fraudem creditorum facta sunt.

Ceterum Aymon cons. 192. n. 5. multis Doctores 2 bus relatis, concludit, enormissimam læsionem dici, quæ in aliqua notabili quantitate excedit dimidium justii pretij, & idem dicit Pinellus post alios in l. 2. 1. p. cap. 4. num. 16. de rescindend. venditione: unde tutius videtur relinqui judicis arbitrio, quæ dicatur læsio enormissima, Glossa, verb. immodice. l. si superstitite. C. de dolo. Menoch. ubi supra.

Adverte autem, quod data enormissima læsione 3 ne, venditio per dolum celebrata censetur: idemque de tali dolo judicatur, ac si dolus ex proposito clarè probaretur, Menoch. ubi supra, libro 1. q. 71. num. 18. & non obstantibus quibuscumque clausulis, & renuntiationibus, vel etiam partium consensu, revocari debet, Casador. d. dec. unic. de emptione, & venditione. Covarr. libro 2. resolutionum. cap. 4. num. 5. & quamvis remedium l. 2. C. de rescind. venditione. & Ordin. libro 4. tit. 30. intentari non possit apud nos, nisi intra quindecim annos, tamen probata enormissima læsione (quo casu remanet dolus probatus) perpetuo agi potest, nec enim, qui est in dolo, & sic in mala fide, ullo tempore præscribere potest, cap. ultimo de præscriptionibus. Et ita senatum censuisse testatur Gamm. dec. 266. numero 1. & prout venditor de hæc læsione enormissima per supradicta agere posset; ita etiam & eius heres, l. quemadmodum. C. de agricol. & censit. libro 11. censuit Glossa, & Bald. & alij l. cum a matre. C. de rei vendit. & multi quos refert Pinel. l. 1. 3. p. num. 83. C. de bonis maternis, versic. limitatur decimo. Et hæc addes traditis per Gammam decis. Lusitan. 198. per totam, & alij.

DECISIO LXXI.

An tabellio notularius, & judicialis simul accusatus ob falsitatem commissam in uno ex his officiis, ambobus, an uno privari debeat?

S U M M Æ

1. Tabellio notularius simul & auditorij, qui falsitatem in uno ex his officiis commisit, solum illo officio in quo falsitas commissa fuit, privari debet.
2. In eo tantum quis punitur, in quo peccavit.
3. Pœna debet commensurari delicto.
4. Pœna privationis à jure, non est imponenda nisi in casibus, ab eodem jure expressis. Propter infamiam arcetur quis à tabellionatus munere, & illud vendere cogitur. Ibidem. Epistola Regis missa ad rectorem senatus ponitur. Ibidem.

12 **Q**uæstio hæc in senatu controversa fuit: An quidam tabellio notularius, seu, das notas, & simul

1. simul auditorij, id est, *do judicial*, qui commisit falsitatem in uno ex his officiis, ob quam privandus venit, privari deberet utroque, an solum illo, in quo falsitatem commisit: & iudicatum fuit, quod solum privari debebat illo officio, in quo falsitatem commisit, in processu cuiusdam Roderici Dias de Lobam, qui tabellio erat notularius, & auditorij, & hæc duo officia habebat simul in una charta, & in illo oppido, ubi officia tabellionatus exercebat, hæc erat consuetudo, ut semper per unam solam personam, hæc duo officia exercerentur.

2. Et pro hac parte adducebatur ratio, quia in eo tantum quis punitur in quo peccavit, *cap. litteras de tempor. ord. cap. pastoralis, de jure patronat. cap. fin. de immunitate Ecclæs.*

3. Secundò, quia pœna debet commensurari delicto, *l. respiciendum, D. de pœnis. l. Sancimus. C. eodem.*

4. Tertio & principaliter, quia pœna privationis à jure nunquam imponitur, nisi in casibus ab eodem jure expressis. Glossa in *cap. ultimo de jure patronatus*, hinc autem propter falsitatem imponitur pœna privationis eius officij in quo commissa fuit: & ob id incurritur infamia, propter quam arceatur ab alio tabellionatus munere, Glossa, & Bald. in *l. 2. §. miles, D. de his qui notantur infam. Bart. in l. 2. §. excipit. D. ad l. Iuliam repetund.* Sed cum jus non privet propter infamiam, sed tantum officij exercitium interdicit, æquius visum fuit, ut altero officio privaretur, alterum verò non exerceret, sed vendere cogereetur. Ita in senatu iudicatum fuit: quod & etiam iudicatum fuit in altero processu contra Emanuelem Gomez tabellionem insulæ Gratiôsæ, cum accusatus esset ob delicta commissa, in officio tabellionis auditorij: & fuit iudicatum quod non amitteret officium tabellionis notularij, pro quo senatus decreto ego allego *Ord. lib. 2. tit. 26. §. 33. & 34.*

Libet autem hoc loco adjungere Epistolam Regis missam ad Rectorem senatus huic materiæ propriam, quæ huiusmodi est.

*Regedor amigo: Eu el Rei vos emuo muito saudar, sou informado, que os desembargadores dessa casa nas sentenças que dão nos feitos de officiais de justiça que são accusados per culpas ou erros de sous officios, mandão algũs vezes que os ditos officiais vendã os officios dentro em certo tempo, & porque isto he contra o asento que tenho tomado a cerca de se não venderem, nem renunciarẽm officios por aver as taes vendas, & renunciaçõis per causa muito prejudicial ao povo, & a meu serviço, ei per bem, que daqui em diante se não mandem pellas taes sentenças vender officio algũs, & que os officiais culpados se condemnem nas penas que merecerem conforme à suas culpas, & a os merecimentos dos autos, & c. Julho de 1512. In libro quinto senatus, folio 259.*

## DECISIO LXXII.

Quid importent verba hæc (sine strepitu, & figura judicij) in commissionibus factis per Regem ad aliquas causas.

### S U M M Æ.

1. Verba hæc (summariamente) posita solum in regia provisione includunt, quod sine strepitu, & figura judicij causa etiam decidatur, si id in

supplica petatum fuit.

Verba rescripti, ad supplicationem referri debent. Ibidem.

2. Per hæc verba (sine strepitu, & figura judicij) omnes juris positivi solemnitates censentur sublata, adeò ut nec libellus sit necessarius, sed solum quadam simplex petitio facti narrationem continens.

3. Quamvis in plenario, & ordinario iudicio sententia secundum petita, & non ultra proferri debeat, in summano tamen solum ategendum est, an secundum facti narrationem, & probationes datas, lata sit.

4. An actor, qui regium rescriptum impetravit, ad procedendum in causa summarie, pendente jam ordinario iudicio, in quo libellum obtulerat, per hoc videatur recessisse à prædicto ordine summarie agendi?

An in prolacione sententia, attendendum sit ad libelli conclusionem, an ad facti narrationem. Ibidem.

5. Etiam si in principio litis summarie procedatur (licet libellus datus sit, & conclusio facta) non ex eo partes censentur recedere à iudicio summano: nec ob id ad libellum attendi debet, nisi tamquam ad simplicem facti narrationem.

Hoc tamen fallit, nisi partes renuntient expresse ordini summarie agendi. Ibidem.

6. An qui via ordinaria egit, sibi præjudicet, in iudicio executivo, pro eodem casu sibi competente, remissivè.

**I**N causa cuiusdam Gasparis Lopez Deluas, contra Thomam Ferdinandum, super ratione reddenda de administratione gesta apud Insulam divi Thomæ, per quemdam Ferdinandum de Mena reum originarium, cui prædictus Thomas Ferdinandus successit, multa in controversiam deducta fuerunt.

Cum enim lis cœpta esset cum defuncto Ferdinando de Mena, pendente illa, prædictus Gaspar Lopez actor supplicavit Regi, ut causam iudicibus diffiniendam committeret, sine strepitu, & figura judicij, quæ causa, regio rescripto, iudicibus summarie commissa fuit, & quamvis in supplica oblata Regi petatum esset, ut prædicta causa summarie, & sine figura judicij committeretur iudicibus, & in regia provisione solum essent posita verba hæc, summariamente, tamen cum rescripti verba ad supplicationem referri debeant, Alexan. *conf. 78. vol. 1. Corneus conf. 220. vol. 2. Iason. in l. 1. num. 7. C. de divers. rescript. conclusum fuit in senatu, Regem per prædictam provisionem causam hanc iudicibus summarie, & sine strepitu figuraque judicij diffiniendam commisisse. Rot. decis. 258.*

Hæc autem verba illud important, ut per ea omnes juris positivi solemnitates censentur sublata. Alex. *conf. 6. vol. 3.* & solum secundum jus gentium decidi posse. Bart. in *Extravagan. ad reprimendum, verb. videbitur. Ias. in l. certi conditio, §. si nummos num 33. D. si certum petatur.* Unde libellus necessarius non est, Bartol. *ubi supra, verb. & figura.* Ordin. *lib. 3. tit. 36. in principio.* sed tantum requiritur petitio quædam simplex solam facti narrationem continens, sine aliqua conclusione, tradit Bart. *ubi sup. Lanfr. in Clem. sapè, ubi DD. de verborum signific. Marant. in Specul. 4. p. distinct. 9. num. 12. Stracha de merca-*

*mercatura tit. quomodo procedendum sit in causis mercatorum part. 3. num. 11.*

3 Hinc est, quod quamvis in plenario, & ordinario judicio, sententia necessario secundum petita, & non ultra profecti debeat, *l. ultim. C. de fideicommissi libertat. l. ut fundus. D. communi dividendo, l. as. in § curare. num. 18. institut. de actionibus. Menoch. de arbitrariis. libr. 1. questio. 31. num. 3.* Ordin. libro 3. titulo 49. in principio, & tit. 51. § 1. tamen in judicio summario, ubi libellus necessarius non est nec conclusio, sed simplex facti narratio, ex qua quid actor velit colligi possit, non attendi debet, an sententia secundum libelli conclusionem, sed an secundum facti narrationem, & probationes data, lata sit.

4 Illud dubium tractatum etiam fuit, eò quod in præsentī casu libellus datus fuit per actorem, qui regium rescriptum impetraverat, ad procedendum in causa summarie, unde per hoc videbatur recessisse à prædicto ordine summarie agendi, & ita ad libellum, & illius conclusionem attendendum erat, quod factum non fuisse arguebatur, ex parte adversa, immo judicatum fuisse ultra petita: & sic sententiam nullam esse.

Ad hoc dubium responsum fuit, quod libellus fuerat datus ante impetrationem rescripti. Cum enim lis jam ordinario judicio penderet, libello dato, rescriptum impetratum fuit, ut præmissimus. Cum ergo ante rescripti impetrationem, partes ordinario judicio agerent, nimirum si libellus offerendus erat, & conclusio faciendā. *Authentic offeratur. C. de litis contestatione. l. 1. D. edendo. cap. 1. de libelli oblat.* Postquam verò reus originarius mortuus fuit, tum demum rescriptum impetratum fuit per actorem, & facta narratio totius facti, secundum quam sententia prolata fuit, ut debuerat fieri in judicio summario.

5 Secundò respondebatur, quod etsi in principio litis, tam in hac, quam in quacumque alia causa summarie procederetur, & tamen libellus datus fuisset, & conclusio facta, non ex eo partes censendæ sunt recessisse à judicio summario; nec ob id ad libellum attendi debet, nisi tamquam ad simplicem facti narrationem, ut latè defendit Marant. *ubi sup. 4. p. distinct. 9. num. 87 & ibi n. 45.* respondet dicto Bald. in *l. diffamari. C. de ingen. & manumif. & facit gloss. ultima, ubi notat Alexand. in l. vinum. D. si certum petatur; quod tamen fallit, nisi partes expressè renuntient ordini summarie agendi. Marant. ubi supra.*

6 Quòd si via ordinaria, in aliquo casu prius actum sit, præjudicet viæ executivæ pro eodem casu competenti. Vide late Gutier. *practicarum, libro 3. q. 39. per totam, & de materia huius decisionis latè Octavianum decis. 1. Pedemontana.* quod notandum est: sæpè enim is casus accidere potest.

DECISIO LXXIII.

Decuriones utrùm possint aliquem incarcerare, vel pœna carceris condemnare?

S U M M Æ.

1. Decuriones, jure nostro habent limitatam jurisdic-

tionem, ut tantum de victualibus statuam, & quæ publicam alimoniam respiciant, seu administrationem rerum ad ipsam Rempubicam pertinentium.

In exequendis prædictis, non possunt inobedientes compellere, nisi per judicem, quem adire tenentur, vel præsidem, aut senatum. *Ibidem.*

2. Decuriones nullam habent jurisdictionem ad judicandum, nisi simul cum iudice, & absque eo non possunt jubere, ut quisque capiatur.

3. Magistratus municipales, quibus equiparantur nostri decuriones, de jure communi, nec merum, nec mixtum habent imperium.

4. Decuriones solum habent potestatem statuendi, sed non exequendi, nisi per judicem, aut præsidem.

Circa administrationem tamen habent aliquam coercionem, sed modicam. *Ibidem.* Si quis à decurionibus capiatur, statim ad judicem remitti debet. *Ibidem.*

5. Decretum senatus, in quodam instrumento gravaminis civitatis Pacis Julia.

6. Refertur decretum antiquum senatus.

Q Uæstio hæc sæpè in senatu controvertitur, & in ea dicendum videtur, quòd decuriones non possint aliquem incarcerare.

Quod ostenditur primò, quia ipsi, jure nostro, limitatam habent jurisdictionem, ut tantum de victualibus statuam, & quæ publicam respiciant alimoniam, aut administrationem rerum ad ipsam Rempubicam pertinentium, *Ord. lib. 1. tit. 46. §. 8. ibi, pro commun. & §. 24. juncto §. 13. 14. & 26. 27. 28. cum aliis similibus.* Ceterum in his exequendis, non possunt inobedientes compellere, nisi per judicem, quem adire tenentur, vel præsidem provinciæ, aut senatum, judicem negligentes, ut est *Ord. expressa, d. tit. 46. §. 22. & 24.* ergo aliquem incarcerare non possunt.

Secundò, quia nullam habent jurisdictionem ad judicandum, nisi simul cum iudice, ut *d. titulo 46. §. 16. & eod. lib. tit. 44. §. 45. & sequenti.* unde absque iudice nequeunt jubere, ut quisque capiatur.

Tertiò, quia etiam de jure communi, magistratus municipales, ut sunt defensores civitatum, quibus equiparantur nostri decuriones, nec merum, nec mixtum habent imperium, glossa, *1. l. ea qua. D. ad municipal.* unde neminem incarcerare possunt, nisi ut carceratum statim remittant ad judicem majorem. *Bart. in l. magistratibus. num. 3. D. de jurisdictione omnium judicum.*

Nec dici potest, eos habere qualem qualem jurisdictionem, ad statuendum, judicandum & administrandum, & idèd censi illis concessam, saltem modicam coercionem, sine qua illa jurisdictione nequit expediri, *l. fin. D. de officio eius, l. 2. D. de jurisdictione omnium judicum:* notatur in *d. l. magistratibus.* Quia respondetur, quòd habent potestatem statuendi, sed non exequendi statuta nisi per judicem, aut præsidem provinciæ, ut in *dict. Paragrapho 22. & 24.* Item non habent jurisdictionem ad judicandum, nisi cum iudice, & idèd iudex eiusmodi sententias exequitur, *Ordin. lib. 1. d. titulo 44. Paragrapho 45. sequenti, & d. tit. 46. Paragrapho 16.* Postremò circa administrationem aliquam

aliquam habent coercionem, ut d. titul. 46. Paragrapho 27. ibi, *constranger*. Sed illa modica quidem esse debet, puta per multam pecuniariam, aut pignorum apprehensionem. Nam incarceration, vel ad iudicem à principio pertinet, vel si à decurionibus quis capiatur, statim ad iudicem remitti debet.

5. Ita iudicatum fuit, in quodam instrumento gravaminis civitatis Pacis Iuliae, anno 1577. mense Martij, scriba Antonio de Azevedo. Inveni tamen in decretis antiquis unum, quod tale est.

6. Foi determinado que os iuizes, & vereadores en Camara, não podem condemnar nas injurias verbais, que hũa pessoa este na cadeia alguns dias em pena, somente na pena pecuniaria, & foi revogada hũa sentença nos dias da cadeia, & confirmada se na pena pecuniaria, da cidade do Porto no anno de 1527. no mez de Agosto em Santarem escriptão Pedro da Lagem.

Quod notandum est ad Ordin. libro 1. tit. 44. §. 48. circa quam vide tamen decretum in lib. sphaera cap. 42.

### DECISIO LXXIV.

Decuriones, utrùm possint statuto limitare, & taxare numerum cauponarum, & stabulariorum.

#### S U M M Æ.

1. Respublica benè, ac sapienter instituta, non debet repleri artificibus mechanicis, sed tantùm ad usum necessarius.

2. Artifices in duplici sunt differentia, alij, qui tantùm operas suas locant, alij verò, qui non solum operas vendunt, sed aliqua emunt, ex quibus opera conficiunt, quæ venundant.

Prioribus abundare reipublica interest: posterioribus verò nocet. Ibidem.

3. Decuriones possunt taxare numerum cauponarum, & stabulariorum: & ad decurionum officium spectat pretia justa rebus imponere.

4. Ad decuriones pertinet in civitate, statuere, de his omnibus, quæ cives & incolas dirigant, ad benè beateque vivendum, præsertim circa victualia, & opera mechanica.

5. Extravagans l. 1. per totam. tit. 9. prohibet, ne quis emat frumentum, aut oleum ad revendendum.

Illa interpretatio amplectenda est, per quam magis reducimur ad jus commune. Ibidem.

Utilitas reipublica, civium, & incolarum præferenda est utilitati privatae. Ibidem.

6. Utilitas propria debet præferri aliena.

Si statuto, aut jure servitutis, alicui liceat de fundo alieno lapides tollere, id ita demum licebit, si dominus feudi, prius sibi necessarios tollat. Ibid.

Illud quod dicitur, de servitute, ne mihi liceat meo uti frui; valet, quatenus inducit, ne vicino prædio noceam: non autem valet, si tantùm inducat, ut major utilitas illi accedat. Ibidem.

1. Præsupponendum est, ad rempublicam benè ac sapienter institutam pertinere, ne artificibus mechanicis, & aliis eiusdem farinae ministris repleatur, qui superabundent, ac superfluant, sed tan-

tùm necessariis utatur: sic enim prudentem patrem familias decet necessariis uti famulis tantùm domi suæ: sic arcem tantùm militibus ducem custodire necessariis: sic magistrum navis, illam nautis, quibus dumtaxat sit opus gubernare, non verò supervacaneis onerare: etenim necessaria, utilia sunt & commoda; superflua autem, & invicem impediunt, & obruunt. Nec immeritò quod nimium est, vitio semper dari consuevit, ita ut in proverbio sit illud: *Ne quid nimis*.

Præsupponendum & secundò est, in republica duplicis generis artifices esse, alios qui nihil emunt, ut vendant, sed tantùm locant operas suas, ut fabri lignarij, lapidarij, sartores, pannorum tonlores, & alij similes: alij qui non solum operas vendunt, sed aliqua emunt, ex quibus opera conficiunt, quæ venundant. Priorem quidem, parvi refert, si amplissimus sit numerus, imò illis abundare reipublicæ interest, qui utilitatem maximam, nullum verò incommodum possunt illi afferre: posteriores autem si superabundent, & plures sint, quam reipublicæ sit opus, non illi tantùm inutiles, sed nocituros esse existimo. Nam experientia ipsa compertum est, hos homines contentione, & æmulatione inter se certare, super mercibus emendis, & idèd illas carius multò emere, quàm par sit, ne audaciori licitatori cedant, aliquando etiam oblati elatioribus pretiis licitationem anticipare. Adde quòd ubi plures emptores præsertim contentiosi reperiuntur, ibi venditores pretia extollunt, & multò carius vendunt, tum ob rei necessitatem, & penuriam: tum ob emptorum aviditatem. Porrò illud indubitatum est, & naturæ consentaneum, ut qui magno emit, carius & vendat, & ad minimum illo, quo emit pretio, ut quod dedit saltem recuperet. Unde consequens est, si plures hujusmodi emptores sint, carissimè comparaturos, ita autem comparantes carissimè vendituros: atque ita futurum, ut ex summa caritate, rerum penuria, & egestas sequatur. Nec me movet, quod ex adverso dici potest, si plures sint qui vendant, vilius vendituros, tum, quia vix est, ut qui carius emit, viliori pretio vendat, quod emerit: tum quia si ita futurum est, ut minori pretio sint vendituri, quàm comparaverint, planè ne tantum sibi invicem damnum inferant reipublicæ quoque interest, vitare, ac prohibere. Et ne illis, vel ea damni, ac detrimenti detur occasio, utique ad moderatum & congruentem, ac necessarium dumtaxat numerum reducendi videntur. Sic fiet, ut respublica, & necessariis ministris, & justis pretiis rerum potiatur, civiumque & artificum simul damna evitet.

Ex supradictis in præsentis specie dicendum videtur, posse decuriones taxare numerum cauponarum ac stabulariorum: quia ad decuriones spectat pretia justa in republica taxare, ut per Bart. & alios in l. 1. §. cura carnis. D. de officio præfetti urbi. Ang. §. pen. instit. de public. judic.

Accedit ulterius, quòd ad decuriones pertinet, in civitate statuere de his omnibus, quæ cives & incolas dirigant, ad benè beateque vivendum, Ord. lib. 1. t. 46. §. 24. præsertim circa victualia, & opera mechanica, d. tit. 46. §. 13. & constituere, & taxare possunt numerum aliquorum ministrorum reipublicæ, qui panem, & pisces, & carnes urbi sufficiant.

d. titul. 46.

d. titul. 46. §. 27. ergo pari ratione poterunt etiam taxare stabularios in municipio, qui viatoribus vi-ctualia vendant.

Præterea, per Extravag. l. 1. per totam. tit. 9. p. 4. prohibitum est, ne quis emat frumentum, oleum, ut vinum ad revendendum: unde dispositio, quæ nimis lædit legem illam, favore digna est. At talis est ista stabulariorum taxatio, ergo illa displicere non debet; facit, quia per illam nimis læditur jus commune, & amplectenda est interpretatio, per quam magis reducitur ad jus commune, cap. ab exordio. 30. distinct. glossa, verb. numerandum, cap. statutum. de elect. lib. 6.

6 Et licet sit publica viatorum utilitas, plura habere hospitia, publica etiam utilitas est, civibus res equis pretiis venditari, non carioribus: quæ utilitas cum civium ipsorum sit, & incolarum, præferenda est: prius enim incolis, quam alienigenis favendum est, ut charitate benè ordinata utamur, l. præses. D. de servitutibus, & aqua. Nam respublica agit de damno vitando: stabularij de lucro viatoribus, & sibi captando: & ideò civitati magis est subveniendum, arg. l. non debet. §. in re obscura. l. in eo. D. de reg. jur. Cùm utilitas reipublicæ, ut publica, & major præferenda sit privatæ utilitati, arg. cap. bona. 10. ubi Glossa ver. eo enim. de post. Prælat. ubi Abb. & Imol. Dec. in cap. 3. de præbend. & conf. 244. col. 3. facit etiam, quia utilitas propria debet præferri alienæ, secundum Alciat. lib. de verborum significatione, col. pen. pag. 35. ubi multa in hanc rem congerit, post Ioan. Andr. in cap. dilecti. de arbitris. & Stephan. de interpretatione juris 2. p. principal. n. 25. ubi concludunt, quòd si statuto, aut jure servitutis, alicui liceat de meo fundo lapides tollere, & id ita demum licebit, si prius ego in meum usum necessarios tollam. Ita decuriones alienis viatorum necessitatibus, sic demum subvenire tenentur, ut prius suis consulant ac prospiciant. Denique facit illud, quod dicitur de servitute, ne mihi liceat meo uti frui, quod valet, quatenus inducit, ne tuo vicino prædio noceam, non autem valeat, si tantum inducit, ut major utilitas illi accedat, l. quoties. D. de servitutibus. l. sicuti. §. Aristot. ver. Alphenum. D. de servitutibus, & l. 1. §. de eo opere. D. de aqua arcenda. Nam ita in præsentibus sufficit decurionibus, statuto providere, ne viatoribus necessaria hospitia deficient, non etiam tenentur, ut superflua superabundanter illis parata exhibeant.

Die 14. Martij, anno 1580. in instrumento stabulariorum oppidi de Thomar, scriba Ferdinando Maciel, in quo tamen judicatum fuit, in favorem stabulariorum, contra decuriones, ut quia visum fuit, non esse numerum stabulariorum excessivum, ad viatores hospitio recipiendos.

## DECISIO LXXV.

De gratiis, seu remissionibus delictorum.

### S U M M Æ.

1. Princeps an possit de jure, gratias, & remissiones delictorum facere, expediatque id bono publico.
2. Princeps supremus potest penas delictorum, delinquentibus remittere & indulgere.
3. Quod tamen moderatè fieri debet, ne inde crimi-

nosis præbeatur occasio delinquendi.

4. Debet etiam fieri prædicta gratia in delictis non multum atrocibus.
5. In gratiis, & remissionibus delictorum, partis venia, & remissio prius offerri debet.
6. Quamvis de stylo apud nos servetur, quòd fiat commutatio pœnæ, & exilij remissio, sine partis venia & remissione: Id tamen in delictis gravioribus numquam absque partis venia fieri debet: sed in levioribus tantum, interveniente etiam magna causa.

**A**N Princeps possit de jure, remissiones, & gratias delictorum facere, expediatque id bono publico, dubia quæstio est.

Et Bald. in tit. de pace constantia. verb. dispensat. ponit unum inconveniens maximum, quod causatur ex hujusmodi gratiis & remissionibus: præstant enim causam delinquendi, ut est text. in Extravag. qui sint rebelles, in principio. facit & text. in c. pauper. 11. q. 3. ibi, nullam reus pertimescit culpam quam redimere nummis existimat, & optimus text. in l. si operis. C. de pan. ibi (cùm non remitti pœnam facillè reipublica intersit, ne ad maleficia temerè quisq. prostliat) ignoscendo namque malis boni perduntur. cap. est injusta. 23. q. 4. & inquit Paul. de Castr. in l. nemo deinceps C. de Episcopali audient. num. 4. quòd nulla pinguior victima potest mactari, quam homo criminofus: & justitiam facere de criminofis bonum est, cùm publicè intersit crimina puniri. l. ita vulneratus D. ad l. aquil. ut pœna unius metus sit multorum, & ne per impunitatem audaces fiant, & iniqui iniquiores, cap. ut fama de sententia excommunic. tradunt multa Specul. tit. de advocat. 1. p. §. de cautelis, & officio advocat. n. 10. Guilhelm. in c. Rainutius. verb. mortuo itaque testatore 10. n. 101. & sequentibus.

Nihilominus tamen supremum Principem pœnas delictorum delinquentibus remittere, & indulgere posse, communior opinio est, ex glossa in l. 2. verb. concedi. C. de in jus vocando. Paris. conf. 1. numer. 1 lib. 4. Julius Clar. in pract. q. 59. n. 1. & apud nos id lege sancitum est per Ord. lib. 1. tit. 3. & Extravag. p. 1. tit. 4. quæ consuetudo in aliis etiam regnis observatur, ut per Covar. variarum lib. 1. cap. 20. num. 8. Ludovicum de Peguera in quæstionibus criminalibus, q. 18. Octav. decis. 101.

Quod tamen moderatè fieri debet, ne inde, ut 3 superius dictum est, detur criminofis occasio delinquendi.

Debet etiam fieri prædicta gratia per Principem, in delictis non multum atrocibus, cùm enim delicta atrociora remittuntur, nec puniuntur, publicum gaudium, & lætitia turbatur, ut per Guilhelm. ubi supra, facit text. in l. observandum D. de panis: in delictis namque gravioribus, potius severitas, & rigor adesse expedit, quam benignitas, & clementia. Paris de syndicatu, verb. Crudelitas, num. 4. Tiraq. in l. si unquam, verb. donationem largitus. num. 38.

Debet etiam in gratiis, & remissionibus delictorum, prius offerri partis venia, & remissio, ex d. Ord. lib. 1. tit. 3. §. 3. extravagan. ubi supra, in principio, ibi, Mostrando as pessoas que pedirem os ditos perdões, perdão das partes se as sevetem, Julius Clar. ubi supra, num. 10.

Vidi

6 Vidi tamen de facto dubitatum, an sine partis venia, & remissione, possit commutatio poenae fieri, seu remissio exilij, postquam impleverint tertiam, aut minorem partem temporis: & quamvis de stylo apud nos observetur, quod fiat praedicta commutatio, remissio exilij, & id ita disponat Extravag. ubi supra, §. 73. tamen in delictis gravioribus nunquam absque partis venia, & remissione consulerem, ut fieret, sed solum in delictis levioribus, & cum magna causa; & sic intelligerem praedictam Extravagantem §. 37. & styllum regni, non aliter: de quo videndus est omnino Iul. Clar. d. q. 59. n. 10.

### DECISIO LXXVI.

Circa tempus, quo concedi debent chartae tuitivae.

#### S U M M A E.

1. Charta tuitiva, de jure nostri regni conceduntur, ut profint intra annum appellationis.
2. Charta tuitiva, etiam post annum appellationis, & in omni tempore concedi possunt.
3. Charta tuitiva conceduntur ratione voluntaria jurisdictionis, & ex mera gratia Principis. Regum proprium est occurrere violentiis, & excessibus vassallorum. Ibidem.
4. Intelligitur Ordin. lib. 2. tit. 1. §. 3.
5. Annus non currit impedito, quando annus utilis est. Impedito agere, non currit tempus. Ibidem.
6. Quando causa advocata est ad consistorium Principis tempus non currit litigantibus.
7. Contrarium tamen judicatum fuit per senatores palatij, quia hic non probabatur legitime impedimentum, & alijs ex causis.

1 **D**E stylo nostri regni conceduntur tuitivae, ut profint intra annum appellationis. Dubitatum fuit, an post annum concedi possint? & an impedito currat annus: & possit ad illum restitui per Regem.

2 Et videbatur, quod possint concedi post annum, quia nulla est Ordinatio, quae id prohibeat; ergo concedi possunt.

Uterius Ordin. libr. 1. tit. 3. §. 24. tempus non limitavit ad concedendas has tuitivas per Principem, nec itidem Ordin. lib. 3. tit. 83. §. 1. nec alia lib. 5. tit. 47. nec Extravag. l. 3. fol. 20. & concordata cap. 26. nec in practica hoc admissum fuit, ut intra annum, & diem deberent peti: ergo omni tempore concedi possunt, ex regula text. in l. sufficit. D. de condict. indebiti.

3 Nam hae tuitivae conceduntur, ratione voluntariae jurisdictionis, & ex mera gratia Principis, ut colligitur ex Ordin. lib. 3. tit. 83. §. 2. & quod pendet à gratia Principis non coarctatur meta aliqua temporis, nam hoc casu, tamquam Rex procedit, & dominus, & non tamquam iudex, & non aliena potestate, sed jure proprio: quia Regum proprium est occurrere violentiis, & excessibus vassallorum, cap. Regum 23. q. 5. concordata, cap. 26. Ordin. lib. 2. tit. 2. & ob id non habet limitatam potestatem, principaliter in gravamine, quod tractum habet successivum, & continuo laedit partem, quamdiu illum habet

spoliatum, & vi oppressum, arg. eorum, quae notantur ad cap. super eo. O. 2. & ad cap. ex parte. O. 1. ubi Dec. de appellationibus.

Nec obstat Ordin. lib. 2. tit. 1. §. 3. quae iudici laico tribuit potestatem cognoscendi inter laicos, & clericos, de spolio intra annum, & diem; quia loquitur solum in iudicibus inferioribus à Principe, & per viam jurisdictionis contentiosae, & in prima instantia, Et sic fuit concordatum inter clericum, & saeculares, qui non voluerunt ultra illud tempus jurisdictionem dare laicis. Cum igitur habeant jurisdictionem conventionalem, non possunt recedere à forma contractus.

Et praedicta Ordin. non loquitur in spolio facto, pendente appellatione, quia est diversum, & in hoc potest Princeps tamquam Rex succurrere spoliatis, Navarr. cap. cum contingat. pag. 147. de rescriptis 1. remedio. colum. 2. Covar. pract. cap. 35. n. 5.

Et annus non currit impedito, quando annus utilis est, l. 1. §. annus D. de vi, & vi armat. Menoch. remed. 1. recuperand. n. fin. & sic non poterat currere annus, nisi à die, quo supplicans poterat petere chartam tuitivam, & non haberet impedimentum ex parte officialium, per quorum manus talis charta expeditur; & impedito agere non currit tempus, l. 1. C. de annal. except. cap. quia diversitatem, de concessione praebeati Ordin. lib. 3. tit. 41. §. 7.

Et quando causa est advocata ad tribunal Principis, non currit tempus litigantibus, l. fin. §. si in nostro, C. de temp. appell. Ordin. in 3. r. 77. §. 12.

Contrarium tamen judicaverunt senatores palatij, ex eo, quia in primis non probabatur legitimum impedimentum, nec allegabatur in forma, & quod annus continuus videbatur, ex Ordin. lib. 3. tit. 47. ibi, antes que o tempo della seta acabado.

Tum etiam, quia annus ille erat praefixus à jure canonico, primum nempe fatale ad prosequendam appellationem; & Rex non potest super illo dispensare: sed id fieri debet coram iudicibus Ecclesiasticis, & quia intra illud tenebatur appellans prosequi appellationem, cap. personas. cap. cum sit Romana de appellat. Navarr. in cap. cum contingat, 1. remedio. fol. 155. quast. 1. Dec. in d. cap. ex ratione num. 6. de appellationibus. Angel. in l. 2. num. fin. De de re judicat. Et vide de iis tuitivis Afflict. decis. 2. num. 3. Covar. pract. cap. 34. num. 4. Valasc. consult. 79. quem lege.

### DECISIO LXXVII.

An iudex, coram quo testis falsum deponit, possit illum punire de falso?

#### S U M M A E.

1. Auditor basilica mercium, an possit suscipere querelam, & punire testem, coram eo falsum deponentem. Testis qui falsum testimonium profert, efficitur de foro iudicis, coram quo falsum testimonium dixit. Ibidem.
2. Iudex ordinarius potest punire testem poena extraordinaria, si respectu poenae non sit iudex competens.
3. Iudex ordinarius incompetens potest punire testem falsum deponentem coram eo, poena extraordinaria:

ria:



ria : si autem competens sit , poterit procedere contra testem ad pœnam ordinariam

4. Iudex delegatus a Principe potest punire testem , coram eo falsum jurantem , pœna tantum extraordinaria.

Iudex delegatus ab inferiori non potest punire testem , etiamsi coram eo falsum deponat : poterit tamen eum remittere ad iudicem competentem , ut puniatur. Ibidem.

5. Auditor basilicæ mercium iudex ordinarius est , & potest subscribere querelam , & punire testem coram eo falsum jurantem , pœna ordinaria.

Quod intelligendum est , quando testis juravit coram illo , eo casu , quo ipse competens est. Ibid.

6. Auditor basilicæ potest punire crimen perjurij pœna extraordinaria , etiamsi commissum sit extra basilicam , & in casibus , qui non sunt sua jurisdictionis criminalis.

7. Si aliquis querelaverit coram auditore basilicæ mercium de aliquo , quia falsum juravit coram alio iudice , auditor nullam coercionem habet in talem testem.

8. Quid decretum sit in casu hujus decisionis.

9. Quid dicendum , si clericus coram iudice laico falsum testimonium dicat , rem sive.

**C**ontigit in facto , coram auditore basilicæ mercium , hujus civitatis Olyssipponensis N. querelasse de T. quod falsum deponeret coram illo , in testimonio ferendo : auditor basilicæ querelam suscepit juratam : conquesta fuit altera pars ad senatum dicens , quod ipse auditor , qui limitatus iudex est , & limitatam jurisdictionem habet , per Extravag. 1. part. tit. 52. l. 1. non poterat prædictam querelam suscipere. Ex quo facto , quæstio hæc ventilata fuit.

Et videtur , quod possit prædictus auditor querelam suscipere , & testem de falso punire , ex text. in l. nullum. C. de testibus. ibi ( quicumque aures eius offenderit. ) constitutum enim fuit ab Imperatore in eo text. ut propter offensam factam iudicibus , ipsi possint punire testes falsum testimonium proferentes coram eis , & ibi notat Glossa , & DD. efficitur namque testis falsum testimonium ferendo de foro iudicis , coram quo falsum testimonium dixit , ut notabiliter tradit Felin. post alios in cap. prætere. num. 2. & 3. de officio delegati.

2. Distinguendum tamen est in hac quæstione : aut enim est iudex ordinarius , is qui testem punire vult : & potest eum punire pœna extraordinaria , licet respectu pœnæ non sit iudex competens , & hoc propter rationem præscriptam in d. l. nullum. & ibi Bart. num. 8. & est communis opinio ex Bossio , in pract. crim. tit. de oppositio. contra testes num. 103. refert , & sequitur Iul. Clar. sententiarum , lib. 5. §. fin. q. 38. num. 14.

3. Sed advertendum est , quod licet iudex incompetens possit punire extraordinaria pœna testem falsum deponentem coram eo , ratione , de qua supra : tamen si iudex competens sit , procedere poterit contra testem de falso ad pœnam ordinariam , ex Bossio , ubi supra , n. 104. & hæc est communis sententia ex Iulio Clar. ubi supra , num. 13.

4. Aut verò est iudex delegatus , & tunc est etiam distinguendum. Nam iudex delegatus à Principe

Cabedo Pars 1.

potest punire testem coram eo falsum testimonium proferentem , sed pœna tamen extraordinaria. Aut est delegatus ab inferiori à Principe , & nullo modo potest testem punire ; benè tamen , ni fallor , poterit eum remittere ad iudicem competentem , ut puniatur , & hæc distinctio est frequentiori calculo Doctorum recepta. ex Covarr. practicar. q. 18. n. 8. dicit esse communem Sappia ad l. fin. n. 8. D. de officio eius sed videndus est Ial. ex n. ad l. §. qui mandata. D. illo tit. ubi disputat in utramque partem , & in fine dicit esse dubium circa concordantiam Bart. in his , quæ dicit in d. l. nullum cum illis , quæ etiam asserit in Auth. de testibus , §. si vero. ubi videtur sibi contrarius , quem tamen facillè concordabis , si ad dictas distinctiones , de quibus supra , attendis.

Ad casum igitur propositum dicendum est , quod auditor basilicæ potest punire testem falsum testimonium dicentem coram illo pœna ordinaria , & querelam , seu denuntiationem admittere. Cum enim auditor basilicæ iudex ordinarius hoc casu sit , & omnino competens , per Extravag. 1. parte , tit. 12. l. 1. §. 13. benè sequitur , quod si aliquis testis coram illo falsum juraverit , & accusatus fuerit , possit auditor querelam admittere , & testem ex officio , pœna ordinaria punire : est enim maximum crimen , falsum jurare coram iudice , ut est in commento.

Quod quidem intelligendum est , quando testis juravit falsum coram illo , eo casu , quo ipse competens est per illam Extravag. ibi , quæ querelam maleficos committidos d. u. portu adentro da alfandega , & ibi , terra obrigação de devassar.

Quod si testis non commiserit delictum perjurij coram ipso in his casibus , sed in aliis , qui non sunt hujus jurisdictionis criminalis , extra basilicam , poterit auditor testem punire , pœna tamen extraordinaria , quoniam licet auditor iudex ordinarius sit , tamen non est omnino competens , propter suam limitatam jurisdictionem , ut in d. §. 13. facit text. in argumentum in l. in agris. D. de acquirendo rerum dominio.

Ex quibus consequitur , quod si aliquis querelaverit de aliquo , coram auditore basilicæ mercium , quia falsum juravit coram alio iudice , nullam coercionem habebit auditor in talem testem , siquidem nec competens est ratione offensæ factæ , ipsi auditori jurando falsum coram eo , nec de eius foro efficitur , neque ipse auditor ordinarius est in causis criminalibus , & ita succedit regul. text. in §. latrunculator. l. solemus , cum ibi notatus. D. de iudiciis : imò querelam remittere debet ad iudices competentes quoniam jurisdictionis eius est limitata , & restricta ad formam , d. §. 13.

Et quia casus hujus decisionis , erat is ultimus , pronuntiatum fuit in senatu , quod auditor non erat iudex competens , nec poterat querelam suscipere , sed eam remittere debebat ad iudicem competentem.

De clerico autem falsum testimonium dicente coram iudice laico , vide Clarum , q. 88. Gutier practicarum , q. 24. per totam , ubi lasè.

## DECISIO LXXVIII.

An commisso delicto, cujus actor nescitur, iudex possit inquirere, etiam nulla præcedente infamia?

## SUMMÆ.

1. Inquisitiones, non solum permittuntur, sed etiam præcipiuntur a iudicibus fieri.
2. Quod etiam, de iure canonico, fieri permittitur. Inquisitio contra aliquem fieri non debet, nisi infamia præcesserit: quod si contra personas incertas fiat inquisitio generalis, non requiritur quod infamia præcedat. Ibidem. Episcopus in sua diœcesi potest inquirere, qualiter vivant populi, nulla præcedente infamia. Ibidem. Archiepiscopi possunt visitare suam provinciam, & inquirere de criminibus, etiam si non appareat de negligentia suffraganeorum. Ibidem.
3. Quod etiam procedit, quando delictum est notorium, & nescitur quis illud commisit.

**I**nterrogatus fui de hoc dubio à quodam viro religioso, & docto. Et dixi, quod de iure nostri regni, hæc inquisitiones non solum permittuntur, sed præcipiuntur à iudicibus fieri: patet ex Ordin. libro 1. tit. 44. §. 1. & multis alijs.

2. De iure etiam canonico permittuntur. Nam quamvis verum sit, quod contra aliquem non sit inquirendum, nisi ubi contra illum infamia præcesserit, vel clamosa insinuatio, juxta text. in c. cum oporteat, & in c. qualiter, & quando. O 2. & in cap. inquisitionis §. 1. de accusationibus, & in c. 1. eodem tit. l. 6. cum similibus: tamen hoc procedit primo, ubicumque inquisitio fit contra certam personam; quia si fiat inquisitio generalis contra incertas personas, non requiritur, quod præcedat infamia: qualis est illa inquisitio, quæ fit ad investigandos facinorosos homines, juxta text. in l. congruit. D. de offic. præsid. & in c. 1. de offic. ord. secundum Innoc. in c. 1. de postul. prelat. Panor. in d. c. 1. de offic. ord. col. 2. ad fin. & in cap. ad nostram. O 2. de iurejurand. Hipp. in §. constante. n. 20. in pract. crim. tenet Ang. & Salic. relati à Duenh. reg. 298. lim. 2. Iul. Clar. in pract. §. fin. q. 6. Hinc est, quod nulla præcedente infamia Episcopus inquirat in diœcesi qualiter vivant populi, cap. relata. cap. placuit. 10. q. 1. c. Episcopus in synodo 35. quæst. 6. tenet Panorm. in d. c. 1. n. 6. Florian. late in suo tract. de visitatione novè edito.

Hinc etiam est, quod Archiepiscopi poterunt visitare provinciam (quod faciunt nunc secundum sanctionem Sacrosancti Concilij Tridentini, sess. 24. cap. 3.) & inquirere de criminalibus, etiam si non appareat de negligentia suffraganeorum, probat text. cap. sicut olim. de accus. ubi Panorm. not. 3. n. 4. sequitur Duenh. ubi supra, lim. 17.

3. Item & secundò istud dictum procedit, nisi delictum sit notorium, & nesciatur quis illud commisit, nam & tunc superior facit inquisitionem generalem, nulla præcedente infamia. Ita tenet Inn. in c. bona. O 1. n. 7. de electione. Bart. l. fin. D. de quæst. sequitur Panor. d. c. 1. n. 6. Duenh. ubi supra. qui duas Castellæ leges allegat, & ita in illo regno servari,

quod & in nostro regno pari modo servatur. Et vide Iul. Clar. ubi supra. q. 6. & q. 50.

## DECISIO LXXIX.

An in casu decisionis proximæ, testis qui putat se solum de illo crimine scire, teneatur vocatus illud testificari?

## SUMMÆ.

1. Testis non tenetur, nec debet revelare delictum secretum, de quo solus scit, iudici generaliter, nec etiam specialiter super eo crimine inquirenti, nisi ex tali revelatione sequatur obviatio futurorum malorum, vel nisi crimen sit jam media probatione detectum, vel quasi ad dimidium ex sufficienti fama.

Quod idem procedit, licet accusator ob defectum probationis pœnam aliquam incurrat, & etiam si aliqua præcedant indicia, aut infamia, dum modo tamen hæc non sint coram iudice probata, & casu quo sint, nisi id ipsi testi constet. Ibidem.

2. Rejicitur prædicta opinio, & contraria verior videtur.

3. Testis tenetur deponere de eo quod scit, etiam si promiserit, & juraverit se id non detecturum.

4. Testis potest compelli ad testificandum in causis criminalibus, quando aliter delictum sciri non potest: maximè si id fiat sine gravi suo præjudicio.

5. Iudici justè procedenti obedire tenemur.

6. Prior opinio procedit, ubi iudex injustè procedit, vel saltem quando testis nescit, an justè procedat.

Licet regulariter in dubio superiorum mandatis obedire debeamus: hoc tamen fallit, ubi ex tali obedientia, sequitur grave aliquod præjudicium reipublicæ, proximo, aut ipsi subdito obedienti. Ibidem.

7. Opinio Caiet. Sor. & aliorum declaratur.

8. Intelligitur Ord. lib. 3. tit. 42. §. ult. remissivè.

**D**E hac quæstione interrogatus etiam fui ab eodem religioso viro, quæ superiori proxima est: & primò videbatur dicendum, testem de tali crimine, quod alij nulli, quàm sibi cognitum putat, non teneri testimonium reddere: quod suaderi videtur ex sequentibus. Primò, quia secreta delicta, quæ sibi quoquo modo nota sunt, testis revelare non tenetur, nec debet, iudici generaliter inquirenti, cap. qualiter. O 1. de accusat. Innocent. in cap. 1. de testib. cogend. imò nec iudici specialiter super eo crimine secreto inquirenti, ubi eius noticia non est necessaria ad obviandum malis futuris, vel ubi tale crimen est media probatione detectum, ex testibus, aut indiciis, vel quasi detectum ad dimidium ex sufficienti fama, ex D. Thom. & Caiet. ibidem communiter receptis, 2. 2. quæst. 70. art. 1. Quod affirmant procedere, etiam si accusator ob defectum probationis pœnam aliquam incurere potuisset: idque propterea, quia sponte se obtulit tali periculo. Quinimmo nec etiam eo casu testis debet testificando tale crimen detegere, quantumvis ipsius aliqua præcesserint indicia, aut infamia: nisi coram iudice hæc probata sint: imò etiam si sint probata, nisi id constet eidem testi, scilicet, quod coram

coram iudice sint & infamia, vel indicia probata: ita sentit D. Thom. ubi supra, & apertè in reo defendit Caietan. ibi, *quest. 79. art. 1.* in teste autem idem probat Sot. *de ratione tegend. secret. memb. 2. quest. 7.* Idque uterque ea probat ratione, quia licet testis teneatur credere iudicem justè procedere, ubi de gravi præiudicio tertij non agitur, tamen ad id non tenetur, ubi de tali agitur præiudicio: sequitur Navarr. *cap. inter verba. pag. 206. numero 708. 11. quest. 3.* ubi deduci posse ex aliquot Canonibus, & Legibus dicit, quas ibi allegat, & in *Manuali, cap. 25. num. 42.* Tunc ad rem, in proposito casu, tamen si crimen, super quo inquiritur, sit notorium, tamen testis scit illud in secreto, puta quia, (ut putat) solus ipse vidit, nec illi constat coram iudice esse probatam infamiam, vel indicia contra illum delinquentem. Ergo consequens videtur illum non teneri ad testificandum, & ita si eo casu ad testimonium ferendum cogatur, benè poterit se excusare, & tueri remediis, quæ ponit Navarr. in *manual. d. num. 43.*

2 Tamen contraria sententia verior videtur, nimirum testem omnino ad testificandum posse compelli.

3 Primò quia testis tenetur deponere de eo, quod scit, etiam si promiserit, se id non detecturum, secundum D. Thom. *qu. 70. art. 1.* imò etiam si jurasset non detegere, secundum Innocent. in *cap. qualiter. O. 1. de accusat.* Panormit in *cap. dilectus, de excessibus prælat.* sequitur Nav. in *d. cap. inter verba, n. 703.*

4 Secundò, quia etiam in causis criminalibus testis potest compelli ad testificandum, quando aliter delictum sciri nequit, ista fuit Panormitani sententia in *rubr. de testibus cogend.* quem ibi sequitur Felin. pro quibus est *cap. 1.* & totus ferè titulus *de testibus cogendis*, quod maximè procedit, quando juxta arbitrium boni iudicis talis testis potest testificari, sine gravi suo præiudicio, juxta resolutionem Bald. in *cap. delictorum, de testibus cogend.* & sequi videtur Navarr. in *d. cap. inter n. 705. & n. 711. pag. 207.*

5 Tertiò facit, quia iudici justè procedenti obediendum est. At hic justè procedit, cum secundum legem faciat, quæ permittit, imò præcipit tales inquisitiones fieri, ut supra ostensum fuit, ne delicta maneant impunita, & ut respublica & Princeps vendicentur, qui ex publici facinoris perpetratiõne, quam maximè offenduntur, arg. *cap. 1. de crim. fals. cap. ut fama, de sententia excomm. l. ita vulneratus, D. ad l. Aquil.* ergo iudici testimonium in ea causa exigenti, testis obedire tenetur.

6 Tenendo hanc partem, restat respondeamus argumentis contrariæ partis. Et dicimus breviter illa non obstare, quoniam contraria procedunt ubi iudex injustè procedit, vel saltem, ubi testis nescit, an iudex justè procedat, nam tunc, nisi constet parti, iudicem benè procedere, testificari non tenetur. Unde doctissimè Caiet. *2. 2. quest. 69. art. 2.* ait, quòd ad hoc, ut testis teneatur de crimine respondere, debet interrogare, & certiorari, num iudex justè procedat, id est, an delictum sit partim detectum, vel an præcesserint infamia, vel indicia, quæ mediam faciant probationem, cujus dicti rationem ibi ponit, quam etiam probat Sot. ubi supra, videlicet, quia sicut nullus tenetur obedire legi, antequam promulgetur, & publicetur, *Auth.*

*Cabedo Pars I.*

*ut facta novæ constitutiones, Paragrapho 1. collatione 3. cap. dixit Sara. 32. quest. 4. cap. exposuisti. 82. distinction.* Ita nullus tenebitur obedire iudici, donec sciat mandatum illius esse justum: quam tamen Caietan. & Sot. rationem manifestè impugnat Navarr. in *d. cap. inter. pag. 170. numero 598.* adiciens quòd hæc comparatio potius facit contra illos. Quare idem Navarr. aliam rationem ibi reddit, scilicet, idè illo casu testem non teneri ad testificandum, quia licet regulariter teneamur obedire mandatis superiorum, de quorum iustitia non dubitamus, cum pro illis præsumendum potius sit, quòd sint iusta, donec nobis injusta esse constet, secundum August. in *cap. quid culpatur. 23. quest. 1.* & *Glossa cap. 2. & cap. dilecta. de majoritate, & obedient.* & aliæ gloss. relatæ à Navarr. ubi supra, *pag. 179. numero 598.* tamen hoc fallit, ubi si illis obediremus, ex tali obedientia, sequeretur grave aliquod periculum reipublicæ, vel proximo, vel ipsi subdito obedienti, ut eleganter scribit Sot. ubi supra, & antea scripserat Adrian. *quodlibet. 2. pagin. 29.* sequitur Navarr. ubi supra, *pagin. 171. n. 599.* ubi huius rei ponit elegans exemplum, de eo qui interrogatur à iudice, an Titius occiderit Caium, & dubitat, num iudex ad inquirendum legitimè, & justè procedat, id est, legitima præcedente infamia.

Ex quo apparet hæc omnia, quæ tam ipse, quam Caietan. dicunt, & Sot. locum tantum habere, ubi contra certam personam inquiritur, contra quam inquiri nequit, nisi præcedat talis infamia, ut supra diximus in proxima decisione, & est text. in *cap. inquisitionis. §. 1. de accusat.* & ita quando testis probabiliter potest dubitare, num iudex justè inquiret. At nos loquimur, quando inquiritur contra incertam personam, de certo crimine notorio, & publico, quo casu permittitur inquisitio, etiam nulla præmissa infamia, ut etiam diximus supra proxima decisione, & ita est casus, in quo ita manifestè apparet iudicem benè procedere, ut de hoc testis nequeat dubitare. Cum igitur hoc casu cesset supra dicta ratio, de injustitia procedentis iudicis, necessario, & efficaciter relinquatur, in hoc nostro casu testem teneri omnino obedire iudici inquirenti, & ab eo testimonium exigenti.

Quod nota ad Ord. lib. 3. tit. 42. §. ultimo. circa 8 quam, in illis verbis, *ou n'ao forem da nossa jurisdicção*, vide Aufser. in *Clementina 1. de officio ordinarij, regul. 1. fallent. 2. in fine.* Guid. decis. 62. Rebuff. in tractat. in quibus casibus iudex secularis, numero 28. ibi namque tractant, an iudex secularis possit cogere ad testificandum clericum, & personas Ecclesiasticas.

## DECISIO LXXX.

Quis iudex competens sit, ad dandum tutorem, seu curatorem clerico minori, prodigo, aut mente capto.

### S U M M Æ.

1. Tutor dandus est clerico minori per iudicem Ecclesiasticum.

2. Clerico mente capto, & prodigo curator dandus est per iudicem Ecclesiasticum.
3. Curator ad litem, clerico minori, qui in iudicio seculari litigat, dari debet per iudicem laicum.
4. Emancipatio, quæ fit de filio clerico per patrem, coram iudice laico fieri debet.

**C**ontroversum fuit hoc dubium meo tempore in senatu palatii, & interrogatus fui de eo, cum essem procurator regie coronæ. Et quæstionem de minori clerico, ponit Bart. in l. i. d. de tutoribus, & curator. datis ab his. ubi concludit, dandum esse tutorem clerico minori per iudicem Ecclesiasticum. In eadem sententia inveni Fabrum in Paragrapho ultim. instit. de Attiliano tutore, & in l. quod dicitis, C. qui dar. tut. vel cur. possunt. ubi dicit, idem esse dicendum in curatore, ut minori detur per iudicem Ecclesiasticum, §. datur autem, instit. de curator. ubi Angel. Aretin. Platea, & Sylvest. Aldobrandinus, Baeça, de decima tutorum. Calvalc. de tutor. & ante eos Cassan. de Burgund. fol. 228. numero 19. & fol. 311. n. 51.

2. Aufrelius tamen in Clement. 1. de officio Ordin. regul. 4. fallent. 25. refert hanc opinionem Bartol. & inquit, quod contra illam est practica, & quod de facto servatur contrarium, & ponit rationem, quia (ut inquit ille) datio tutoris, seu curatoris respicit patrimonium clerici, de bonis autem patrimonialibus clerici, potest se intromittere iudex laicus: nam bona immobilia clericorum subjacent statutis laicorum. Palat. in rubr. §. 39. n. 11.

Tamen contrarium decisum fuit, nempe, quod clerico mente capto, curator dandus erat per iudicem Ecclesiasticum, juxta opinionem Bart.

3. Quando verò datur clerico minori curator ad litem, ut quia litigat in iudicio seculari, id per iudicem secularem fit, Marant. fol. 217.
4. Sic etiam emancipatio, quæ fit per patrem de filio clerico, coram iudice laico fieri debet, Rota in novis decis. 188. Dec. conf. 150. Aufre. ubi supra, fallent. 7. reg. 2.

#### DECISIO LXXXI.

De inventario bonorum clerici mortui, qui filios minores reliquit: ad quem iudicem pertineat illud facere.

#### S U M M A.

1. Inventarium bonorum clerici mortui, qui filios minores reliquit, ad iudicem pupillorum pertinet illud facere.  
Ad officium iudicis pupillorum pertinet cura filiorum minorum, monachorum, & aliorum religiosorum. Ibidem.  
Verbum hoc (religiosos) sæpè in nostris ordinationibus clericum significat. Ibidem.

**H**oc dubium agitatum fuit, an. 1591. in mense Februarii, in inventario bonorum clerici cujusdam, de oppido de Punhete: volebat vicarius Ecclesiasticus oppidi de Abrantes, inventarium bonorum prædicti clerici mortui facere: contendebat iudex pupillorum prædicti oppidi ad se pertinere

facere inventarium, eò quod prædictus clericus reliquerat filios minores. Decisum fuit, quod pertinebat facere inventarium ad iudicem pupillorum, eò quod ad illius officium spectet cura filiorum minorum, monachorum, & aliorum religiosorum, ex Ord. lib. 1. tit. 67. §. 10. ibi, com os filhos dos frades, & outros religiosos. & hoc verbum, religiosos, sæpè in nostris ordinationibus clericum significat, Ord. lib. 5. tit. 26. in rubro, & in nigro. scribæ antiqui pupillorum testificati sunt suis certitudinibus, ita solere fieri antiquitus: & faciunt tradita per Canonicum Gutierrez in suis practicis quæstionibus. lib. 2. quæst. 49. & per Guidon. dec. 261. Cephal. conf. 57. n. 52. Rol. à Valle conf. 61. n. 9. lib. 4.

#### DECISIO LXXXII.

De spolio intra annum & diem, quis sit iudex competens?

#### S U M M A.

1. Ord. lib. 2. tit. 1. §. 3. disponit, quod iudices seculares possunt cognoscere de spolio commisso à clerico, intra annum & diem.
2. Ord. prædicta non solum habet locum, quando laicus ob spolium factum convenit clericum intra annum & diem, sed etiam quando clerici inter se, super possessione alicujus rei spiritualis litigant. Causa possessoria, quantumcumque rei spiritualis prophana dicitur. Ibidem.  
Regi, & reipublica interest vasallorum violentiis occurrere. Ibidem.  
Quæstio facti, & non juris, etiamsi de re spirituali, à iudice laico diffiniri potest. Ibidem.
3. Referuntur verba concordata, quæ facta sunt circa prædictam Ordinationem tempore Regis Ioannis primi.
4. Ordin. prædicta etiam in quibuscumque interdictis restitutoriis locum habet.
5. Iudex secularis in casu hujus decisionis non potest procedere contra clericum, nisi ad restituendum spoliatum, & non ultra.
6. Annus de quo agit prædicta Ord. currit à die expulsiōnis, & continuus est.  
Annus interdicti unde vi, utilis est. Ibidem.  
Minor, qui intra annum & diem, super spolio litem non movit, an postea possit agere coram laico iudice.
7. Minori, etiam agenti, in iudiciis restituitur. Ibidem.  
Item in eremodiciis minori subvenitur. Ibidem.  
Minor restituitur ad agendum, & tempus agendi illi non currit, nisi in certis casibus, in quibus etiam restituitur. Ibidem.  
Minor restituitur, si oneri, quod non suscipere licuit, se obligaverit. Ibidem.
8. Annus prædictus minori non currit, & ideo licet post annum elapsum agat, intra illum agere censetur.

**O**rdinatio reg. l. 2. tit. 1. §. 3. disponit iudicem secularem posse cognoscere de spolio intra annum & diem commisso à clerico, in hæc verba: E poderà o clérigo ser citado, & de mandado perante o juiz leigo por qualquer força nova dentro d'ano & dia, que o clérigo faça en qualquer cousa, assim movel, como de

de raiz, o qual iuiz leigo podera diſſo conhecer, pera des fazer a força, & tornar a restituir o forçado em todo o de que estever esbulhado & mais não.

2. Hæc Ord. non solum locum habet, quando laicus clericum ob spoliū factum intra annum & diem convenit, sed etiam, quando clerici inter se, & super possessione beneficii, seu alicujus rei spiritualis litigant. Certum namque de jure est, quod causa possessoria, quantumcumque rei spiritualis, prophana est. Glossa celebris in cap. litteras, de jur. calum. & tamquam receptum in specie tradit Rip. in l. naturaliter, §. nihil commune. n. 19. D. de acquiren. possessione. & ibi Emil. Ferretus n. 7. Guid. dec. 1. Boer. dec. 69. Afflict. dec. 2. & 24. Gamm. dec. 98. Navar. cap. cum contingat pag. 152. in antiquis, de rescriptis. Menoch. de recap. remed. 15. quest. 18. n. 210. ubi dicit communem & ita practicari, licet actor, & reus sint clerici: & referunt sic servari in diversis regum Christianorum, & aliorum dominorum dominiis. Covarr. practic. cap. 35. num. 1. hocque procedit, quia expedit reipublicæ, estque regum officium his violentiis occurrere, & regnum, vasallosque suos quietos, & pacificos efficere, cap. Regum 23. quest. 5. DD. ubi supra. & ex eo, quia questio hæc non juris, sed solius facti est: agitur enim solum, an is agens spoliatus fuerit, vel non, ut si spoliatus fuerit, restituitur: questio autem facti, etiam de re spirituali, à iudice laico diffiniri potest: Bart. in l. quoties, ubi Iason. n. 6. C. de judiciis, & in l. Titia. D. soluto matrimonio, ubi Alexan. tradit Felin. in cap. cum sit generale, de foro competent. Capic. dec. 7. n. 2. Aymon conf. 253. doctissimus Barboſa d. l. Titia. n. 53. & 54. Et licet aliqui Doctores contra hoc tenuerint, ut per Aufrer. ad Capel. Tolos. decis. 470. Guttierres in questionibus canon. quest. 34. Valasc. consult. 93. Tamen omnes fatentur contrariam sententiam communem esse: & secundum eam in omnibus ferè regum Christianorum provinciis judicari, quod in nostro regno plusquam notorium est, per Valas. ubi supra, n. 5. & ego sæpè ita practicum vidi, maximè anno 1584. in causa Ecclesiæ Cathedralis Leirienſis, contra capitulum Ecclesiæ Cathedralis Olyſſipponenſis, super fructuum certa parte, Archidiaconatus vocati de Santarem, & iudex fui in causa appellationis.

Quod quidem in nostro regno, ex longa consuetudine, accedente fama publica, sic à Sede Apostolica concessum fuisse, practicum semper fuit. Quod ut clariùs liqueat, libet hæc apponere verba concordatæ antiquæ super hoc, quam reperi in libello parvo senatus supplicationis, quæ concordata fuit tempore Regis Ioannis primi. Conquesti fuerunt Ecclesiastici ad Summum Pontificem, de aliquibus casibus, in quibus iudices sæculares cognoscebant, inter personas Ecclesiasticas. Unus erat:

Que tomão conhecimento entre clérigos, quando algum clérigo demanda outro clérigo dizendo, que o forçou do beneficio, & fructos, & novos, & rendas: & que assim tomão conhecimento do clérigo se o demandarem que fez força a outro clérigo.

A esto responde el Rei. Que o costume sempre foi em este Reino, & he, que das forças novas, que são feitas atã hum anno, ainda que seia entre clérigo, & clérigo, & sobre causas Ecclesiasticas, se a quelle que he forçada, o quer citar perante iuiz secular, que o pode fazer, &

Cabedo Pars I.

o iuiz secular toma conhecimento de tal feito, & assim quando o clérigo se queixa do clérigo que o forçou, el Rei ou sua justiça secular tomarã conhecimento deste feito des o dia que o forçou atã hum anno, & passado o anno, demandeo ante seu iuiz: o qual costume he escrito no livro das Ordenaçõs antigas, & ainda conforme a direito canonico. Hæc sunt verba Concordatæ.

Quamvis autem hæc ordinatio loquatur, em for- 3  
ga nova, semper intellecta, & practicata fuit in quocumque spolio, intra annum, etiam sine vi, & in absentia facto, hoc enim spoliū ita factum, & commissum de stylo vocatur, força, seu vis, ut sæpè iudicatum fuit.

Intelligitur etiam prædicta Ordinatio in quibus- 4  
cumque interdicitis restitutoriis, Menoch. d. remed. 15. d. n. 210. & quod iudicatum & sæpè practicatum est, qui debet, l. Labeo. D. de statu lib.

Non tamen potest iudex sæcularis contra cleri- 5  
cum procedere, nisi, pera desfazer a força, & tornar restituir o forçado, em todo o de que estever esbulhado, & mais não. cautè namque loquitur ordinatio sic, & tradit Afflict. dec. 24. Covarr. practicarum. c. 35. num. 2. ad finem.

Is autem annus à die expulsionis currit, Ordin. 6  
lib. 3. tit. 10. §. 13. & continuus est, cum enim hæc ordinatio exorbitans sit, & obviet regulæ generali, cap. qualiter, & quando de judiciis. cap. placuit, cap. Inolita, 11. quest. 1. Rot. dec. 839. in antiquis. annus continuus est, juxta regulam Glossa in rubr. D. de divers. & temp. prescript. tradit Paul. in l. numquam, §. in usucapionibus. D. de usucapionibus. Bald. de prescript. 1. p. 4. part. 1. quest. 6. licet annus interdicitum unde vi utilis sit, l. vi pulsos. C. unde vi. & sic post annum conveniatur clericus coram suo iudice.

Questio tamen est, quam vidi de facto: quid 7  
si minor intra annum, & diem, litem super spolio non movit, an possit postea agere coram laico iudice? & videbatur, quod possit, quia minor in iudiciis restituitur, etiam dum actor est, l. ait prator. §. sed & in iudiciis. D. de minorib. Item quia restituitur etiam in eremodiciis, puta, quia deseruit causam, vel quia non egit intra tempus debitum, d. l. ait prator. §. ultim. Item restituitur ad agendum, & tempus agendi non currit illi, nisi in certis casibus, in quibus etiam restituitur, glossa notabilis in l. auxilium. verb. cessabit. D. illo titul. per text. in l. ultim. C. in quibus casibus in integrum restit. non est neces. Accedit, quod minor restituitur, etiam si nihil amiserit, vel omiserit, si tamen oneri, quod non suscipere licuit, se obligaverit, l. non omnia. in fin. D. de minoribus. hoc autem casu minor subiecit se oneri agendi in iudicio Ecclesiastico, in quo longè difficilius est, & dispendiosius agere, ut tradit Palat. in repetit. cap. per vestras, notab. 2. n. 24. & est sufficiens, & iusta causa impetrandæ restitutionis, ut per Capic. dec. 13. n. 20. Molin. de primogeniis. lib. 3. cap. 13. num. 61. facit l. minoribus. D. de minoribus.

Et sic iudicatum fuit ut minori annus non curre- 8  
ret, & cum ei non currat, non dicebatur agere post annum, sed potius intra annum: alij dicebant, quod tutius erat, per restitutionem illum ad tempus agendi admittere, quod ei currerat, atque ita coram iudice laico clericum convenit super spolio. Quod valde nota.

## DECISIO LXXXIII.

Debitor carcere vincetus pro debito, utrum à creditore sit interim alendus, si aliunde non habeat, unde se alat.

## S U M M Æ.

1. Debitor captus, qui non habet unde se alat, à creditore alendus est, interim dum illum in carceribus detinet.
2. Vbi quis petit aliquid fieri, illud sit eius expensis.
3. Intelligitur dictum Bald. in l. sanctum, in fine. D. de rerum divisione.
4. Opinio Iacobi Raven. & Alber. quomodo intelligenda sit.
5. Intelligitur dictum Ioannis Fabr. in §. fin. col. 4. institut. de actionibus.
6. Si carceratus bonis cesserit, etiam invito creditore à carceribus eximi debet, nisi probetur fraudulenta bonorum alienatio.
7. Tenor regia provisionis antique.
8. Provisio temporalis, nec ad aliud tempus, nec ultra casus, in quibus loquitur, debet extendi.

**D**E hac quæstione est decisio Lusitana Gammæ, decis. 261. non propterea nobis visum fuit superfluum de illa agere, contingit namque sæpe sæpius casus is in senatu. Et in iure crebrius, & receptius est, captum debitorem, qui non habet unde se alat, à creditore interim alendum esse, dum illum in carceribus detinet, ut ex Glossa verb. agnoscere, in l. fin. C. de erogat. milit. annon. libro 12. annotaverunt Ang. & Bald. ibi Iason. in §. item si quis. numer. 93. & ibi Gomez. numer. 43. institut. de actionibus. Guid. dec. 211. numer. 2. refert plures, Gammæ ubi supra, & quamvis glossa illa aliud velit, ut per Plat. ibi, Gamm. d. decis. 261. numer. 3. tamen in ratione hoc planè sentit, & utcumque sit, hæc quidem opinio æquior & probabilior videtur. Primum ex verbis legis 12. tabul. titul. 8. de re iudicata. quam post Aulum Gel. libro 20. cap. 1. retulit Alciat. Parergon. lib. 1. cap. 17. in fin. Aymat. Rival. in Historia juris civilis, num. 101. ubi inquit de carceratis, in hæc verba: Si volet, suo vivito: ni suo vivit, qui eum vincetus habeat, libras farræ in dies dato.

Facit etiam pro hac parte text. in l. sed etsi hereditas. §. 1. vers. proinde, ibi, exhiberi desideravit. D. ad exhibendum. Cæsar Baronius Annal. Ecclesiast. 1. p. cap. 24. tom. 1.

2. Secundò probatur hæc pars ratione: nam regula est in materia expensarum, quòd ubi quis petit aliquid fieri, illud sit eius expensis, ut cum Bald. & alijs docet Felin. in cap. 1. numer. 9. de libelli oblatione, per Gloss. in d. l. fin. per quam ibidem alia pulchra congerit: at hic creditor petit, ut servetur carceratus debitor, qui non potest aliter servari, nisi alatur, ergo hæc alimenta debet ei creditor subministrare.
3. Non obstat dictum Bart. in l. sanctum in fin. D. de rer. divisione, ubi dicit, quòd captus debet vivere suis impensis: nam illud limitatur, nisi unde se alat non habeat, ex dicta communi opinione, & in specie tenet Felin. ubi supra, numer. 8.
4. Non etiam obstat, quòd Iacob. Raven. Alberic.

& Cuman. dicunt, in l. si vincetus, prout ibi refert Iason. in princip. D. de re iudic. quòd carcerati, qui non habent unde se alant, debent ex publico alari: nam primò respondeo, quòd contraria opinio receptor est, ut dixi. Secundò illa potest intelligi, & limitari, in criminosis, non sic in captis pro debito civili.

Non etiam obstat, quòd ait Ioannes Faber in §. fin. col. 4. institut. de actionibus. dictam communem limitari nisi ex Eleëmofynis captus possit alari: quia dico, quòd l. iudices. C. de Episcop. audientia, cui nititur, procedit in criminosis, ut jam dixi: & in his debet intelligi Ioan. Faber. aliàs secus: & est ratio, quia Eleëmofynæ dantur criminosis captis, ut sic alantur: interest namque reipublicæ, ne illi maneat impuniti, l. ita vulneratus. D. ad l. aquil. & sic vivant, ut vivi puniri possint: at captos pro debito civili, non interest reipublicæ puniri, sed creditoris vertitur interesse, ideoque creditor illos alere debet.

Quòd si in nostra specie carceratus bonis cesserit, à carceribus etiam invito creditore eximetur, l. 1. C. qui bon. ceder. poss. nisi res fraudulenter alienasse probetur; quo tamen casu nudi debitoris in carcere detentio magis damnoa, quam proficua erit creditori, secundum Ias. in §. si quis in fraudem. numer. 93. institut. de actionibus. cetera vide apud Gammam d. decis. 261.

Inveni tamen quamdam regiam provisionem antiquam, cuius tenor talis est:

*Governador amigo, nos fomos informados, que muitos presos jazem na cadeia, & estão nella retiudos por dividas: & per quanto a seus acredores não se segue proveito os devedores estarem prezos, não tendo por onde pagar, mis antes pola infirmitade da cadeia morrem muitos: & querendo nos a ello prover vos mandamos que toda a pessoa que ostever presa por divida & ouver hum anno que est a na cadeia, seia solto, & não pagado a seus acredores, do dia que for solto a dois annos, os poderão tornar a perender, & não serão soltos ate não pagarem inteiramente o que deverem: Notificamos volo assim, & vos mandamos que assim cumpras, feito em Lisboa a tres de Fevereiro. Simão de Matos o fez, de 1522.*

Quæ tamen fuit temporalis pro illo tempore, quo lata fuit, quia in carceribus civitatis Olyssipponensis morbus tunc grassabatur, & non potest extendi ad hoc tempus, nec ad alios carceres ultra hos civitatis Olyssipponensis, quòd ita iudicatum fuit, in glossa quadam quam posui tamquam Cancellarius, anno 1599.

## DECISIO LXXXIV.

Ad quem iudicem pertineat facere inventarium bonorum Archiepiscopi, seu Episcopi vita functi in hoc regno?

## S U M M Æ.

1. Facere inventarium bonorum Episcopi vita functi, & eius bona defendere a latrocinis, quæ eorum morte contingunt, ad officium iudicis secularis spectat.
2. Reges sunt patroni, & defensores, in Episcopatibus in regno suo.
3. Patronus laicus, licet non possit circa res Ecclesie

se intromittere, potest tamen quoad earum defensionem.

4. Iudices seculares cognoscunt de causis circa servitia famulorum Archiepiscopi, seu Episcopi vita functi, ut eis debitum salarium persolvatur.

5. Episcopus, an tempore suae promotionis teneatur facere inventarium eorum, quae ipse ex patrimonio vel alio titulo acquisivit: remissive.

**Q**uestio hæc, meo tempore, in dubium fuit bis revocata in senatu, in inventario bonorum Episcopi civitatis S. Jacobi, insulæ do Caboverde, qui in eadem civitate S. Jacobi obiit, anno 1587. Et Doni Antonij Teles Episcopi Lamacensis, qui obiit Olyssipone, anno 1598. & in uno, & altero casu judicatum fuit: facere inventarium bonorum Episcopi vita functi, pertinere ad judicem secularem: idque in hoc regno semper ita solere fieri probatum fuit ex parte procuratoris regiae coronæ, & ita fuisse factum morte Archiepiscopi hujus civitatis Olyssiponenfis Doni Georgij de Almeida, & in multis aliis casibus. Quod ea ratione fieri solitum est, quia ad Regem, & eius iudices spectat Prælatorum defunctorum bona defendere à latrociniiis, quæ contingunt eorum morte.

2. Cum enim Reges hujus regni Portugaliæ habeant jus nominandi ad Episcopatus, ex ratione Glossæ in cap. Hadrianus 63. distinct. imò Reges sint patroni, & defensores, in Episcopatibus existentibus in regno suo. Bald. in cap. quanto de judiciis. Archidiaconus in cap. electio 17. distinct. Palat. in introductione rubricæ. num. 24. & sub Regis protectione sint Ecclesiæ viduatae pastore. Afflict. constitut. libro 3. rubr. 28. numero 1. nimirum si ad eos spectet defensio bonorum Episcoporum defunctorum, ut reserventur futuro Episcopo, aut eius heredibus, in his quæ testari possunt de licentia Summi Pontificis, juxta tradita ad cap. 1. de testament.

3. Quamvis enim patronus laicus non possit se intromittere circa res Ecclesiæ, potest tamen quoad defensionem, Innocent. in cap. cum vos. de officio ordinarij, num. 1. & sic bene sequitur, quod ad quem pertinet custodia, & defensio rerum, pertinet etiam facere earum inventarium, Porcellinus de inventario, cap. 2. quest. 15. num. 27. qui citat Archidiacon. in cap. generali. de electione. libro 6.

4. Insimul & committere solet Rex noster rescripto speciali, ut iudices seculares cognoscant de servitiis famulorum Archiepiscopi, & Episcopi vita functi, ut eis persolvatur salarium, & debita, si quæ debet Episcopus, & ei debentur, exigantur. De his omnibus cognoscunt iudices seculares mortuo Episcopo, si super illis aliqua movetur in iudicio; & ita servatur in nostro regno,

5. Quando autem Episcopus teneatur facere inventarium, tempore suae promotionis, earum rerum, quas ipse ex patrimonio, vel alio titulo acquisivit, vide Covarruv. in cap. 1. de testament. num. 9. quod extra nostram quæstionem est. Et adde Ludovicum de Molina, de primogeniis, libro 1. cap. 27. n. 3. ad alium casum.

## DECISIO LXXXV.

An iudex Ecclesiasticus possit imponere pœnam pecuniariam laico?

## SUMMA.

1. Prælati, & iudices Ecclesiastici possunt imponere pœnam pecuniariam laicis, & non possunt declinare ad iudicem secularem.

**Q**uestio fuit in senatu: an iudex Ecclesiasticus possit imponere pœnam pecuniariam decurionibus cujusdam oppidi laicis, eò, quod contra motum proprium Pij V. super agitatione taurorum, tauros agitent: qui motus proprius non ponit pœnas tales pecuniarias? & de quæstione hac agunt Doctores, ubi Abb. in cap. licet de pœnis. qui loquuntur an possit in quoscumque sive laicos, sive clericos tales pecuniarias pœnas imponere, & in cap. irrefragabili. §. ceterum, de officio ordin. & ibi Felin. latè, post Hostiens. & Ioan. Andr. in cap. 1. de homicidio. libro 6. Cassan (licet obiter) de Burgund. rubr. 2. folio 48. verso. num. 36. Rebuf. in concordat. titul. de public. concubinar. §. quia verò. Covarr. variarum. libr. 2. cap. 9. num. 9. & ante eos Marant. de Ordin. judic. 6. part. fol. 329. numer. 115. Tamen in casu proposito decisum fuit, quod possit iudex Ecclesiasticus imponere pœnas pecuniarias, ex traditis per Gutier. in quæstionibus canonicis, quæst. 7. numero 11. ubi concludit in casu motus proprii, quod Prælati possunt imponere pœnas pecuniarias contra rectores civitatum, seu decuriones: & quod non poterunt declinare ad iudicem secularem, quod decisum fuit, anno 1591.

## DECISIO LXXXVI.

An iudex Ecclesiasticus possit arrestare debitum in manibus laici?

## SUMMA.

1. Arrestare debitum quid sit.  
2. Iudex Ecclesiasticus non potest arrestare debitum in manibus laici.  
3. In deposito tamen aliud est dicendum.  
4. Debitor consentiens in arresto, in eius manibus facto per iudicem Ecclesiasticum, præjudicat alteri debitori, qui per indirectum trahitur ad iudicium Ecclesiasticum.

**A**rrestare debitum intelligimus, id quod vulgariter dicimus, *embargar*, quo verbo utitur Ordinat. l. 1. titulo 1. Paragrapho 34. incipit, *ao officio*, depositum namque facere aliud est: fuit igitur in senatu dubitatum; an iudex Ecclesiasticus, possit in manibus laici debitoris alicujus arrestare, id est, *embargar*, quod debitum erat per talem debitorem alteri tertio, tertius autem in casu de facto contingente erat quoddam monasterium monialium.

Et decisum fuit, quod non, ex doctrinam Bart. in 2. l. mulier. D. de lege commissoria. qui text. in materia

horum arrestorū singularis est. Et hoc decisum fuit præsupposito, iudicem Ecclesiasticum non esse competentem contra laicum, *cap. si clericus laicum, de foro competen.* & ita cum incompetens esset, tale arrestum non obligat laicum, *Rebus. in concordat. tit. de regia ad Prælat. nominatione. verbo, in manibus. fol. 115.* aliter iudex Ecclesiasticus, his mediis, jurisdictionem in laicos exerceret, tam contra illum qui debebat, qui aliās tamquam reus coram iudice laico conveniendus erat, *d. cap. si clericus,* quam contra illum, in cuius manibus arrestum fiebat, qui aliās nihil monasterio debebat.

3. In deposito aliud est, ex traditis per Bald. *in l. acceptam. n. 5. C. de usuris.* Marant. qui illum refert in *praxi. p. 4. dist. in c. 11. n. 37.* qui loquitur in sequestro facto à iudice sæculari penes clericum; nam hoc voluntariè recipitur, & nemini præiudicium fit.
4. In arresto autem, etsi debitor in cuius manibus fit, consentiat, præiudicium fit alteri debitori, qui ad iudicium Ecclesiasticum trahitur per indirectum. De iis autem arrestis vide optimam decisionem. Guidonis Papæ 340. Sic senatus censuit in mense Martij ann. 1590. Scriba Petro Almirante, in actis instrumenti gravaminis civitatis Eborensis; & dictū, quod debebat deprecari iudices sæculares, ut moris est.

### DECISIO LXXXVII.

An decuriones possint statuere circa observantiam dierum festorum.

#### S U M M Æ.

1. Refertur statutum quoddam antiquum, circa observantiam dierum festorum, factum per decuriones oppidi de Santarem.
2. Visitator Archiepiscopi civitatis Olyssipponensis prohibuit decurionibus, ne tali statuto uterentur.
3. Decuriones, ut laici, & incapaces jurisdictionis Ecclesiasticæ non possunt statuere etiam in favorem Ecclesiæ, circa observantiam dierum festorum.
4. Observantia dierum festorum fuit statuta in lege gratia per leges Canonicas Ecclesiasticas, & non per leges civiles.
5. Ecclesiæ in aliquibus casibus dispensat, ut possint operari homines in diebus festis.  
Cum agitur de materia peccati, cognitio pertinet ad Ecclesiā, & ad iudices Ecclesiasticos. *Ibid.*
6. Decuriones possunt statuere super eo, quod spectat ad bonum commune temporale.
7. In casibus, qui non sunt mixti fori, non est locus preventionis.
8. Quæ à laicis possideri nequeunt, ab eisdem præscribi non possunt.
9. Statutum laicorum inductum in adiutorium observantia sanctorum, & non per modum superioritatis valet.
10. Observantia dierum sanctorum, etiam legibus civilibus commendatur, pænis propositis.
11. Consuetudo introducta in honorem Dei, ab omnibus Archiepiscopis, & eorum visitatoribus ab antiquo tolerata, observanda est.  
*Lex Castellæ de foro jubet observari dies sanctos, sub pæna triginta marabitinorum. Ibidem.*
12. Prædictum statutum in nihilo est contra libertatem Ecclesiasticam, & decisum fuit, quod observaretur.

tem Ecclesiasticam, & decisum fuit, quod observaretur.

**I**N oppido de Santarem est decretum antiquum decurionum, in hæc verba:

*Ordenarão & poseção por postura que todo o dia sancto que a Igreja mada guardar seia guardado, & qualquer que não guardar, que pague por cada vez sincoenta reis pera o concelho: & isto se não entenda em São. Mathews nas vindimas, nem nas eiras ao limpar do pão a tarde.*

Huic decreto sunt conjuncta alia verba, quæ ita se habent:

*El Rei nosso senhor me mardou prover este livro o qual eu provi, & fiz relação a sua senhoria das cousas em elle contendas, & por serem necessarias, & proveitosas a boa governança, & guarda da terra asnei aqui com algũas declarações & postilhas escritas por Antonio Carneiro com quem vi este dito livro por mandado do dito senhor Petrus, ao primeiro de Março, de 1493.*

Et juxta datam anni, hoc factum fuit tempore Regis Emanuelis, qui fuit acclamatus Rex in oppido Salacia 27. die Octobris, ann. 1485 post obitum Ioannis secundi Regis, qui obiit in Algarbiis in oppido Alvor, 25. die Octobris die Dominica anni 1505. His ita:

Visitator quidam Archiepiscopi Olyssipponensis, cum visitaret in dicto oppido, prohibuit, ut decuriones tali decreto non uterentur. Decuriones de visitatore per instrumentum gravaminis conquesti sunt ad senatum, quod præsentarunt coram iudice regie coronæ, ut solet fieri, juxta *Ordin. libro 2. tit. 1. §. ultimo.* Jussus fuit visitator respondere, ut solet fieri, qui respondit, decretum illud nullum esse, & servari non debere.

Primò, quia decuriones non poterant statuere, nec pœnam ponere super observantia dierum festorum: sunt namque laici, & incapaces jurisdictionis Ecclesiasticæ, *cap. decernimus,* ubi DD. de *judiciis,* & non possunt statuta facere super Ecclesiis, nec super observantia divini cultus, etiam in favorem Ecclesiæ, *cap. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de constitutionibus.*

Secundò, quia observantia dierum festorum in lege gratiæ fuit statuta, per leges Canonicas Ecclesiasticas, & non per leges civiles, ut per Divum Thomam, 2. 2. *quæst. 122. artic. 4. & 5.* Navarr. in *Manual. cap. 13. num. 1.* & sic causa est merè Ecclesiastica, juxta doctrinam Panormitani, & DD. in *cap. cum sit generale, de foro competent.*

Tertiò, quia Ecclesiæ in aliquibus casibus dispensat, ut possint operari homines in diebus festis, ut in *cap. licet de feriis, ubi DD.* & alij sunt casus, in quibus laborantes prædictis diebus festis excusantur à culpa, ut resolvit Divus Thomas, *d. artic. 4.* Navarr. *ubi supra.* Atque ita, antequam condemnatus sit, qui laboravit, necessariò de culpa cognoscendum est, aut de causa legitima, quæ eum ab illa excuset, quæ cognitio ad Ecclesiā, & ad iudices Ecclesiasticos pertinet, cum agatur de materia peccati, ut in *cap. cum sit generale, de foro competent.* Cum ergo laici non possint cognoscere de hujusmodi culpa, ergo nec illam punire, juxta regulam text. in *l. de qua re. D. de judic.*

Quartò,



- 6 Quartò, decuriones statuere possunt super eo, quod ad bonum commune spectat oppidi seu civitatis, quam regunt, & ad custodiam proprietatum, & ad alia similia, Ord. lib. 1. tit. 46. §. 7 & 8. At cum observantia dierum festorum non spectet ad utilitatem temporalem terræ, ut patet, sequitur, quodd per tale statutum, excedunt limites suæ jurisdictionis, & mittunt falcem in messem alienam.
- 7 Nec potest dici, quodd hic casus sit mixti fori, ut sit locus præventioni, non enim enumeratur inter illos, quos ponit Extravag. 2. p. 1. 3. l. 3. & sic est solius jurisdictionis Ecclesiasticæ.
- 8 Nec tueri se possunt decuriones præscriptione aliqua: quia cum hæc jurisdictio ab illis possideri nequeat. cujus incapaces sunt, nec præscribi potest: quæ enim à laicis possideri nequeunt, ab eisdem præscribi non possunt, cap. causam quæ. ibi DD. de præscriptionibus, resolvit Sor. de justitia & jure, libro 4. quæst. 5. artic. 4. Ledesmius. in 2. 4. quæstio. 18. artic. 1. dub. 14. conclus. 3. & est communis opinio DD.
- 9 In contrarium allegabatur, quodd hoc statutum laicorum confirmatum à Rege, fuit inductum in adiutorium observantiæ custodiæ sanctorum, non verò per modum superioritatis: & hujusmodi statutum laicorum valet, argum. text. in cap. si in adiutorium. 10. distinct. Bald. in l. nemini. C. de sacrosanct. Ecclesiis. Benedic. Capra. regul. 15. & quodd hujusmodi statutum valeat, præsupponit Federicus de Senis conf. 44, quem refert Vivius libro 2. communium opinionum, opinione 67.
- 10 Deinde hæc observantia dierum Sanctorum etiam legibus civilibus commendatur pœnis propositis l. ultim. D. de feriis. Ordinatio libro 1. tit. 55. §. 16. & lib. 5. tit. 46.
- 11 Ulterius, hoc non est solùm statutum, nec præscriptio, sed est consuetudo quædam introducta in honorem Dei, quam ab antiquo Archiepiscopi omnes, & eorum visitatores tolerarunt, quo casu consuetudo talis observanda est, cap. 1. ubi Panormitan. de sponsal. tradit Calder. in cap. 2. de clandestin. desponsatione: & pro hac parte faciunt adducta per Didac. de Covarruv. in 4. 2. part. cap. 5. in princip. numero 18. Gutierr. in pract. quæst. part. 2. cap. 1. n. 13. cum aliis. Et est lex Castellæ do foro, quæ jubet observari dies sanctos, sub pœna triginta marabitorum libro 1. tit. 1. l. 5. quæ est in nova Compillatione.
- Ad argumenta in contrarium responderetur, quodd omnia procedunt, quando laici statuerent, per modum superioritatis super rebus Ecclesiæ, & Ecclesiasticis, aut super illis, & circa substantialia, non verò in adiutorium, ut tradit Soares tit. de los casamientos. num. 32. Gutierr. ubi supra.
- 12 Decisum fuit, quodd decretum observaretur, quodd in nihilo contra libertatem Ecclesiasticam esset: 16. die Martij 1591. coram senatoribus palatij, audito visitatore in præsentia, & iudice regiæ coronæ, & procuratore regio, ut moris est.

## DECISIO LXXXVIII.

De præventione iudicis sæcularis, circa executionem testamenti.

## S U M M Æ.

1. Executio testamenti ad utrumque iudicem pertinet, & is qui prævenit, exequitur.
2. Vbi reperiuntur quatuor testamentarij, quorum unus clericus est, si laici ab scriba laico prius citentur ad reddendam rationem testamenti coram iudice laico, præventa est executio testamenti. Major numerus trahit ad se minorem, & ad suum iudicem. Ibidem.
3. In dubio præventa censetur jurisdictio in iudicio sæculari.

EXECUTIO testamenti ad utrumque iudicem pertinet, & is qui prævenit, illud exequitur, Ordin. lib. 2. tit. 35. §. 4. Extravag. p. 1. l. 2. tit. 16. DD. in cap. cum Ioannes de testamentis. Fuit in senatu hæc quæstio: Mulier quædam testamentum condidit, & in eo tres testamentarios fecit laicos, postea in codicillo addidit quartum testamentarium clericum: finito anno, & mense, quo tempore tenebantur rationem reddere, juxta Ord. lib. 2. §. 4. ibi, durando o tempo de anno, & mes. Scriba provisorum defunctorum civitatis Olyssipponensis citavit duos testamentarios, ad reddendam rationem; alterum non citavit, quia absens erat & (ut dicebatur) à regno, cum vellet clericum quartum testamentarium citare, ipse dixit, ego jam citatus hodie fui per scribam iudicis Ecclesiastici. Sed de hac citatione, si prius esset facta necne non constabat, nisi dicto partis: illud certum erat, duos testamentarios laicos prius & antequam citati essent per scribam Ecclesiasticum, citatos fuisse per scribam laicum: clericum etiam citatum fuisse per scribam Ecclesiasticum asserbatur, sed post citationem factam testamentariis laicis per scribam laicum, & omnes tres, eadem die; sed antequam prius clericus per suum scribam Ecclesiasticum, an per scribam laicum, non constabat, nisi per dictum clericum. Quærebatur quis iudex prævenerat? & conclusum fuit, quodd laicus. Primò, quia duo testamentarij citati fuerunt prius, ut constabat ex fide scribæ laici, & sic tenentur reddere rationem hi, coram iudice laico; & cum omnes in solidum testamentarij essent, & continentia causæ, nec calculum dividi possit, l. nulli. C. de iudiciis. major numerus trahit ad se minorem, & ad suum iudicem, numerus namque personarum prævalet. l. majorem. D. de pactis. l. ult. C. de bon. auth. jud. possidend. Capicius decis. 36. conducunt tradita per Didacum practicarum, cap. 8. Gutierr. in practicus quæst. 1. p. quæst. 6. Idque etiam si fateremur clericum prius per scribam Ecclesiasticum citatum fuisse, de quo tamen non constabat (ut diximus) nisi illius dicto.

Secundò, quia cum hoc dubitarem de citatione facta clerico, si fuerat prius per scribam Ecclesiasticum, quam per laicum (etiam si de utraque eadem die facta constabat, non tamen de hora, quæ prius fuerat) inducebatur dictum Innoc. in c. cum parati. num. 1. de appellat. dicentis, quodd in dubio præventa censetur jurisdictio in iudicio sæculari, refert Guid. decis. 443. DD. in cap. quicumque 11. quæst. 2. & in l. 2. §. 1. D. si quis cautionib. Sicque iudicatum fuit pro præventionem iudicis sæcularis, in mense Decemb. anno 1591.

## DECISIO LXXXIX.

De falsa moneta.

S U M M A.

1. *Fabricantes in regno Portugalia monetam falsam de scutis auri, & reales moneta Regni Castella, an puniendi sint, penis contentis in legibus Regni Portugalia.*

1. **A**Nno 1592. in mense Augusti inventi sunt quidam fabricatores falsæ monetæ Belgæ, & fabricarunt monetam falsam de scutis auri, & de reales, monetæ Regni Castellæ in civitate Olyffipponensi, qui fuerunt in vinculis positi. Quæsitum fuit de hac quæstione: An dicerentur hi, qui monetam falsam fabricarunt, rei falsæ monetæ: cum illa moneta non fuerit de corona Regni Portugaliæ, in quo regno ipsi delictum perpetrarunt: & an penis contentis in Ordinatione, *libr. 5. titul. 6.* puniendi essent.

Dubium faciebat, quòd licet regnum hoc Portugaliæ successione legitima devenerit ad Philippum secundum Regem Hispaniæ, tamen suis legibus vivit, & regna distincta sunt, juxta capitula promissionum regni, facta per Regem Philippum in comitiis oppidi de Thomar *c. 3. & 4.* Cum igitur regna distincta sint, & moneta, quæ fabricata fuit, erat alterius regni, nempe Regni Castellæ, dubitatum fuit: an fabricantes illam dici possint, fabricatores falsæ monetæ, & puniendi essent legibus Regni Portugaliæ.

Conclusum fuit quòd sic: nam moneta illa de reales per Extravag. *part. 5. t. 7. l. 8.* in Regno Portugaliæ recipitur, & publicè ea utimur, & hoc auctoritate, & permissione regali, jam à tempore Regis Sebastiani, & hoc casu, fabricantes talem monetam incidunt in crimen hoc, & puniendi sunt tamquam fabricatores falsæ monetæ, *Bart. in l. dominus horreorum. D. locati. & in l. si quis libertatem. D. de petitione hered. Alexand. conf. 121. lib. 7. & consil. 104. lib. 1. Vivius communium opinionum, verb. monetam falsam. Covarru. numismatum. cap. ultimo.* Et sic judicatum fuit: & poena mortis condemnati fuerunt delinquentes, qui duo erant: & ultra antiquiores, de materia vide DD. Ludovicum de Peguera in *quæstionibus criminalibus. q. 46. per rotam.*

## DECISIO XC.

De salvo conducto præstito Mauris.

S U M M A.

1. *Salvum conductum Mauris generaliter præstitum, illis, prodest, ad eundum, & redeundum.*
2. *Mauri si in eundo, vel redeundo delictum aliquod commiserint, puniri possunt.*
3. *Mauri salvum conductum habentes, non possunt puniri in amissione libertatis, propter dolum, & fraudem, contra præfectum arcis commissam, assermando campum ab hostibus tutum, cum sal-*

*sum esset; possunt tamen puniri pena aliqua arbitraria.*

**P**ost pugnam Africanam anni 1588. in qua Sebastianus Rex interit: occubuerunt etiam duo Reges Mauri, Xarifus, qui regno spoliatus fuerat, & de cuius restitutione agebatur, & Muleimaluco: aliqui Mauri nobiles in Hispaniam venerunt, qui Xarifi partes secuti fuerant, cum essent in Hispania, & jussu Regis nostri Philippi in provincia Bethica, miserunt duos Mauros nuntios cum epistolis in Africam, quibus ad eundum, salvus conductus datus fuit, per Ducem Methinæ Sydoniæ, qui oræ illi maritimæ maris mediterranei præest: Mauri hi per Tingensem civitatem iter fecerunt; ubi arcis præfectus ab illis quæsit, quòd irent, & an reversuri essent? responderunt, in Africam ire cum epistolis, & salvo conducto, & redire debere, intra quatuor menses, ut fecerunt: & quando reversi fuerunt, iterum ab eis quæsit, ut arcis Dux: an in campo Mauri essent? dixerunt, quòd non, sed quòd campus, & omnia tuta erant: quòd tamen falsum erat, ut constitit per testes, qui interrogati fuerunt, ex una casila, quæ venit illis diebus post Mauros nuntios in civitatem, & dixerunt, quòd multitudo Maurorum erat in campo armata: & ita si nostri freti dictis illorum Maurorum, exirent, facile fuerat, quòd opprimerentur.

Contendebat igitur arcis præfectus, illos duos Mauros captivos, & suos esse: tum quòd consuetudo antiqua esset in civitate Tingensi, quòd Mauri, qui ad illam veniunt sine epistolis alicujus Mauri præfecti arcis (quem Alcaide vocant) aut sine epistolis captivorum Christianorum, & sine salvo conducto ipsius arcis præfecti, aut sine casila, captivi maneat: & hæc consuetudo testibus probabatur. Insuper ex dolo, & fraude commissâ in interrogationibus, id etiam contendebat, & quòd delictum commiserant, propter quòd puniendi erant in amissione libertatis. Interrogatus à Rege nostro fui super præsentis casu, cum essem regius procurator.

Respondi, Mauros illos captivos non manere, nec in illis locum habere consuetudinem allegatam: ratio est, quia hi Mauri, salvum conductum Ducis Methinæ habebant, & Epistolas Muleixeqe, & Muleinazere, qui in Hispania erant, & eorum jussu in Africam trajecerant, & salvum conductum ostenderunt præfecto arcis, & quòd reversuri erant, intra quatuor menses, ut fecerunt. Igitur cum salvum conductum haberent, nullum impedimentum in eundo eis poterat fieri, imò eis proderat, ad eundum, & redeundum. Regula namque juris est, quòd salvus conductus generaliter datus (ut hic fuerat) prodest ad eundum & redeundum. *Bartol. & Angel. in l. utimur. D. de sepulchro violat. Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 4. casu 336. num. 11. & num. 15.* maximè si materiæ qualitas id dicat, ut in præsentis casu erat: in quò necessario reversuri erant, ut dixerunt prius, & ad epistolas responsionem afferre: & cum salvum conductum haberent, nulla alia re, ex superius dictis, eis opus erat.

Benè verum erat, quòd si hi Mauri, in eundo, & redeundo delictum aliquod commisissent, puniri pot-

poterant. Nam saluus conductus non liberat quem à delictis futuris, arg. text. in l. Aurelius. §. Caio. de liber. legat. Menoch. de arbitrariis, casu 337. num. 13. at non sunt puniendi poena servitutis, sed alia, juxta delictum commissum.

Et sic dixi, quòd hi Mauri non poterant tamquam servi arcis præfecto adjudicari: poterant tamen puniri aliqua poena propter dolum, & fraudem punicam, quam commiserant contra præfectum arcis affirmando campum ab hostibus tutum esse, cum falsum hoc esset, & hæc poena arbitraria esse poterat: & sic factum fuit, quia jussit Rex noster, ut servi non manerent, sed liberi, & veniunt in Hispaniam cum responsione ad epistolas per illos missas, anno 1592.

## DECISIO XCI.

De collectis pro Ecclesiæ constructione, seu reparatione.

## SUMMÆ.

1. Forensis alio loco domicilium habens, an collectari debeat ratione bonorum immobilium, quæ habet in loco, in quo Ecclesia construitur.
2. Ecclesiæ in omnibus semper privilegiata existit, & pro favore illius multa contra strictam juris rationem statuuntur.
3. Pro fortificatione murorum, forenses habentes bona immobilia in territorio civitatis, ubi muri fortificantur, collectantur, licet aliunde domicilium habeant.
4. Ad quos commodum constructionis Ecclesiæ pertinet, ad eosdem & contributio spectare debet.
5. Pro viis reficiendis, vel fontibus construendis, solum habitantes in loco, ubi fit illa refectio vel constructio collectari debent.
6. Si imponatur collecta personis, pro modo rerum, quas possident, non comprehenduntur forenses, qui alibi domicilium habent.
7. Quando collecta imponitur rebus, tunc forenses tenentur solvere, etiam si alibi domicilium habeant.
8. Parochiani tenentur ad refectioem Ecclesiæ, si redditus non sufficiant.
9. Qui Parochiani dicantur, declaratur.
10. Quid decisum sit in casu hujus decisionis.

**Q**uidam nobilis habebat domicilium suum in Olyssipone, & in insula S. Michaelis quàm plurima bona immobilia possidebat: provisione regia, seu rescripto, collectari jussi sunt populi illius loci, in quo prædictus nobilis bona immobilia possidebat, pro constructione cujusdam Ecclesiæ dicti loci.

Quæsitum fuit, an nobilis ille forensis, & alio loco domicilium habens, ratione bonorum immobilium, quæ habebat in illo loco, ubi Ecclesia construebatur, collectari deberet? in senatu quæstio hæc pertractata fuit, me iudice.

Pro parte affirmativa, quòd collectari deberet, facit primò favor Ecclesiæ, quæ in omnibus casibus privilegiata semper reperitur, & pro religione, multa contra strictam juris rationem statuuntur,

l. sunt persona. D. de religiof. & sumpt. funerum. Tiraguel. de privilegiis pia causa.

Secundo facit, quòd pro fortificatione murorum civitatis, forenses habentes bona immobilia in alieno territorio collectantur, ratione bonorum pro fortificatione talium murorum illius loci, licet aliunde domicilium habeant. Guid. Pap. dec. 372. & dec. 7. Otalora de mobilitate, 2. part. cap. 1. numer. 6. refert Ludovic. Metl. in tract. de pretio taxa punis, conclus. 1. num. 76. ad fin. at Ecclesia majus privilegium meretur, ergo.

Confirmatur hæc ratio, nam hoc ea ratione fit in fortificatione murorum, quia vertitur in eo bonum commune: at in Ecclesiæ constructione, bonum commune, & animæ vertitur (quæ rebus omnibus præstantior est) ergo forenses collectari possunt; si, ubi Ecclesia construitur, bona immobilia possideant.

In contrarium videntur hæc ficere: Primò, quòd Ecclesia principaliter construitur pro commorantibus in illo loco, & ibi domicilium habentibus, ut sacra audiant, & cælesti pabulo reficiantur. Cum igitur ad habitantes in illo loco principaliter commodum constructionis Ecclesiæ pertineat, contributio ad eosdem, qui ibi habitant, spectare debet; & illi collectandi sunt, non verò forenses, licet ibi bona immobilia possideant, argument. text. in l. si irruptione. Paragrapho ad officium D. finium regundorum. l. sed & hereditas Paragrapho plane, D. ad exhibendum. Bartol. in l. si postulaverit D. ad legem Jul. de adultariis. tradit Iason. in l. prator. Paragrapho etiam D. de edendo. Felin. in cap. quia judicante. de prescriptioibus.

Quamvis autem aliquod commodum forenses etiam habeant, ex eo, quia eius coloni, & inquilini, factores, & alij sacra audiant in prædicta Ecclesia; id non principaliter illis in commodum cedit, sed secundariò, ad quod attendendum non est, l. navis. D. ad l. Rhodiam. de jactu, ubi Angel. gloss. verb. detrimentum. in capit. 2. de pactis. in 6. Avendan. de exequend. mandat. libro 2. cap. 10. numero 24.

Secundo hæc pars confirmatur ex eo, quòd quando imponitur collecta pro viis reficiendis, aut pro fontibus construendis, quibus principaliter utuntur habitantes in illo loco, & non forenses, in his casibus solum commorantes, & habitantes in illo loco, ubi fit illa refectio, & constructio, debent collectari, ex Glossa, & Bart. in l. rescripto. §. penult. D. de munerib. & honorib. & in l. libertus. §. sola. D. ad municipal. Avendan. ubi supra, cap. 3. ad finem. Metl. loco superius allegato, conclus. 1. num. 78. ergo eodem modo, in collecta imposta pro constructione Ecclesiæ, in qua habitantes, eo loci, principaliter sacra audiunt, ibi commorantes collectandi sunt, & non forenses.

Pro resolutione duos casus consideravimus: Unus quando statuto, seu rescripto hujusmodi collecta imponitur, & verbis expressis declaratur, quòd forenses comprehendantur, & collectentur pro modo bonorum, quæ possident in illo loco; tunc id servandum est: in claris namque non est locus conjecturis, l. continuus. §. cum ita. D. de verb. obligation.

Et contra verò, si ex verbis rescripti constat forenses non comprehendi, non est dubitatio locus, ex traditis per Bad. in cap. Rodolphus. colum. 2. vers. ego dico. de rescript.

6 Alius casus est, quando verba rescripti sic se habent, ut omnes collectentur: tunc dicendum est, quòd si collecta imponitur personæ, pro modo rerum, quas possidet, non comprehenduntur forenses, cum domicilium alibi habeant, Paris. consil. 25. à princ. & num. 7. libr. 1. eo maximè, si res, propter quam collecta imponitur, respicit commodum personæ ipsius, & defensionem, non verò proprietatem, seu possessionem, Paris. d. num. 7. latè, ubi plures DD. refert.

7 Si verò collecta imponitur rebus, tunc forenses tenentur solvere, etiam si domicilium alibi habeant, cum ibi bona possideant, ubi collecta imponitur: nec hoc casu refert, an bona sita sint intra locum, seu civitatem, ut sunt ædes, seu in territorio, ut villæ, & similia: eadem namque ratio est, ex traditis per Felin. in c. Rodolphus de rescriptis. Avend. resp. 16. ad finem. faciunt tradita per Socinum consil. 129. libr. 1. Bossium tit. de principe. num. 114.

8 Et pro nostro calu facit, quòd tradit Aufser. ad Capel. Tolosan. quæst. 49. Gregor. Lopez. 1. parte, l. 11. titul. 10. glossa, satando, ubi loquentes de Parochianis, inquit: Si verò redditus non superfluit, compelluntur ultimo loco Parochiani Ecclesiæ: argum. cap. si Episcopus, de officio ordin. libr. 6. nam ex quo ibidem audiunt divina, & percipiunt Ecclesiastica Sacramenta, tenentur ad refectorem Ecclesiæ, & sic necessitè intelligunt de Parochianis præsentibus, & domicilium habentibus in illo loco, ubi Ecclesia reparatur, seu construitur, & collecta imponitur.

9 Quòd ego intelligerem, quando absentia longa est: nam si modica, habetur ac si præsens esset, argum. l. divortium. D. de divortis.

Intelligerem etiam, quando quis ita abest, ut non possit dici Parochianus illius Ecclesiæ ullo tempore, si enim aliquo tempore potest adesse, tunc aliud dicendum est: puta habet ædes in tali loco, ubi Ecclesia construitur, & collecta imponitur, illas locavit, cum in illis habitare semper consuevit: & sic de villa, quam in territorio habet, si illo tempore, quo Parochiani collectantur, ipse non habitet, sed aliunde vivat, collectari debet ratione ædium, seu villæ, in quibus fere toto tempore vivit, & in hoc arbitrium iudicis plurimum versatur, si in rescripto aliud declaratum non fuerit, & videndus est Gram. decis. 8. incipit. succedente ubi ait, quis dicatur habitator, vel non, quòd notandum est: vidi namque hunc casum per rescripti verba declaratum, in quadam Ecclesia Divi Pauli, quæ construebatur in hac civitate Olyssiponensi.

10 Et vide circa collectas has, Extravagan. 2. p. tit. 2. l. 13. Paragrapho 10. & ita iudicatum fuit, quòd nobilis, qui nunquam vixit in insula Divi Michaelis, nec vivere aliquo tempore sperabatur, collectari non deberet, maximè inspectis verbis rescripti, anno 1589.

Ad argumenta in contrarium ex supradictis facile responderi potest.

## DECISIO XCII.

An dominus rei locatæ possit expellere conductorem ad longum tempus ex supervenienti casu?

## S U M M Æ.

1. Dominium utile transit in conductorem ad longum tempus  
Locatio ad decennium dicitur alienatio. Ibidem.
2. Emphyteuta non potest locare ad longum tempus, in requisito domino directo.  
Emphyteuta si locet ad decennium, cum consensu domini, tenetur solvere laudemium. Ibidem.
3. Conductor ad longum tempus expelli non potest per locatorem, ex supervenienti casu.
4. Ord. lib. 4. tit. 58. §. 4. declaratur. Ibidem.  
Locator non potest expellere conductorem ad longum tempus, ob non solutam mercedem in primo anno: imo tenetur expectare biennium, si res conducta sit Ecclesiastica, si profana triennium.
5. Conductor non potest expelli, ob non factas meliorationes, quas tenebatur facere intra decennium, nisi eo elapso.  
Mora non committitur, nisi post lapsum diei. Ib.

IN quodam processu anno 1583. talis quæstio in senatu incidit. Quidam ædes ad decennium alteri locavit, conditione adiecta, ut intra decennium meliorationes faceret: postea conductorem expellere volebat, tum ex supervenienti casu, quòd ædibus indigebat ad habitandum; tum quòd conductor meliorationes non fecisset. Quæsitum est, an eum possit expellere.

Circa primum diximus non posse, quia in conductorem ad longum tempus transit utile dominium, l. 1. D. si ager veſtig. vel emphyt. per. l. 1. §. quod autem, D. de superficiebus. Ordin. libro 3. tit. 32. in principio, & libro 4. titulo 60. §. 2. ibi, in passu em outra specie de contracto que se chama emphyteutico, & Ordin. libro 4. titulo 64. in princ. Adeo ut decennalis locatio alienatio sit, Alexand. in l. si filio §. si vir. num. 25. D. solut. matrimon. Angel. Aretin. in §. adeo num. 1. institut. de locato. Covarr. resol. libro 2. cap. 16. num. 2. & probat Ordin. d. tit. 60. §. 2.

Et ideo emphyteuta non potest, in requisito domino directo, ad longum tempus locare, cum alienare sit. Ias. in l. ult. n. 112. C. de jur. emphyt. & si locet ad decennium cum consensu domini, tenetur solvere laudemium. Dec. cons. 204. n. ult. & facit Ordin. lib. 4. tit. 6. §. 9. quamvis DD. aliqui, relati à Valasc. de jure emphyt. q. 29. n. 16. aliud velint.

Verum tamen est, quòd Glossa in l. Codicillis, §. institut. D. leg. 2. voluit, posse emphyteutam locare ad longum tempus, sed communiter reprobatur, ut per Pinel. in l. 1. 3. p. num. 63. C. de bon. mater. Covar. ubi supr. num. 1. & 2. & multa super illa glossa. vide apud Valas. Lulitanum de jur. emphyt. quæst. 29. n. 9. Molin. de primogen. lib. 1. q. 21. num. 4.

Cum ergo conductor, dominus utilis sit, & duret decennium, expelli non potest, nec in eo habet locum

locum Ord. lib. 4. tit. 58. §. 4. tradit Vaz. de jur. emphyt. quest. 22. num. 2. quæ loquitur in simplici inquilino, in simili Covarr. resolut. lib. 2. cap. 15. numer. 2.

4 Quod confirmatur alio simili. Ord. nostra d. lib. 4. tit. 58. §. 1. inquit, posse dominum expellere conductorem ob non solutam mercedem. Quæro an locum habeat in conductore ad longum tempus, qui non solvit pensionem in primo anno? Dicendum est. quod non: sed quod expectari debet biennium, si res conducta fuerit Ecclesiastica, seu triennium, si fuerit prophana; intra quod tempus cesset solvere, & tunc, eo elapso, poterit expelli, ut fit in emphyteuta, cui comparatur, & non simplici colonno, in quo loquitur d. §. 1. Ias. in l. 2. n. 39. C. de jur. emphyt. & in Auth. qui rem. num. 15. ubi DD. C. de sacrosanct. Ecclesiis.

5 Circa secundum casum diximus, ob non factas meliorationes non posse expelli, quia adhuc durabat decennium, intra quod tenebatur illas facere, ex conditione scripturæ, ibi, dentro nestes dez annos, & cum duraret decennium, mora commissa non erat, l. magnam, ubi DD. C. de contrahend. & committ. stipulat. Sic decisum fuit in mense Junij, anno ut supra.

DECISIO XCIII.

De morte superveniente fervis culpa alicujus, an ad pretium illorum teneatur?

S U M M Æ.

1. In dubio, quilibet presumitur sanus, & qui allegat infirmitatem, illam probare tenetur.
2. Ut quis se ab incendio liberet, potest sine injuria alicujus vicinas ades destruere. Pro salute corporis tutior via est eligenda. Ibid. Nemo invitatus ad hospitandum compellitur, nisi ad id ex officio teneatur. Ibid. Damnum, quod quis ex sua culpa sentit, sibi imputare debet. Ibid.
3. Remissio pensionis domus conductæ propter pestem non fit, quando culpa ipsius conductoris locus pestilentiosus effectus est.
4. Intelligitur l. Iulianus, in princip. vers. sive igitur, D. de actionibus empti.
5. Morbo pestilenti infecti à congregatione hominum arceri debent, & si invitati custodibus intraverint civitatem vel domum alicujus, puniri possunt.
6. Mors naturalis nemini imputatur.
7. Bona mobilia morbo pestilenti contaminata, an comburi possint? remissivè

Notum est anno 1579. & 1580. & ferè per totum 1581. ( sic permittente divina providentia ) post calamitates multas, quas regnum hoc Portugaliæ pertulit, ut nulla alia desideraretur, epidemiæ morbum ( quem Deus avertat ) grassatum fuisse per multa loca. In territorio Eborensi, in domo cujusdam agricolæ, morbo hoc, habitantes in ea domo aliqui mortui fuerunt; ita ut necessarium

Cabedo Pars I.

fuerit agricolæ cum tota familia domum deserere, & fugere ( quod & probatissimum remedium est contra pestem ) Amicus alius agricola illum in domum suam recepit, ex quo evenit, ut recipientis agricolæ servi duo magni valoris, ex eodem morbo interirent. Egit is adversus alium ad æstimationem servorum, eò, quod mortui essent ejus causa, proposuitque actionem in factum, ex regula generali, text. in l. quia actionem. C. de prescriptis verbis: dubitatum fuit, an teneretur?

De probatione morbi contingentis in domo agricolæ rei non dubitabamus, articulatum namque de eo fuit per actorem, & licet sanus quilibet presumatur in dubio, l. semel. C. de re militari lib. 12. & qui infirmitatem allegat, eam probare teneatur. Bart. in l. questum. D. de re judic. maximè si in ea se fundat, l. ei qui. D. de probationib. hic actor intentionem suam bene probavit.

Quoad dubium principale contigit, quod actor reum hospitio excepit, cum tota sua familia sponte, qui reus poterat aufugere, propter morbum, quem senserat, & tutum locum quaerere, etiam cum damno alterius, l. 13. §. quemadmodum. D. de incend. ruin. naufrag. l. 1. C. de naufragis. lib. 11. imò, ut quis se ab incendio liberet, potest absque injuria alicujus vicinas ades destruere, l. si quis fumo. §. ultim. D. ad l. aquil. Et quamvis actor justissimè ei hospitium negare possit, pro salute namque corporis tutior via eligenda est, l. 2. si quis tamen. D. si quis caution. l. imò. D. de liber. causa. nec ad hospitandum quem invitatus aliquis compelli possit, nisi ad id ex officio teneatur. Bart. per text. ibi in l. unica §. ult. D. de furtis, adversus naut. & caupon. idem Bart. in l. 1. §. 1. D. naut. caupon. & stabul. Stracha in tractat. de naut. §. p. fol. 236. nu. 1. Tamen cum sponte id fecerit, & incautè reum hospitio receperit, sibi imputari debuit, damnum namque quod quis sua culpa sentit, sibi non aliis imputare debet, l. quod quis ex culpa. D. de reg. jur.

Quod adeò verum est, ut non fiat remissio pensionis domus conductæ propter pestem, quando culpa conductoris locus pestilentiosus effectus est, ut puta si scienter accessisset ad locum contagiosum: cum enim culpa præcesserit casum, non excusat, l. si ut certo. §. nunc videndum. D. commodat. l. si nulla culpa C. de pignoratitia action. cum impedimentum hoc ex proprio facto proveniret, non debet excusationem præstare, l. si in lege. §. si domus. D. locat.

Cum ergo hoc casu, ut testes deponebant, notorium fuerat rei domum infectam esse morbo illo, quo non obstante, actor illum hospitio recepit, sibi culpa imputanda est.

Quod si quis dixerit, ipsum reum teneri morbum detegere, quod cum non fecerit, tenebatur ad damnum inde proveniens, & sic ad æstimationem, & pretium servorum demortuorum, argumen. l. Iulianus. in princip. vers. sive igitur. D. de action. empti. Respondetur, id locum habere in contractu emptionis, de cujus natura est, ut vitia omnia, & morbi rei venditæ exprimentur, l. 1. D. ad l. edict. aliter ad interesse dabitur actio, l. 1. & totus tit. D. de action. empti. Quod in præsentis casu non procedit, ex supradictis.

5 Verum est, quòd hi, qui sunt contagioso, & pestilenti morbo infecti, arceri possunt à congregatione hominum, & à civitate, nam ex eo morbus contrahitur, *l. adiles, §. Pedius. D. de adilit. edict. tradit Rip. de peste. 3 part. princip. casu 1. fol. 113. in specie Peguer. in quæstionibus criminalibus. quæst. 8. numer. 6. & si ipsi, invitis custodibus, vel domino domus, intraverint civitatem, aut domum, puniri posse; si ex eo malum sit secutum, & contra illos agi, ut per Peguer. d. decis. 8. at nos sumus in diverso casu, in quo sponte reus receptus fuerat.*

6 Accedat ultimò, quòd quando malum hoc grassatur, ut fuit illo tempore, adeo aer corrumpitur, ut vix dignosci possit, unde procedat malum & morbus, poterat namque ex aeris infectione morbus servis evenire: & mors naturalis nemini imputatur, quæ illa etiam vocatur, quæ provenit ex intemperie aeris, Bald. in *l. 1. D. de fructibus & litem expens.* & sic reus absolutus fuit, anno 1583.

7 Et an bona immobilia contaminata propter hunc morbum comburi possint, vide Peguer. *late ubi supra*: quòd in facto vidi agitatum in processu quodam civitatis Silvensis, in quo judicavimus, per ea, quæ prædictus Peguera tradit. *d. decis. 8. numer. 7.* & audivi in alio processu idem judicatum fuisse.

#### DECISIO XCIV.

An Canonicus qui est in servitio sui Episcopi, ab eo salarium petere possit?

#### S U M M Æ.

1. Episcopus potest cogere duos sua Ecclesia Canonicos, ad eum in itinere sociandum, qui pro præsentibus habentur, & nihil de fructibus beneficij amittunt.
2. Canonici non possunt petere salarium à testamentariis Episcopi, ob servitium factum in comitando Episcopo.

**E**piscopus quidam ad curiam Regis cum iret, duos Ecclesiæ suæ Canonicos sibi socios itineris elegit: mortuo Episcopo, unus ex eis à testamentariis salarium illius temporis petiit. Quæsitum fuit, an jure id faceret

1 Diximus in senatu non ei salarium deberi: nam Episcopus potest cogere duos Ecclesiæ suæ Canonicos ad eum sociandum, *cap. de cetero, cap. audientiam.* ubi Abb. *numer. 3. & numer. 7. de clericis non residentibus. cap. 1. de clericis non residentibus, lib. 6. Navarr. conf. 11. lib. 3. numer. 1. sub titul. de cleric. non residentibus,* & ea de causa tamquam præsentibus habentur, ut fructus præbendæ consequantur. Navar. *ubi supra.* Cum ergo Episcopus eos cogere possit, & ea de causa pro præsentibus habeantur, ut fructus præbendarum habeant, & nihil de fructibus beneficij amittant, non est, quòd ab Episcopo salarium aliquod servitij petant: nec eis jure debeat.

2 Deinde hoc servitium Ecclesiæ fit, supra jura allegata, & ipsa Ecclesia est, quæ solvit, dum ipsi fru-

ctus suorum beneficiorum tamquam præsentibus percipiunt; non est ergo, quòd ulterius ab Episcopo, seu ab ejus testamentariis, illo mortuo, aliquid exigant.

Accedat, quòd ut plurimum Canonici ( ut in præsentibus casu actor erat ) non ejus sunt conditionis, nec servitium factum in comitando Episcopo ejusmodi est, ut illis, aut pro illo salarium debeat. arg. *Ord. regis, lib. 4. tit. 19. in princ.* tradit Federic. *de Senis conf. 218. refert Rebuff. 2. tom. ad leges Gal. tit. de famulorum salariis, glossa 3.* ergo non est, quòd Canonico servitij salarium adjudicari debuisset: & sic testamentarij ab ejus petitione absoluti fuerunt, anno 1590.

#### DECISIO XCV.

De jure piscationis in flumine publico.

#### S U M M Æ.

1. Ius piscandi omnibus commune est. Solus Princeps supremus potest prohibere jus piscationis, seu venationis, & hoc moderate, causa recreationis. *Ibidem.*
2. Verba intelligenda sunt proprie, & secundum vulgarem usum loquendi.
3. Verbum hoc, piscari, generale est, & ad omnes pisces refertur. Qui piscationem certi generis piscium prohibere, seu concedere vult, nomen particulare adjungere debet, aliter generalem piscationem comprehendit. *Ibidem.*
4. Sensui verborum magis adhaerendum est, quam verbis, relicto sensu.
5. Quid judicatum sit in casu hujus decisionis.

**I**nter monasterium Canonicorum regularium divi Augustini sancti Georgij, quod est prope Conimbricam civitatem, juxta Mondam fluvium, & Religiosos Societatis Jesu, Collegij Spiritus sancti, civitatis Eborensis, cui annexi sunt redditus mensæ prioralis dicti monasterij sancti Georgij, dubium maximum exortum fuit, ex verbis sententiæ judicis delegati, qui vigore bullæ Apostolicæ, unicuique monasterio applicavit, quæ ad mensam conventualem, & prioralem pertinerent; An piscatio pertineret ad monasterium divi Georgij, an ad collegium Societatis Jesu.

Dubium faciebant verba sententiæ, ibi, *com o caneyro da pescaria do rio do mondego,* an per illa, Canonici regulares deberent habere canale piscationis murenarum ( lampreas, vulgò vocatas ) an etiam piscationem aliorum piscium, cujuscumque generis forent? nam in illa regione per canale, vulgò intelligitur, *o caneyro das lampreas.*

Et in causa hac prius occurrit scire, quomodo piscatio hæc pertineret ad monasterium Canonicorum regularium, & quomodo illi prohibere possint alios à piscando in hac parte fluminis, cum piscandi jus commune omnibus sit, & de jure gentium competat. *§. flumina, insit. de rerum divisione.* adeò ut non posse dominos subditos prohibere piscari, seu venari citra violentiam, & injuriam asserat Hostiens. & Ant. *in cap. non est. de decimis:* & est recepta

recepta sententia ex *Iaf. conf. 119. lib. 4. Dec. conf. 197. numer. 2. & conf. 303. numer. 19. Gram. decis. 67. numer. 12. Tiraquel. de nobilitate. cap. 37. num. 115. Navarr. in Manual. cap. 17. num. 120.* & peccare mortaliter prohibentes, asserat Cajetan. *verb. venatio. in fin.* nisi sit Princeps supremus, qui caput reipublicæ est, & id moderatè faciat, causa recreationis. *Soto lib. 4. de just. & jure. quest. 6. art. 4. col. pen.* tradit doctissimè, more suo, Covar. *in reg. peccatum. 2. part. §. 8. num. 3.* nec illicitum est aliis dominis inferioribus. *Guido dec. 514. Ord. regia lib. 5. tit. III.*

Ex parte tamen monasterij ostensa fuit quædam sententia lata, tempore Alfonsi V. Regis Portugaliæ, per quam ei hoc jus piscandi, & alios prohibendi competebat, cui acquievimus.

2. Quod ad principale dubium attinet, videbatur, quòd per illud verbum canale, *caneiro*, Lusitanè, solum piscatio murenarum canonicis competeret, piscatio verò aliorum piscium maneret cum aliis rebus annexis collegio Spiritus sancti: nam propriè verbum, canale, ad murenas refertur, in illa provincia, & hoc est usitatum; verba autem intelligenda sunt propriè, & secundum vulgarem usum loquendi, *l. Labeo. D. de supel. legat. (ibi, non enim ex communi usu, nomina exaudiri debere)* & DD. ibi communiter.
3. Ex alia parte videbatur, quòd cum adjunctum sit verbum, *caneiro da pescaria*, omnem piscationem comprehendat, nam verbum piscari, Lusitanè, *pescar*, generale est, & comprehendit omnium piscium piscationem. *d. §. flumina, ibi, Ius piscandi.* quod ad omnes pisces refertur cujuscumque generis, *cap. 1. qua sint regal. in feudis, ibi, piscationum redditus. Soar. allegatione 17. num. 10. Ord. lib. 2. tit. 15. §. 13. ibi, Item as rendas das pescarias.* tradit Covar. *in d. reg. peccatum 2 p. §. 8 num. 10.* Qui igitur piscationem certi generis piscium prohibere, seu concedere voluerit, nomen particulare adjungere debet, aliter generalem piscationem comprehendit: *l. venditor fundi, ibi piscatio Thynnaria. D. communia pradiorum.* Cum ergo hic generaliter, *caneiro da pescaria*, dictum fuerit, omnem piscationem comprehendere videbatur sententia.
4. Et quamvis illud verbum, canale, *caneiro*, propriè ad murenas referatur, in illa parte, & regione, tamen id intelligitur, nisi addatur verbum illud generale, *da pescaria*, tunc enim per illa verba, omnis piscatio significatur: imo is est proprius sensus illorum verborum, cui magis adhærendum est, quàm verbis inhærere, relicto sensu, *l. 3. §. conditio. D. de adimendis legat. l. 3. C. de liberis prateritis.* & si iudex in sententia solum intelligeret de murenis, expressisset, facile namque id fuerat, *l. precipimus, C. de appellat.*

Adjuvabat & hoc ratio quædam, quòd cum in eadem sententia iudex recenseret bona omnia, & res, quæ cum collegio manebant, ex mensa priorali, non fecit mentionem de piscatione aliqua, imo omisit, quia scilicet omnem applicaverat jam prædicto monasterio per illa verba, quod monasterium est juxta flumen, & quo uti poterant monachi, ad usum suum & recreationem, & non religiosi collegij, qui longè distabant à monasterio, nempe in Ebra civitate, quinquaginta ferè leucis à prædicto

*Cabedo Pars I.*

monasterio, & sic ex mente, & verbis, iudex voluit, ut piscatio omnis monasterij esset: & hoc prævalere debet, *l. utilitatem 10. D. de confirm. tutor. 7 §. ult. D. ann. legat.* & piscatio murenarum temporaria est, & solum tribus anni mensibus, ut maxime, illa utuntur.

Hæc pro una parte, & alia faciebant: visum tamen fuit acta remittere ad iudicem Ecclesiasticum, qui protulit sententiam, ut illius verba declararet, cum de verborum sententiæ declaratione ageretur.

Quæstio hæc tractata fuit in senatu, anno 1583, mense Decembris.

## DECISIO XCVI.

De renuntiatione majoratus, facta per fratrem majorem natu, & legitimum successorem, in sororem juniorem.

### S U M M A.

1. Per verba prohibitiva alienationem, in perpetuum censetur majoratus institutus. Cum prohibetur alienare in perpetuum, talis prohibitio censetur realis, non personalis. *Ibid.*
2. Verba testatoris sunt intelligenda, secundam consuetudinem loci, in quo prolata sunt. Prohibitio in majoratibus in dubio realis, & non personalis censi debet. *Ibid.* Intelligitur *Ord. lib. 2. tit. 35. §. 50. Ibid.*
3. Frater clericus, an possit renuntiare juri majoratus, in sororem, qua mortuo illo successura erat.
4. Ius primogenitura potest in sequentem renuntiare. Collaterales consanguinei descendentes ex primo instituyente, possunt præscribere jus majoratus, *Ibidem.*
5. Renuntians juri primogenitura, si filios habeat, illis præjudicare non potest.
6. Renuntians juri primogenitura, jam ordine successivo, ab antecessoribus venienti, potest sibi præjudicare in præposteratione, non verò omnino in successione.
7. Quid decretum sit in casu hujus decisionis.
8. Filius major consentiens, quòd pater de novo instituat majoratum in filium sequentem omnino excluditur ab omni successione.

Quidam N. clericus sorori nuptiæ jus majoratus, quod sibi competebat, post mortem matris, quæ usumfructum bonorum in vita sua habebat, ex testamento mariti, & patris, prædicti clerici, renuntiavit. Soror ista majoratum habuit, vigore hujus renuntiationis, simul cum marito suo; postea vidua facta cum liberos non haberet, monasterium monialium ingressa est, & antequam professionem faceret, alteri sorori suæ majoratum renuntiavit. Is frater, non obstante renuntiatione facta, contendebat majoratum suum esse, & ad se redire debere, & volebat, ut hæc soror secunda illum haberet, jam quòd prior soror monasterium ingressa fuerat. Quæsitum fuit: an id jure contenderet.

In hac causa, dubitatum ante omnia fuit, an ex verbis testamenti majoratus esset, verba hæc erant:

Deixo minha terça à N. meu filho, con tal condiçãõ que em cada hum anno, pera sempre, elle & seus descendentes me mandem dizer hũa Missa resada, por minha alma, & con tal condiçãõ, que elle a não possa vender nunca, & outra a dita terça facenda, & não em dinbeiro, nem menos apodera vender com favor del Rei E declaro que sua mãy, & minha molher a logre em sua vida, & ella cumpra em quanto a asim lograr a obrigaçãõ da Missa que deixo, ao dito meu filho: & por sua morte ficara a dita obrigaçãõ a elle, pella dita terça que lhe deixo, & de pois delle a seus successores, em quanto o mundo durar.

1 Et quidem per hæc verba dicendum est, majoratum à testatore institutum esse, cum adit prohibitio alienationis in perpetuum, per illa verba: *nunca, & ibi, nem cum favor del Rei*, per quam alienationis prohibitionem censetur majoratus institutus, ut tradit copiosè Ludovicus de Molina de *primogeniis, libr. 1. cap. 5. numero 9.* Quæ prohibitio, etsi concepta fuerit illis verbis, in personam solius filij vocati, ad omnes tamen extenditur, ex illis verbis, quæ sequuntur, *ibi, pera sempre, elle, & seus descendentes, & ibi, nunca, & a seus successores, em quanto o mundo durar.* unde cum ratio prohibitionis ea fuerit, ut perpetuo bona obventura tertiarum, penes successores & descendentes testatoris essent, & ut ipsi adimpleant obligationem Missæ per testatorem impositam, ex hac perpetuitate verbis testatoris declarata, realis, & non personalis censetur prohibitio, Bartol. in *l. pater filium. §. fundum. in fin. D. de legat. 3.* Crot. in *l. filiusfamilias. §. divi numer. 127. & ibi Rip. num. 113. D. de legat. 1.* Alciat. *ibi, num. 49.* Covarr. *variarum. lib. 3. cap. 5. num. 2.* Molina *ubi supra cap. 4. num. 29.*

2 Maximè quando in ea regione, ubi majoratus instituitur, ea viget consuetudo, ut prohibitio realis censetur, ut est apud nos, tunc namque secundum consuetudinem loci, censetur testator prohibitionem fecisse, *l. quod si nolit. §. quia assidua. D. de Edilit. edicto*, tradit Gregor. Lopez. *l. 2. tit. 15. part. 2. glossa 2.* Covarr. & Molin. *ubi supra*, & in dubio in majoratibus prohibitio realis censetur, & non personalis. Molin. de *primog. lib. 4. cap. 1. ad fin.* Unde ex prædictis verbis institutionis, majoratus institutus censeretur debet, & in his terminis intelligenda est Ordin. nostra *l. 2. tit. 35. §. 50.* tradit Roland. *conf. 84. num. 16. vol. 2.*

3 Hoc sic pro certo habito, succedit principalis quæstio; An frater ille possit jus majoratus renuntiare in sororem, cum mater adhuc viva esset, & usumfructum bonorum haberet, ad quam sororem, si ipse frater moreretur, majoratus venire debebat, eo addito, quod frater clericus erat, & etiam si haberet filios, non poterant succedere in majoratu, sed illa soror erat, quæ successura erat mortuo fratre.

4 Et posse jus primogenituræ in sequentem renunciarî, est text. in *cap. 1. §. praterea. quibus modis feud. amittatur*, ubi Glor. & DD. tradunt Tiraq. de *primogen. quæst. 26.* Pelaes. de *majorat. 3. part. qu. 8. num. 4. cum aliis, & quæst. 21. num. 4.* Grammat. *decif. 92.* ut & etiam est præscriptibile prædi-

ctum jus majoratus per collaterales consanguineos descendentes ex primo instituyente, ut tenet Socin. *conf. 47. lib. 3.* refert plures idem tenentes Pelaes. *ubi supra, quæst. 21. num. 2. ad finem.*

Illud tamen verum est, quod quando aliquis renuntiat juri primogenituræ, si filios habet, illis præjudicare non potest, & possunt hujusmodi filij, si postea illos habeant, majoratum petere. Cardinal. & alij relati à Tiraq. de *primogeniis, quæst. 26. num. 5.*

Notandum etiam & illud est, quod ille, qui juri primogenituræ renuntiat, quæ primogenitura jam ordine successivo ab antecessoribus venit, potest sibi præjudicare in præposteratione, non verò omnino in successione: imò si is in quem renuntiavit, sine filiis moriatur, ipse renuntians poterit, & debet, ad successionem admitti, ita ex aliis tenet Tiraq. de *primogeniis, quæst. 26. num. 4.*

Quod quidem in nostro casu militat, verum namque est, quod pater istius renuntiantis majoratum instituit, & illum filio reliquit, cum usumfructum uxori in vita sua relinqueret; is frater clericus majoratum de consensu matris in sororem, causa dotis renuntiavit, hæc soror majoratum in vita sua habebit, & si monialis est, habebit monasterium (si capax est bonorum) nec aliud in institutione dispositum est. Si voluerit illud dare alteri sorori de consensu monasterij erit solum in vita sua, nam mortua sorore moniali, in quam frater renuntiationem fecit, iterum prædictus frater succedit, ex nova successione, cui non visum est renuntiasse, cum enim is frater sit, & masculus, novè succedit in majoratu, exclusa sorore juniore, & huic novæ successioni non ille renuntiare visus est, ut diximus, facit glor. in *cap. 1. verb. de novo bis feudistæ. An agnatis. vel fil. defunct.* Tiraqu. *ubi supra*, & hoc modo sententiam judicis confirmavimus, excludentem fratrem à petitione majoratus, contra sororem juniorem, in quam soror monialis illum renuntiaverat, declaravimus tamen, ut illum haberet in vita sororis monialis, & illa mortua ad fratrem veniret majoratus, tamquam succedens sorori, ex nova successione; & lata est sententia, anno 1588.

Si verò quis, v.g. filius major consensum præstaret patri petenti, ut in secundum filium majoratum institueret novum, tunc poenitere non potest, & omnino excluditur ab omni successione, arg. *l. creditor. §. si tecum: juncta glossa. D. quib. mod. pign. tacite contrahatur. l. sicut in annos. D. quibus mod. ususfruct. amittatur*: quæ omnia notabilia sunt.

## DECISIO XCVII.

An fatuus testari possit.

### S U M M Æ.

1. Tempore testamenti integritas mentis, non sanitas corporis exigenda est.
2. Nec senium ætatis, nec agridudo corporis testamenti factiõnem aufert tenentibus memis sinceritatem.
3. Furiosi, impuberes, mente capti, & dementes testamentum facere non possunt.

4. Parentes



4. *Parentes ad exemplum pupillaris substitutionis possunt filium mente captis substituere.*
5. *Fatuus si omnino mente caret, nec testamentum facere potest, nec suarum rerum dominus est: aliud tamen erit, si aliquem rerum intellectum habeat.*
6. *Furiosus non potest facere procuracionem, quia nec voluntatem, nec consensum habet. Ad notarios, seu tabelliones non pertinet judicare de sana mente. Ibidem.*

**I**N eo, qui testatur, ejus temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda est, l. 2. D. de testamentis.

Unde nec senium, nec ægrotudo corporis, impedit testamenti factionem ei, qui mentis tenet sinceritatem, l. senium. C. qui testamenta facere possunt. nisi ob adversam valetudinem efficiatur mente captus, l. in adversa. D. de testamentis.

Hinc est, quod furiosus non potest testari, nec impubes, quia is nullum habet animi iudicium, ille mente caret. §. praterea. §. item furiosi institut. quibus non est permittum facere test. l. furiosi D. de reg. jur. Eadem ratione nec mente captus, quia mente caret, d. l. in adversa: nec demens, quia est sine mente, & comparatur furioso, text. l. 2. C. de inoffic. testament. furiosi (inquit Marcellus) vel demenus nullum est testamentum.

Et de mente capto patet etiam, quia illi ad pupilli exemplum substitui potest, §. qua ratione. Institut. de pupillari. l. humanitatis. C. de impuberum, & alii substitutionibus.

De fatuo dubitari solet, & quidem si is etiam mente caret, aut nullum animi iudicium habet, testari nequit; quia & hi fatui non sunt rerum suarum domini, & à curatoribus reguntur, l. 2. D. de postuland. l. virum. D. de curat. furios. Aliud erit, si is tantum subitupidus, aut stolidus sit, & simplex, ut vulgo dicitur, habeat tamen aliquem rerum intellectum & animi iudicium, testari namque potest: ita docuit Ioan. Faber. in dict. §. praterea institut. quibus non est permittum facere testam. ubi Angel. num. 2. & Marc. Anton. num. 28. & Viglius dict. §. item furiosi. num. 1. & 2. & notanter Iason. l. furiosum num. 2. versic. 3. singulariter. ubi etiam Dec. num. 2. C. qui test. facere possunt. ubi asserit hoc non habere contradictorem; idem Iason, l. ex facto. num. 41. D. de vulgar. Dec. consil. 1. 2. num. 1. & in cap. Pastoralis. num. 3. de iudicis. & Anton. Gomez, qui id optime defendit, in l. 3. Tauri. num. 9 ubi secundum hanc distinctionem respondet ad d. l. 2. D. de postuland. quatenus jubet curatorem fatuo dari. Adde Guilhelm. in cap. Rainutius. verb. adjecta. num. 82. de testament. Parl. consil. 8. num. 39. vol. 3. & ita in senatu vidi iudicatum.

Vidi etiam in senatu decisum, furiosum procuracionem facere non posse, is namque actus voluntatem, & consensum requirit, l. consensum. D. de actionibus & obligat. principum institut. de obligat. ex consensu, quibus omnibus furiosus caret. d. §. praterea ad quod allegabatur text. in l. qui senium. 47. cum l. sequenti. D. de acquirend. heredit. & quamvis procuratio facta fuisset per tabellionem, qui affirmabat esse subsignatam per eundemmet, qui furiosus arguebatur, tamen multis testibus probabatur furiosus esse, ob idque procuratio nulla iudicata fuit, quia ad notarios, seu tabelliones non pertinet judicare de sana mente, & contrarium probabatur, tradit Suarez videndus allegat. 1. num. 8.

sum esse, ob idque procuratio nulla iudicata fuit, quia ad notarios, seu tabelliones non pertinet judicare de sana mente, & contrarium probabatur, tradit Suarez videndus allegat. 1. num. 8.

DECISIO XCVIII.

An uxores viduæ gaudeant privilegiis maritorum.

S U M M Æ.

1. *Vidua tamdiu gaudet privilegiis maritorum, quamdiu in viduitate manent, post mortem illorum.*
2. *Quod etiam procedit in privilegiis exorbitantibus.*
3. *Idem in privilegiis, quæ conceduntur ratione dignitatis innata: secus in illis, quæ competebant marito ratione alicujus officij publici.*
4. *Id idem habet locum, in privilegiis ab ipso jure communi, contra regulas ejusdem juris communis introductas: secus in privilegiis statutorum contra ipsum jus commune.*
5. *Vxor vidua Commendatarij non gaudet privilegio mariti mortui, ad hoc ut gabellam solvere non debeat.*

**U**Xores viduæ post mortem maritorum, quamdiu manent in viduitate, utuntur privilegiis maritorum, l. famina. & ibi Albert. post princip. D. de senatoribus. l. jly. §. vidua. D. ad municipal. l. cum te. & ibi Bald. C. de nup. cap. is qui §. mulier. de sepulturis. libr. 6. Gloss. in Clemen. ne Romani. verb. vacare, & ibi Imol. & Barbat. de electione. Angei. Paul. & recentiores in l. cum quadam puella. D. de jurisdictione omnium iudicum. Tiraquel. in tractat. cessante causa 1 part. num. 7. 107. & de nobilitate. cap. 18. numer. 5. Guid. Rap. de is. 379. & 380.

Amplia procedere etiam in privilegiis exorbitantibus, per l. ult. & ibi Bart. & Ioan. à Plat. C. de privilegiis scholar. lib. 12. Aretin. qui eum text. ad hoc dicit notabilem, in cap. super eo. 20. col. 1. de testibus. Alexand. qui id declarat, consil. 207. colum. 2. lib. 6. sequitur Tiraquel. d. tract. cessante causa, numer. 107. & de nobilitate. cap. 18. num. 8.

Declara procedere in privilegiis, quæ conceduntur ratione dignitatis innatæ, quia tunc privilegia competunt uxoribus, mortuis maritis, per d. l. famina ut sentiunt Cin. Alberic Salicet. & Paul. in l. 2. C. de Episcop. & cleric. quos sequitur & citat Tiraquel. in d. tract. cessante causa. num. 108. Secus in privilegiis, quæ competebant marito, ratione officij alicujus publici, secundum eundem Tiraquel. Ibidem: quem vide. Qui subdit, quod idem est, quando privilegium conceditur ratione necessitatis, quia tunc ad uxores non transit, sicuti nec ad filios.

Limita quoque in privilegiis ab ipso jure communi introductis, contra regulas ejusdem juris communis, quia hæc transeunt ad uxores, Secus in privilegiis statutorum contra ipsum jus commune, ut per multa notabiliter concludit Alexand. d. consil. 207. Ponderatis. colum. 2. versic. quinto quia

quia dato. & col. 5. versic. non obstat quinto. lib. 6. sequitur & commendat Tiraquel. in d. tract. de nobilitate. d. c. 18. num. 8.

5 Et ita iudicatum fuit anno 1586. in tribunali Regis patrimonij, quod uxor quædam vidua cuiusdam Commendatarij Ordinis Christi, quæ contendeat ratione privilegij, quod maritus habebat tamquam Commendatarius, gabellam non solvere, juxta Extravag. p. 5. tit. 3. l. 13. non poterat uti, nec gaudere tali privilegio, eò quod privilegium illud non est datum ratione dignitatis innatæ, ut supra diximus, sed datum Commendatario ab extra (ut sic loquamur) & ob id non transit ad uxorem: facit quod tradit Alexand. d. conf. 207.

Et vide latè de materia doctissimum Barbosam in l. quia tale. à princ. D. soluto matrimonio. ubi diffusè materiam hanc pertractat, & num. 30. Otalor. de nobilitate. 4. p. c. 8. per totum.

### DECISIO XCIX.

An filij, ejus patris, qui ad secundas nuptias transivit, apud illum, an apud avum, sint educandi?

#### S U M M Æ.

1. Pupilli apud vitricum ali non debent.
2. Educationi pupillorum suspectior censetur, qui illorum successioni propinquior est.
3. Pupilli educari non debent in loco non tuto sua pudicitia, ac saluti.
4. Pater ad secundas nuptias transiens filios in potestate retinet, & remanet illorum legitimus administrator, & suorum bonorum usumfructum habet, & tutela, & filiorum vendicatio illi competit.
5. Quod non est patri prohibitum, ei censetur permissum.  
Transitus ad secundas nuptias non est causa sufficiens, ut pater erga filios reddatur suspectus. Ibidem.
6. Referuntur casus, in quibus filius potius apud alium, quam apud patrem educari aebet.
7. Filius furiosus in patria potestate constitutus curatorem habere non potest.
8. Pater transiens ad secunda vota non amittit filiorum tutelam.
9. Quid iudicatum sit in senatu.
10. Intelligitur l. 1. C. ubi pupil. educari debeat.  
Matri ad secundas nuptias transeunti, nec filiorum educatio, nec eorum tutela committenda est. Ibidem.
11. Intellectus ad l. 1. D. ubi pupill. educ. debeat.
12. Qui patre caret, proprie, & verè dicitur pupillus.  
Patri, qui ex aliqua justa causa suspectus non est, liberorum educatio committenda est Ibidem.
13. Pupillus, cujus mater ad secundas nuptias transivit, apud avum paternum educandus est, & sic iudicatum fuit.

1 **D** Ubitatum fuit in senatu: an filij patris ad secundas nuptias transeuntis, apud illum, an apud avum educandi essent?

Et videbatur, quod apud avum. Primò, per l. 1. C. ubi pupil. educari debeat. ubi pupilli non aluntur apud vitricum cum matre morantem, ergo multò minus debent ali apud novercam: cum enim de vitrico ea sit ratio, quia suspectus est saluti, & vitæ privignorum, hæc ratio magis militat in noverca, quæ ob genium femineum multò privignorum vitæ suspectior esse solet, præsertim cum novos filios habeat, quibus potius desideret totius paternæ substantiæ successionem.

Secundò per l. 2. C. eodem titulo. ubi lex voluit prætorem æstimare, quis propinquior esset successioni pupilli, & illi suspectior. Sicque eum censuit suspectum pupillorum educationi, qui propinquior esset eorum successioni, at hic pater propinquior est, ergo & suspectior: tum quia propinquior, tum quia liberos habet ex secundo matrimonio, & quia cum secunda uxore filiorum prioris matrimonij noverca moratur, & cohabitatur, & cum ea simul eos educare vult.

Tertiò, per l. penult. D. eod. ubi dicitur, quod pupillus non debet educari in loco non tuto lux pudicitia, facit & text. in cap. 2. de convers. infidelium. qui ait, quod tales pupilli non debent apud eas permanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod vitæ ac saluti insidientur illorum. At de noverca præsertim, quæ liberos ex se natos habet, talis esse solet suspicio etiam vulgi opinione, adeo, ut in proverbium abierit. Contrarium tamen iudicatum fuit, his rationibus.

Primò, quia pater transiens ad secundas nuptias filios in potestate retinet. princip. instit. de patria potestate, l. si maritus, & l. sequens. C. eod. tit. & remanet legitimus eorum administrator, & usumfructum suorum bonorum retinet, l. ult. C. de bonis matern. Authent. excipitur & ibi glos. C. de bonis qua lib. & tutelam. Bart. in l. 1. in principio, D. si servitus vendicetur, & in l. non solum §. si autem. C. de bon. qua lib. Iaf. in l. si tibi pecuniam. colum. 2. D. si certum petar. Corn. conf. 55. col. 2. in princip. volum. 2. ergo filium vendicare potest, & de illo disponere, l. 1. §. 1. D. de liberis exhib. l. 1. §. per hanc. D. de rei vendicatione. facit l. consilio. D. de curatore furiosi. l. penult. C. de patria potestate ergo & multò magis ab illo educari.

Secundò, quia in jure non est hoc patri prohibitum; ergo ei permissum, l. præcipimus. C. de appellat. cap. inter corporalia. de translatione Episcop. Imò cum certi sint casus à jure præscripti, in quibus filius apud alium quàm apud patrem educatur, & nullus horum casuum est transitus ad secundas nuptias, nec talis transitus est sufficiens causa, ut ideo erga filios pater reddatur suspectus.

Casus autem sunt hi. Primus, ubi pater dedit 6 causam divortio, Authent. si pater C. de divort. Secundus, ubi filiolus minor est triennio, quia is apud matrem ali debet, l. nec filium. C. de patria potestate. Glossa in cap. fin. de conversione infidelium. Tertius, ubi filia est matrimonio collata, quia tunc apud maritum morari debet, l. 1. §. fin. D. de liber exhibendis. Quartus, ubi pater suspectus est propter ipsius nequitiam, l. 3. §. etiamsi maxime. D. eodem titul. vel aliàs ob aliam causam, ita quod præsumatur saluti aut vitæ filiorum insidiaturus, d. cap. fin. supra allegatum. Cum ergo is casus nullus sit istorum quatuor, non est filius à patris potestate eximendus, inò  
potius

potius per locum ab speciali, cum in prædictis casibus specialis sit, ut filius apud patrem non habitet, planè in aliis jus commune est in contrarium, argum. l. jus singulare. D. de legibus. Accedit, quòd text. in d. Authentica. si pater, & gloss. l. C. ubi pupillus educari debeat. Specialiter statuunt, ne apud matrè secundas nuptias contrahentem filij educentur, unde per locum etiam ab speciali, id non videtur patri prohibitum, quantumvis ad secunda vota convolanti.

- 7 Tertiò, facit text. in l. ultim. C. de curatore furiosi, qua disponitur filio furioso existenti in patria potestate curatorem non esse dandum, quia pater legitimus ejus administrator est, subdit deinde textus (quis enim talis affectus inveniatur extraneus, ut vincat paternum? vel cui alij credendum est, res liberorum gubernandas esse, parentibus derelictis? ecce vidimus tantam esse parentum fiduciam, & paterni amoris firmitatem, ut nulli alij filiorum gubernatio tradenda sit nisi parentibus: unde semper præsumitur, quòd pater eligat locum idoneum, ubi filius educetur, & facilè perpendit, sitne talis noverca, quæ filiorum vitæ insidiari possit, cui opinioni suffragatur etiam text. in l. pen. D. de curatore furiosi, qui ait iudicium patris in curatore dando per omnia sequendum esse, licet magistratus aliud existimaverit, facit & l. scripto. D. unde liberi. l. nam etsi parentibus. D. de inofficioso testam. & quæ tradit Romanus cons. 118.
- 8 Quartò facit, quia pater transiens ad secunda vota, non amittit filiorum tutelam, quæ non solum circa res, sed etiam circa personas versatur, §. 1. institut. de tutelis, tradit Pinel. in l. ultim. num. 16. C. de bonis maternis, secutus Fulgos. Imol. & Corneum, contra Angel. & alios.
- 9 Et ita pro hac parte senatus judicavit an. 1562. licet aliter iudicatum fuisse antea accepimus.
- 10 Non obstant in contrarium adducta, nam l. 1. C. ubi pupil. educ. debeat, solum agit de matre transiente ad secundas nuptias, & dicit, quòd apud eam filij non educantur: illa enim tunc perdet tutelam filiorum, Authentica, de nuptiis. §. si autem tutelam. collat. 4. Bart. in l. si quis sub conditione colum. fin. D. de testamentaria tutela. Corn. consil. 132. num. 7. vol. 2. Socin. consil. 39. num. 13. volum. 1. & cum de patre nihil statuat, non est decisio illius text. ad patrem extendenda, propter diversam prohibitionis rationem, pro patre enim semper juris præsumptio est, ut supra diximus, quæ in feminis secundò nubentibus non datur, l. lex qua tutores. C. de administrat. tutor. & ita Pinel. ubi supra.
- 11 Ad secundum respondetur, l. 1. D. ubi pupillus educ. debeat, & l. 1. C. eodem. & similia jura procedere, ubi de pupilli educatione agitur, qui scilicet patre caret: is enim verè & propriè dicitur pupillus, Glossa & Paul. in l. 1. C. ubi Imperator inter pupillos, & viduas: non autem loquitur in filiis, qui patrem habent, ut ex legibus positis sub dictis titulis patet, Doctores ita intelligunt dicta jura, & Glossam in l. 1. C. divortio facto, apud quem liberi morari, & educari debeant.
- 12 Ad tertium respondemus, jura illa tunc locum habere, quoties pater redderetur suspectus, propter matris odium, vel infidelitatem, aut aliam justam causam, juxta text. in Authentica, si pater. C. divortio facto apud quem, & c. additio ad Bart. in l. 1. C. ubi

pupil. educ. debeat. At per secundas nuptias non rediditur suspectus pater erga filios, nec ulla justa causa insurgit, propter quam eorum vitæ insidiari queat. Porro cum pater suspectus non est, educatio liberorum ei committi debet.

Vidi etiam in senatu decretum, cum contentio 13 esset inter avum paternum, & maternum, apud quem nepos educari deberet, quia ejus mater ad secundas nuptias convolaverat, iudicatum, quòd educaretur apud avum paternum, anno 1584.

## DECISIO C.

Nepos naturalis pedonis, an succedat avo, sicuti tali patri succedit filius naturalis.

## SUMMÆ.

1. Filius naturalis pedonis succedit patri unà cum filiis legitimis.
2. Lex specialis in uno casu, ad alios non est extendenda.
3. Portio paterna hereditatis, quæ filio naturali defertur, non habet locum in nepote. Nepotes ex bastardo, numquam succedunt avo ab intestato. Ibid.
4. Lex correctoria juris communis, non debet extendi.
5. Legitima sobole existente, tam pater, quam nepos naturalis, de jure communi avo non succedunt.
6. In materia correctoria, & stricta, appellatione filij, nepotes venire non debent.
7. Filius naturalis, nec etiam in duabus uncis, patri ab intestato succedit, secundum aliquos.
8. Nepos naturalis succedit avo, in omnibus casibus, in quibus filius naturalis patri succedere potest. Sicut de jure regni Castella, pater potest relinquere filio naturali quintam partem bonorum suorum, ita quoque potest nepoti naturali. Ibidem.
9. Lex nostra regia filium naturalem ad successionem patris peditis, cum filiis legitimis admittit, & quoad hoc, illum pro legitimo habet. Nepos ex filio legitimato per Principem avo etiam succedit. Ibid.
10. Ordinatio nostra, quæ filios naturales ad successionem patris, cum legitimis admittit, respectu filiorum naturalium, favorabilis est censenda. Statutum, quod excludit feminas, existentibus masculis, respectu filiorum dicitur favorabile. Ibidem. Ad hoc, ut lex dicatur favorabilis, attendendum est ad principalem ipsius legis effectum. Ibid.
11. Macula illegitimitatis, & obstaculum succedendi à lege proveniens, lege etiam tolli potest. Sublata inhabilitate, & incapacitate succedendi à lege, filius legitimus, & filius naturalis aequales sunt censendi. Ibid.
12. Legitimatus a principe ad successionem patris, fit etiam legitimus omnibus agnatis.
13. Eo jure quo filius patri succedit, eo ipso nepos avo succedere debet. Nepotes aequaliter cum patruis avo succedunt. Ibidem.

Nepos dicitur natus de corpore avi. Ibidem.

Nepotes si praterantur, dicunt de jure testamentum nullum. Ibidem.

Nepos respectu avi, eundem locum tenet, quem tenebat ejus pater vivens. Ibidem.

Nepos ex sua persona, & ex suo jure privato succedit avo, non ex persona patris, nec ex jure ab eo transmissio. Ibidem.

14. Responsio ad l. fin. C. de natural. liberis.

15. Ordinationes regia dicuntur apud nos jus commune.

16. Legitimitas patris legalis, ex vi magis comprehensiva, quam extensiva comprehendit filium, & sic nepotem respectu avi.

**A**N sicut filius naturalis succedit patri cum legitimis fratribus ex Ordin. lib. 4. tit. 7. ita quoque nepos naturalis succedat avo, vel avia paternae ab intestato, quaestio fuit non semel in senatu tractata, antiquis temporibus & recentioribus.

Et pro parte negativa, quod non succedat: Primò facit, quod lex speciatim concedit istam successionem filio naturali; ergo ad nepotem naturalem non debet extendi, quia si voluisset, expressisset, pro quo arg. est text. in l. ult. C. de natural. liber. ubi pater potest aliquid relinquere filio naturali, quod nepoti naturali non potest qui ad hoc reputatur unicus.

Secundò facit, quod dicunt Bart. & Bald. in d. l. ult. post glossam. ibi, quod dispositio Authentica licet. C. de natural. liber. quæ defert certam portionem paternae hereditatis, filio naturali, non habet locum in nepote, quia in eo non militat eadem ratio. Idem tenet Angel. in d. l. fin. & dicit esse casum rotundum de hoc, in Authent. quibus modis nat. efficiantur legit. §. fin. Mathesilanus, de success. ab intestato, versicul. in liberis autem naturalibus. Guilhelmus. in cap. Rainutius. verb. & uxorem nomine Adelasiam. numer. 700. ubi dicit, quod nepotes ex bastardo, nunquam succedunt avo ab intestato, per d. l. fin. C. de naturalibus liber. quod dicit esse hodie incorrectum. Idem tenet Glossa, & ibi Abbas in cap. lator. qui filij sint legit. Angel. de Aretio in §. novissimo. institut. ad senatum consult. Orficianum. Hippol. singular. 203. Nicolaus, tractat. de successione. ab intestat. fol. 15. & hæc videtur communis, & recepta opinio.

Tertiò adducitur, quod ista Ordin. dum admittit filios naturales ad successionem patris, est correctoria-juris communis, quo filij naturales non succedunt ab intestato parentibus, d. Authent. licet. & d. l. fin. & ibi notatur. Porriò cum sit correctoria non debet extendi, præsertim in odium filiorum legitimorum, ut notant Bart. in l. Gallus. in princip. D. de liber. & posthum. & in Authentica, quas actiones. C. de sacrosanct. Eccles. Angel. de Aretio in d. §. novissimo. colum. 2. versicul. in liberis autem naturalibus. Alex. ad Bart. in l. fin. in fin. C. de naturalibus liberis.

Quartò adducebatur, quod legitima sobole existente, etiam de jure communi, tam pater, quam nepos naturalis avo non succedit; tunc enim quod in naturalibus filiis erat statutum, ad nepotes extensum est, ut dicitur in d. l. fin. & tenet Paul. in l. Gallus. §. quod si is. num. 6. & 8. D. de lib. & posthum. &

Ias. in l. hereditas. num. 8. D. de is, quibus ut indign. Alexand. conf. 46. colum. 2. volum. 3. unde cum in præsentis casu, legitima existeret soboles, nepos naturalis cum ea admittendus non videbatur.

Quintò, pro hac parte dicebatur, quod in materia correctoria verlabamur, & sic in materia stricta: unde appellatione filij, nepotes venire non debent, nec comprehendi, Glossa in l. filij appellatione. D. de verborum signific. Bartol. in leg. liberorum. communiter receptus. D. eod. titul.

Sextò, facit d. l. fin. C. de naturalibus liberis, aliter inducta in sine (ibi: Iura etenim ab intestato, in avi successionem nemini eorum penitus aperimus) qui text. non corrigitur per Authentica quibus mod. natural. efficiantur sui §. sed nepotibus. collat. 7.

Adducebatur & ultimò dictum Mathesilani, ubi supra. 2. membr. primi art. num. 4. versic. in liberis autem naturalibus, ibi, quod non placet. ubi voluit, quod etiam in illis duabus unciis, in quibus filius naturalis succedit patri ab intestato, si non extent alij filij legitimi, vel legitima uxor, per text. in l. humanitatis. & in Authentica. licet. C. de natural. liber. quod nepos etiam, in illis duabus unciis, non succedit avo ab intestato, cum hoc nepoti tali sit penitus interdictum, per d. l. fin. Quia secundum eum correctio est vitanda, & quia id non est jure cautum, citans pro opinione sua text. in Authentica. quibus mod. naturales efficiantur sui §. filium vero. versicul. ibi. nullum tamen habent participium ad ascendentes: sed melius facit text. in d. §. de nepotibus in principio. & idem tenet Angel. in d. §. novissimo. colum. 2. Guilhelmus. ubi supra. numero 138. Hippol. singular. 103.

Pro contraria parte, imò, quod nepos naturalis succedat avo, sicuti ejus pater naturalis, adducitur, quod in jure plerique tradiderunt, quod nepos talis succedat avo, in omnibus illis casibus, in quibus filius naturalis succedere potest, ut tenet Dynus. de success. ab intestato. num. 6. Azo. in summa. tit. de naturalibus liberis. num. 5. gloss. in d. §. de nepotibus. versicul. disposita. gloss. fin. in d. l. fin. C. de naturalibus liber. Præpositus Alexand. in cap. per venerabilem. §. quod autem. qui filij sint legitimi. Bald. in d. l. fin. num. 2. ad fin. Salicet. ibi. numer. 2. & 3. Cassialup. in repetit. l. si qua illustris. colum. 18. C. ad senat. consult. Orficianum. Gomez. l. 9. Tauri. num. 6. Soares. in l. fori titul. 6. lib. 1. ubi tenet, quod sicut de jure regni Castellæ pater potest relinquere quintam partem bonorum suorum filio naturali, ita quoque potest nepoti naturali, & facit in simili quod tradit Corn. conf. col. 15 lib. 3.

Secundò adducitur, quod lex nostra admittit filium naturalem ad successionem patris peditis, & quoad hoc illum cum legitimis conjungit, & pro legitimo habet: ergo ejus filius succedet etiam avo: quia nepos ex filio legitimo per Principem, etiam avo succedit, ut tradit Præpos. in d. cap. per venerabilem. num. 110. & plurimis argumentis probat Covar. de sponsalibus. 2. p. cap. 8. §. 10. num. 5.

Tertiò facit, quod hic sumus in materia favorabili, & non in odiosa, quia mens & intentio legis regis est principaliter favere filiis naturalibus peditis, ut succedant cum aliis legitimis filiis, quia in his personis abjectis & infimis non consideratur nobilitas, nec legitimitas. Unde talis lex respectu filiorum naturalium dicitur favorabilis, etiam si aliàs

aliàs secundariò tendat in odium filiorum legitimorum : quia ad hoc, ut lex dicatur favorabilis, attendimus ad principalem effectum ipsius legis. arg. *l. si quis nec causam. D. si cert. petatur. & gloss. in l. qui exceptionem. D. de conditione indebiti.* Sicuti etiam aliàs in statuto excludente fœminas stantibus masculis, appellatione filiorum veniunt etiam nepotes, ad excludendas fœminas, quia respectu filiorum dicitur statutum favorabile, non autem odiosum: ita notabiliter Bald. *in l. avia. C. de in jus vocando. col. 1. num. 4. & 5.* communiter receptus secundùm Alexand. *ibidem num. 5.* & latius Iaf. *num. 4. & 5.* Paul. *in l. maximum vitium. C. de liber. prateritis, num. 2. & 3.* Porro in materia favorabili appellatione filiorum etiam nepotes continentur, *l. iusta interpretatio. D. de verb. signifi. l. filij appellatione. & l. liberorum.* ubi Bartol. *eodem tit.* Cùm ergo simus in materia favorabili, nepotes appellatione filiorum veniunt.

**II** Quartò illud adducitur, quòd, ubi primum lex nostra admittit filios naturales, cum legitimis succedere patri, abstergit illorum maculam illegitimitatis, quæ erat obstaculum succedendi à lege proveniens, ut in titulo *C. de interdicto matrimon. inter pupil. & idèd à lege etiam tolli potuit, argum. reg. 1. de regulis juris. l. nihil tam naturale. D. de regul. jur. & lex tollit istud obstaculum verè, & purè, & non secundùm fictionem.* Bartol. & *Glos. in l. si is qui pro emptore num. 29. D. de usucapionib. & ibi Iafon, & notatur in l. Gallus. §. & quid si tantum. D. de liber. & posthum. & per Iafon. in l. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testamentis.* ergo sublata tali inhabilitate, & incapacitate succedendi à lege, filius legitimus, & filius naturalis æquales sunt censendi, sicuti æquales erant de jure naturæ, *Authent. quib. mod. natural. efficiantur leg. si quis verò non habens.* Si igitur in filio naturali talis macula considerari non potest hoc casu, ergo nec in ejus filio, unde consequitur, quòd nepos naturalis, sicuti fit patri legitimus ad succedendum, ita etiam avo.

**12** Quintò etiam juvat, quòd iste filius, vel nepos naturalis, legitimus efficitur à lege ad patris successionem, ergo fit legitimus omnibus agnatis: quia unus à Principe legitimatus fit legitimus omnibus agnatis, ut tradit Covar. *de sponsalib. 2. p. cap. 8. §. 10. num. 2. cum sequentibus,* avus autem agnatus est nepoti. *Instit. de legitima agnatorum successione, §. sunt autem,* ergo nepos naturalis ei succedet.

**13** Sextò movebantur senatores pro hac parte, quia filius iste naturalis, ut legitimus succedit patri, & tamen ipse pater sive legitimus esset, sive naturalis tantùm, succedebat suo patri, ergo sicuti iste filius jus habebat succedendi patri, ita & ejus filius habebit jus succedendi avo. Is enim, qui in jus succedit alterius, eo jure quo ille uti debebat, *reg. 1. qui in jus. lib. 6.* sed iste pater istius nepotis succedebat patri, ergo ita succedit eidem avo nepos, fit enim ejus heres, quia intrat locum patris, succedit enim in universum jus, quod defunctus habuit tempore mortis, *l. hereditas. D. de regul. jur.* Hinc est, quòd nepotes cum patris succedunt avo æqualiter, quia intrant in locum patris sui, *§. cum filius. instit. de heredit. qua ab intestat. deferuntur. §. posthumorum. Instit. de exheredat. liberorum.* Nepos enim dicitur natus de corpore avi, Bald. *in l. 1. colum. 1. C. de conditionib. insert. & in capit. 1. §. fin. de successione feudi.*

Alexand. & Bartol. *in l. liberorum. D. de verbor. significat. notat Angel. in Authentic. de triente, & semisse. §. nec illo.* Hinc fit, quòd si nepotes prætereantur, dicunt de jure testamentum nullum, sicut pater eorum poterat dicere. Oldrad. *consil. 40.* & idèd nepos succedere dicitur in locum patris, id est, in gradum; quia locum, quem tenebat ejus pater vivens, tenet ipse nepos, subducto patre, respectu avi, ut declarat Bartol. *in l. 2. C. de liberis prateritis.* & ibi Bald. & Iaf. Item nepos succedit ex sua persona, non ex persona patris. Bart. *l. 1. §. si fit nepos. D. de collat. dotis. Iafon. in d. l. Gallus. §. & quid si tantum. num. 60. & in l. is potest. numer. 42. D. de acquirenda, vel omittend. heredit.* qui hinc infert, quòd qualitas, quæ cohærebat patri, non transit in nepotem, & sic succedit nepos privativè, & non transitivè, id est, privato suo jure, non transmissio à patre, ut aliàs declarat Bart. & Bald. *in d. l. 2. C. de liberis prateritis.* Hæc sunt fundamenta hujus partis, pro qua senatus judicavit.

Nec obstant contraria, ad l. enim fin. *C. de naturalibus liberis.* respondetur, quòd illa lex pro hac parte 2. facit, & non contra illam.

Ad illud autem, quòd dicitur, legem hanc esse correctoriam juris communis, id concedimus, sed non est correctoria alicujus ordinationis, nec legis regię. Hæc autem nobis sunt jus commune, ut per Palat. *in repet. cap. per vestras. in princip. jus autem Cæsareum non dicitur apud nos jus commune, sed tantùm bona & naturalis ratio; quæ nobis imperat, non imperium, ut ex Ord. lib. 2. tit. 5. §. 1. notat eleganter Costa in l. cum tale. §. si arbitratu, limitat. 6. num. ult. D. de conditionib. & demonstrat.*

Ad quartum respondebatur, quòd legitima etiam sobole existente admittetur nepos, ut ejus pater: quia legitimatio patris legalis, comprehendit filium, & sic nepotem respectu avi, ex vi magis comprehensiva, quàm extensiva, *Glos. verb. Italia. in cap. 1. de temp. ord. lib. 6.* Lata fuit sententia ult. die Novemb. anno 1563.

## DECISIO CI.

Intelligitur Ord. lib. 4. tit. 71. in princ. in illis verbis, *nem outro impedimento, por que não possão ambos casar.*

## SUMMÆ.

1. *Ordin. prædicta, an intelligenda sit de impedimento, quod non solum impedit matrimonium contrahendum, sed dirimit contractum.*
2. *Mulier non certiorata de morte mariti, non solum habet impedimentum ad matrimonium contrahendum, sed etiam ad dirimendum contractum.*
3. *Mulieri nondum certiorata de morte mariti, habita tamen verisimili præsumptione, non permittitur contrahere: si tamen contrahat, matrimonium sustinetur.*  
*Si postea superveniat dubitatio mortis conjugis absentis, matrimonium non dirimitur, sed uxor tantùm potest reddere debitum, non autem exigere. Ibid.*

- Intelligitur dictum Abb. notabil. 3. numer. 4.  
Ibidem.
4. Ordinatio hæc habet locum, in filio concepto ab ea, qua verisimiles præsumptiones habebat mortis mariti, & sic senatus iudicavit.

**D**Ubi maximum fuit in senatu, de quo impedimento lex hæc intelligenda foret. Et dicebatur, quod intelligenda erat de impedimento, quod non solum impedit matrimonium contrahendum, sed dirimit contractum, quod denotant verba illa, *parentesco*, & inferius, *nem outro impedimento*, illud namque verbum, *outro*, refertur ad simile impedimentum.

Unde talis incidit quæstio: Maritus cuiusdam mulieris abfuit, quæ post aliquot annos à concubinario cognita, sustulit filium, nondum certiorata de morte mariti, sed habita tantum verisimili præsumptione. Quærebatur utrum ille filius esset natus ab ea, quo tempore impedita fuit, cum eodem concubinario matrimonium contrahere, ut sic haberet locum ista ordinatio?

2. Conclufum fuit, duas esse considerandas species: in prima, ubi mulier non est certiorata de morte viri, tunc ejus absentia inducit impedimentum, ut nec matrimonium ipsa relicta possit contrahere, nec contractum toleretur, sed dirimatur, ita probat text. *in cap. in presentia. de sponsal.* & ad hoc illum inducit ibi Abb. *ad fin.* & idem tenent ipse Abb. Socin. & Barbat. *col. antepen. in cap. quoniam frequenter. §. porro. ut lite non contestata.* quos refert, & sequitur Covarr. *de sponsalibus 2. part. cap. 6. §. 3. numer. 3.* Sic enim DD. censuisse accipi debet.

3. In secunda specie, mulier nondum certiorata, habita tamen verisimili præsumptione de morte mariti, potest contrahere, & si contrahat, excusatur, secundum gloss. 2. *in d. c. in presentia.* quia licet Ecclesia illi contrahere non permitteret, tamen contractum matrimonium sustinet, ita tamen, ut etiam si postea superveniat dubitatio mortis conjugis absentis, non separaretur, sed uxor reddit tantum debitum, licet non exigat; ita est text. *in cap. dominus. de secundis nuptiis:* ubi Innoc. *in fin.* & Abb. *notab. 3. num. 4.* ubi inquit: Nota quod contrahens cum secunda, non habita certitudine de morte prioris conjugis, non debet illico dimittere secundam, sed debitum reddere, non autem exigere: quod intellige, ubi verisimiliter dubitat de morte prioris; & idem sensit idem Abb. *in cap. in presentia. in fin.* dum se retulit ad ea, quæ dicturus erat *in d. cap. dominus.* ubi idem videtur tenere Præpos. *numer. 2.* dicens: Nota, quod sola absentia de jure Canonico non solvit matrimonium, donec habeatur certitudo de morte conjugis. Idem tenet secutus Ant. *in d. c. in presentia. num. 4. in princ.* dum distinguit, quod si quæritur, an mulier non certificata de morte mariti, habens tamen verisimiles præsumptiones possit contrahere, & sine peccato, & dicit, quod sic, secundum gloss. 2. *ibidem;* aut quæritur, an Ecclesia istud matrimonium secundum solemnizare, aut auctorizare debeat, & dic, quod non, nisi habita certitudine de morte mariti absentis, secundum gloss. *fin. d. cap. in presentia.* Ex quibus colligitur, quod licet non habeatur certitudo de morte prioris conjugis

absentis, sed tantum verisimilis præsumptio, non dirimitur matrimonium secundum, si contractum sit, tamen si Ecclesia à principio illud non permitteret.

Unde cum mulier, in prædicto casu, habuisset<sup>4</sup> verisimiles præsumptiones, nempe ex fama viciniæ, maritum esse mortuum, existimavit senatus filium tunc ab ea conceptum esse, tamquam si non existeret impedimentum, quod matrimonium dirimeret, & sic esse locum huic ordinationi.

## DECISIO CII.

Referuntur casus in senatu decisi circa intellectum Ordin. *lib. 4. tit. 31. §. 3.*

### S U M M Æ.

1. Ord. prædicta unde deducta sit. Ordinatio prædicta etiam habet locum, quando contractus de jure communi, vel municipali, vel consuetudine requirit scripturam, saltem ad sui probationem. *Ibidem.*
2. Hoc tamen limitatur, si res sit realiter emptori tradita, & ab eo possessa, etiam ante scripturam. Re tradita periculum emptoris est. *Ibidem.*
3. Vbi vinum venditur ad mensuram, donec mensura fiat, periculum venditoris est, secus tamen si ante mensuram fiat realis traditio. Idem erit, si res immobilis vendita fuerit ad mensuram. *Ibidem.*
4. Vbi res fuit vendita ad scripturam, donec scriptura fiat, periculum venditoris est: secus tamen si ante scripturam, res emptori realiter tradatur.
5. Limitatur etiam prædicta Ord. nisi res extet, licet fuerit deteriorata, antequam fieret scriptura, sine culpa venditoris. Venditio, qua fit ad scripturam, id est, ea conditione, ut scriptura fiat, non est proprie & verè conditionalis. *Ibidem.* Emptor per apprehensionem, & possessionem rei tradita videtur recessisse a priori voluntate, qua volebat præsumptivè, ut non aliter contractus valeret, quam facta scriptura.
6. Qui ex rei possessione commodum sentit, idem & incommodum sentire debet. *Ibidem.*

**C**IRCA Ordin. *lib. 4. tit. 31. §. 3.* illud nota, quod hæc lex videtur desumi ex gloss. verbo *scriptura. in §. 1. instit. de empt. & venditione*, quam ibi sequitur, & declarat Faber. & latè Ang. Aret. qui subdit, idem esse, etiam si de jure communi vel municipali vel consuetudine, contractus requireret scripturam saltem ad sui probationem. Idem tenet Bald. *num. 3. in l. contractus.* post Nicol. de Matarcel. & Cyn. *C. de fide instrumentorum:* sequitur Fabian. *de empt. qu. 5. princ. p. 2. q. 15. num. 76.* & ratio est, quia ex ordine scripturæ præsumitur ordo intellectus, seu voluntatis, secundum Bald. *ubi supra.*

Unde limitabis hanc Ord. nisi contrarium probetur, quod sanè contingit, si probabitur rem fuisse realiter traditam emptori, etiam ante scripturam & ab eo possessam. Primò per regulam, quod re tradita periculum est emptoris, *leg. necessariò. l. lectos,*

*& leg. id. quod. D. de periculo, & commod. rei vend. cum  
similibus. l. convenit. ver. cum autem. C. eod. tit.*

Secundò, quia ubi vinum venditur ad mensuram, donec mensura fiat, periculum venditoris est, *l. 1. §. seq. & custodiam. l. si per emptionem. D. eod. Ord. h. ec. §. 5.* & tamen hoc procedit, nisi ante mensuram fiat realis traditio, quia tunc periculum est emptoris, bonus text. è contrario in *d. l. 1. §. si dolum. D. eod. & d. l. cum convenit, ibi (antequam tradantur) in princip. C. eod. & idem videtur etiam, ubi res immobilis venditur ad mensuram, arg. *l. si venditione, §. 1. D. eod.**

4 Unde à simili, sic in proposito, cum res fuit vendita ad scripturam, donec scriptura fiat, periculum venditoris erit, sed illud limitabitur, nisi ante scripturam, res emptori realiter tradatur, quia tunc ad emptorem spectabit periculum, & ita semel in senatu iudicatum vidimus.

5 Limitabis secundò hanc Ordin. nisi res extet, licet fuerit deteriorata, antequam fieret scriptura, sine culpa venditoris: quia si hoc est pendente vera, & propria conditione, *l. necessario, §. sane si res.* multò magis hoc erit, ubi venditio non proprie conditionalis est, ut quæ fit ad scripturam, juxta hanc Ordin. & ita iudicatum fuit in senatu, ut accepi, anno 1561.

6 Et ratio hujus limitationis est, quia emptor per apprehensionem rei traditæ, & ejus possessionem, videtur recessisse à priori voluntate, qua volebat præsumptivè, ut non aliter valeret contractus quam facta scriptura: idque ea naturali ratione, quia postquam ille ex rei possessione sentit commodum, conveniens est, ut etiam incommoda sentiat, *d. l. id quod. D. de periculo, & comodo rei vendit.* Quæ omnia valdè notanda sunt ad hanc ordinationem.

### DECISIO CIII.

Nominans ad emphyteusim, an alienare  
dici debeat?

S U M M Æ.

1. Simplex nominatio non inducit emphyteusis alienationem, nisi etiam traditio rei sequatur.
2. Consensus domini directi, ad nominationem non est necessarius; ad nominationem verò cum rei translatione, necessario requiritur.
3. Nominatio cum rei translatione, revera, donatio est.  
Emphyteuta donans debet requirere domini consensum, saltem ad hoc ut donatarium nominatum agnoscat in emphyteutam, vel ex causa recuset, alioqui incidit in commissum. *Ibid.*
4. Licet ad donationem non requiratur domini consensus, requiritur tamen ad inducendum donatarium in emphyteusis possessionem.
5. Intelligitur Ordin. lib. 4. tit. 63. in principio.

1 **U**trum emphyteuta, qui alium nominat, videatur alienare, incidit in senatu quæstio? Responsum fuit per simplicem nominationem non induci emphyteusis alienationem, sed si ulterius sequatur traditio rei, utique tunc esset alienatio, ut est lex expressa lib. 4. tit. 63. in principio, vers. *Porem.*

facit *l. alienatum, & l. alienationis. D. de verborum signific. junctà l. traditionibus. C. de pactis.*

Unde ad nominationem non requiritur consensus domini directi, sed bene requiritur ad nominationem cum rei translatione factam, sicuti requiritur ad quamlibet aliam alienationem, juxta Ordin. lib. 4. tit. 64. in principio. *Bertrand. consil. 229. Bellam. decis. 946. ad fin. Ial. l. fin. numer. 132. C. de jure emphyteutico. Palat. in rubr. §. 12. incipit, advertendum.*

Facit, quia nominatio cum rei translatione re vera donatio est, fit enim gratia liberalitatis, ut restatim fiat ejus, cui donatur, *l. 1. D. de donationibus.* At ubi emphyteuta donat, debet requirere domini consensum, saltem ad hoc, ut donatarium nominatum agnoscat in emphyteutam, vel ex causa recuset, nec admittat, ut est expressa Ordin. lib. 4. tit. 64. in principio, versic. *E no caso,* alioqui incurritur commissum, & cadit emphyteuta ita alienans à jure suo, per d. Ordin. §. 1. & ista fuit opinio Glossæ & Bart. in *l. fin. C. de jur. emphyt.* ita declarata per Ant. Imol. in cap. potuit. col. 4. de locato.

Et quamvis contraria magis communis sit secundum Ial. in *d. l. fin. num. 60.* tamen ex ea potest fieri tertium fundamentum. Nam secundum plures eam tenentes receptum est, quòd licet ad donationem non requiratur domini consensus, requiritur tamen ad inducendum donatarium nominatum in emphyteusis possessionem: nam si domino irrequisito induceretur, caderet à jure suo, quia esset alienatio, & translatio rei sine consensu domini, ut docet Iason. ubi supra num. 63. versic. *non obstat tertium fundamentum.* ergo ita in præsentem, licet ad nominationem simplicem non requiratur domini consensus, requiritur tamen ad translationem ipsius rei in nominatum.

Quæ quidem ratio maximè concludit in isto casu, & videtur reincidente in opinionem Glossæ, & Bartol. ex qua videtur desumpta d. ordinatio. *titul. 63. in principio:* quæ videtur declaranda ex supradictis per aliam Ordin. *titul. 64. in principio:* ut advertit. *Gamm. decis. 127. num. 3.*

Potest tamen ex parte alia dici, quòd is qui in nominatum transfert possessionem, facit hoc permittente contractu emphyteutico; qui autem aliter alienat, & possessionem transfert, facit prohibente contractu, & idè nullius momenti est contractus ejusmodi: de quo cogita.

### DECISIO CIV.

An in donatione rei emphyteuticæ requiratur consensus domini directi.

S U M M Æ.

1. In emphyteusis donatione, non requiritur consensus, nisi ad effectum, ut interveniat patientia, & consensus domini directi.
2. Denuntiatio domini directi fit ad eum tantum effectum, ut recognoscat donatarium in emphyteutam, vel causam alleget, quare illum recuset.  
Intelligitur opinio Glossæ, & Bart. in *l. fin. C. de jure emphyteutico. Ibid.*

3. Emphy-

3. *Emphyteuta non debet requirere dominum directum, an velit rem sibi donari, eum tamen requirere tenetur, ut admittat donatarium in possessionem, alias & emphyteuta, & donatarius incidit in commissum.*
4. *Emphyteusis potest in dotem filie donari, & illius possessio apprehendi, absque domini directi consensu.*
5. *Nec de emphyteusi data in dotem, sive æstimata, sive non æstimata, nec ex simplici emphyteusis donatione, solvitur laudemium domino directo.*
6. *Pro dote æstimata non solvitur gabella.*

**I**C requiri ad hunc effectum tantum, ut in donatione emphyteusis interveniat patientia, & consensus domini directi, ita probat Ord. lib. 4. tit. 6. in princ. ibi, & no caso que a quiser doar, & ibi, *pera ver setem algun legitimo embargo*, declarat Florian. relatus, & probatus per Imol. in cap. potuit. col. 4. post principium. vers. subdit tamen, de locat. & ibi Anton. quem ibi sequitur idem Imol. d. col. 4. vers. *ideò finaliter.*

**2** Nam ad hoc denuntiatur domino directo, ut donatarium cognoscat emphyteutam, vel causam alleget, quare non teneatur ipsum recipere in emphyteutam, videlicet, quia sit de personis prohibitis, per Ias. in l. fin. C. de jur. emphyteut. num. 64. vel quia sibi non promittit per solemnem stipulationem solvere annuatim canonem emphyteuticum, quem sibi solvebat primus emphyteuta, ut per Ias. ubi supra, num. 63. in fin. vel quia dominus, rem sibi potius vult, solvendo illius æstimationem emphyteutæ donare volenti, ut per Ias. ubi supra, num. 59. & senferat num. 56. in fin. ita debet declarari opinio Glos. & Bart. in d. l. fin. & sequacium, quos enumerat ibi Iason. nu. 59. & Imol. ubi supra, d. col. 4.

**3** Et licet contraria opinio magis communis sit, scilicet, quod emphyteuta possit donare, irrequisito domino, ut plures tenent, quos refert, & sequi videtur Ias. d. l. fin. num. 60. tamen secundum plures eorum receptum est, quod licet emphyteuta non teneatur requirere dominum, ad hoc, ut dicat, an velit rem sibi donari, tamen bene debet requiri, ut admittat donatarium induci in possessionem, quia si aliàs sine ejus consensu induceretur, emphyteuta & donatarius incurrerent commissum, & caderent à jure suo, ut pulchrè, & notabiliter post Cardin. Imol. & alios explicat Ias. in d. l. fin. numer. 63. vers. *non obstat tertium fundamentum*, & inspecta hac declaratione videtur opinio communis redire ad opinionem Glos. & Bart. ex qua videtur ista nostra lex regia desumpta, quod nota: & vide Alvar. Vaz. de hac & proxima decis. de jure emphyteut. quest. 14 num. 10. consult. 113.

**4** Illud tamen absque dubio verum est, quod filie dari potest in dotem emphyteusis absque domini consensu, cum sit alienatio necessaria, l. qui liberos, D. de ritu nuptiarum, unde prohibitio l. fin. C. de jure emphyteut. non comprehendit alienationem necessariam, l. 1. in fin. D. de fundo dotali. tradit Aymon. conf. 215. & facit Auth. res qua. C. communia delegat. imò & praxis admisit, ut nec in apprehendenda possessione requiratur domini consensus. Alvar. Vaz. de jure emphyt. q. 18. n. 28. ad finem. & ita est tenendum, quidquid dicat idem Vaz. d. qu. 14. num. 10.

Nec solvitur de emphyteusi data in dotem sive æstimata, sive non æstimata laudemium domino directo, ex Ord. lib. 4. tit. 63. in princ. ibi, *Porem neste caso lhe não pagara quarentena*, quod de jure communi valde controversum erat, ex Tiraq. lib. 1. retract. §. 1. glos. 14. num. 95. & num. 108. Imò nec ex donatione solvitur laudemium per illam ordinationem, quod & jure communi attento verius esse existimavit Guido Pap. decis. 48. licet contrarium resolvat Ias. d. l. ult. num. 50. Rip. in l. qui Roma. §. duo fratres num. 87. in fin. D. de verborum obligat.

Imò nec pro dote æstimata gabella solvitur (ut hoc obiter dicam) ut est in articulis gabellarum. cap. 39. §. 1. per quod ita judicatum fuit in senatu in processu incolarum oppidi de Cyntra, contra Donum Michaelem de Noronha, scriba Ferdinando Lopez, in judicio patrimonij Regis senatus supplicationis.

Et vide de hac quæstione Laçarte, de decima venditionis, cap. 20. num. 35.

## DECISIO CV.

Quando quis rem suam invito vendere cogatur.

### S U M M Æ.

1. *Nemo invito cogitur vendere rem suam.*
2. *Dominus agri, seu domus potest cogi favore religionis, rem suam vendere justo pretio.*
3. *Vicinus cogi potest invito, rem suam vel domum vendere religiosis, ut commodiorem habeant habitationem, & decentes officinas.*
4. *Vbi edificium nocet Ecclesia, potest cogi dominus edificij vendere servitutem altius non tollendi.*
5. *Hoc tamen numquam fieri solet, lite ordinaria proposita, sed per provisionem à Rege emissam, & si exceptiones opposita fuerint ad judicem ordinarium remittuntur.*
6. *Si quis rem suam ob publicam utilitatem vendere cogatur, non aliter id fieri debet, quam soluta prius ejusdem rei justa æstimatione.*
7. *Cum via publica vel fluminis impetu, vel ruina, amissa est, vicinus proximus viam prestare tenetur.*
8. *Tempore publica inopia, & necessitatis potest quis cogi vendere viliori pretio merces reipublica necessarias.*
9. *Hoc tamen intelligendum est, quando pretium est statutum ab ipsis reipublica administratoribus, vel quando reipublica non habet pecuniam pro pretio dandam.*
10. *Pro circuitu monasterij ampliando, potest quis invito cogi vendere agrum suum, dummodo circuitus non sit excessivus, sed necessarius & moderatus.*
11. *Quod fieri potest, etiamsi agri quoad dominium directum sint alterius monasterij, & quoad utile alicujus laici. Ibidem.*

**N**emo invito cogitur rem suam vendere, l. invitum. C. de contrahend. empt. l. nec emere, eod. tit. ubi DD. latè, Covar. resolutionum lib. 3. cap. 14. & Ord. lib. 4. tit. 25.

Quæ-



- 2 Quæstio est: An dominus agri, vel domus, sit cogendus eam vendere, cum his opus sit ad constructionem, vel ampliationem alicujus Monasterij, vel Ecclesiæ? de qua agunt Socin. *reg. 435. fallen. 9. Gom. l. Taur. 16. n. 9. Covarr. ubi supra, num. 7.*
- Ex quorum dictis illa est recepta sententia, dominum agri, seu domus cogendum esse vendere justo pretio favore religionis, ut Ecclesia, vel Monasterium in ea domo aut agro construat, aut jam constructum amplietur: & hanc opinionem ante supra citatos tenuerunt Guilhel. de Cuneo in *l. decernimus. C. de Episc. & cleric. Bald. & Angel. in l. 1. D. solut. matr. & alij, quos allegat Covarr. d. num. 7.*
- 3 Et dicit Cepola de *servitutibus urbanorum prædiorum, c. 82. de sepulchro. n. 5.* ea ratione posse vicinum cogi vendere domum religiosam, ut commodiorem habeant habitationem, & decentes officinas; quod & tenuerunt alij Doctores ab illo relati: & subdit, idem esse non solum in Ecclesia ædificata, sed etiam ædificanda; & non solum pro ædificandis ipsis Ecclesiis, sed etiam pro claustris, aut alijs domibus, aut officinis de novo faciendis in monasterio monachorum aut monialium; & ita dicit se obtinuisse Veronæ, quod perpetuo menti tenendum commendat, & allegat Bald. Angel. & Florianum.
- 4 Quinimò Gom. *ubi supra* dicit, quod ubi ædificium nocet Ecclesiæ, potest dominus ædificij cogi vendere servitutem altius non tollendi, quod dicit esse novum, & subtile remedium; & ad supradicta videndus est Matth. de Afflict. in *proamio constit. Neapolitan. q. 3. n. 10.* qui dicit secundum præcitatam communem, pronuntiatum fuisse in prætorio Regio Neapolitano in favorem monasterij Divi Hieronymi, quem retulit Covarr. *ubi supra.*
- 5 Nos autem numquam vidimus apud nos, hoc fieri lite ordinaria proposita, sed obtentum à Rege per supplicationem in Senatu Palatii: Vidimus tamen contra provisionem obtentam, exceptiones objectas, & ad ordinarium judicium remissas, & in eo judicio, causas in supplicatione contentas discussas.
- 6 Ubi autem quis ob publicam utilitatem cogitur vendere rem suam, non aliter id fieri debet, quam soluta prius illi eiusdem rei justa æstimatione, ut probat text. in *l. Annonam. D. de extraordinariis criminibus. l. 1. §. Cura carnis. D. de officio præfect. urbi. l. si quis sepulchrum. D. de religiosis, & sump. funer. & probat etiam text. in *leg. venditor. §. si constat. D. commun. prædior. notatur ad cap. 1. de rerum permutatione.* Quibus juribus probatur, quoties ad favorem publicum quis cogitur res proprias vendere, eam venditionem justo pretio esse faciendam, ut expressim per dicta jura tenuit Covarr. *lib. 12. variarum resolut. cap. 2. n. 5. & lib. 3. c. 12. n. 8.* ubi ad idem citat text. in *l. servi qui monetarios. & Gloss. l. ultim. C. ex quibus causis servi pro præmio libert. & c.* & idem tenentes Bald. in *d. l. servi. Iason. in l. Barbarius, num. 36.* ubi alios citat. *D. de officio prætoris. idem Ias. in l. ult. C. si contra jus, vel utilitatem publicam. Dec. in c. 1. n. 46. de probat. Roch. in cap. ult. de consuetudine. folio 46. in parvis, ubi dixit hanc esse communem. Soares allegat. 10. colum. 2. & eandem opinionem tenuerunt Afflict. ubi sup. q. 4. n. 7. post Abb. in cap. dilectus. col. 2. de arbitris. Felin. in cap. que in Ecclesiis. num. 28. de constit. citatur etiam ad hoc Gloss. in *d. l. Barbarius*, quæ tamen contrarium dicere juxta**

Cabeo Pars I.

litteram sui C. adnotavit Covarr. *ubi supra, d. n. 8. ad medium, ubi allegat pro communi legem partitarum, part. 2. tit. 1. l. 2. & part. 3. tit. 18. l. 31. & ego allego Ord. nostram lib. 4. d. tit. 25. §. ult. ibi, do que justamente pode segundo commun valia, & ibi, não seia o senhor do dito mouro, & c.*

Unde inferitur non esse omnino verum, quod scripsit Accurt. in *l. si locus, §. cum via publica. D. quemadmodum servitut. amitt.* ubi text. inquit in hæc verba (cum via publica, vel fluminis impetu, vel ruina amissa est, vicinus proximus viam præstare debet) unde Doctores notant cogendum esse rei dominum illam vendere, ubi ad publicam utilitatem fit necessaria: idque intelligit Accurt. ibi, etiam non soluto pretio, nec titulo emptionis, sed jure publicæ utilitatis, in via publica, introductum esse magis consuetudine, quam jure scripto, quod reprobatur Covarr. *ubi supra, num. 8.*

Inferitur etiam, an verum omnino sit, quod Batt. 8 in *d. l. 1. §. Cura carnis, D. de officio prætor.* scribit tempore publicæ inopiæ, & necessitatis quem cogi vendere merces reipublicæ necessarias, viliori pretio, & sequitur eum Rom. in *l. 2. num. 12. D. solut. matrimonio. Alexand. consilio 190. colum. 2. libr. 2. Tiraq. lib. 1. de retract. in præfatione. nu. 28. per text. in l. 2. Paragrapho inde agitur est. D. ad l. Rhod. de jact. & in l. si pendentes, §. si quid elocatum. D. de usufructu.*

Covarruvias tamen in *d. cap. 3. n. 5. lib. 3. variarum. 9* dicit, vel dictis juribus non probari Bartol. opinionem, vel intelligendam, ut tempore necessitatis quis cogatur vendere, pretio statuto, ab ipsis reipublicæ administratoribus, quamvis id pretium sit minus, quam illud, quo res illa posset communiter vendi, vel quando adest publica necessitas, quoad pretium, puta, quia res publica indiget illa re ad bonum commune, nec habet pecuniam pro pretio dandam, tunc enim erit locus opinioni Bartoli, secundum Covarr. *ubi supra*, quod nota.

Illud adde ad complementum hujus decisionis, 10 quod de facto vidi, an pro ampliando circuitu monasterij possit quis cogi vendere agrum suum. Dixi, quod sic, dum modo circuitus non sit excessivus, nec factus ad æmulationem, sed necessarius, & moderatus.

Dixi etiam, quod à Rege supplicandum erat, 11 etiam si agri quoad directum dominium essent alterius monasterij, quia utile laicorum erat, & ipsum dominium utile prophanum. Quod in casu contingenti minor dubitatio erat, cum per agros ad ampliandum circuitum necessarios, monachi alios similes, & majoris æstimationis dare velint.

Circa hanc materiam vide text. singularem in *l. si cui 54. (ibi: sapè enim confines fundos, etiam supra justam æstimationem interest nostra acquirere.) D. de legat. 2.*

## DECISIO CVI.

An sicut marito, de jure nostri Regni, licitum est, constante matrimonio, ex mobilibus communibus facere mediocrem Eleëmofynam, uxori id etiam licitum sit?

K

SUM.

## S U M M A E.

1. Maritus, & uxor dicuntur simul bona possidere.
2. Iure communi attento, uxor poterat, etiam sine consensu mariti, facere donationem de bonis mobilibus communibus.
3. Statuta prohibitoria, & exorbitantia strictè interpretari debent.
4. Quod specialiter marito permittitur, à contrario, videtur uxori denegatum ac prohibitum. Dispositio specialis firmat regulam in contrarium. Ibidem.
5. Si vir longius absit, mulier nec donare, nec contrahere potest, sine eius consensu, vel iudicis auctoritate.
6. Quod si necessaria causa interveniat, tunc bene poterit de iudicis auctoritate alienare.
7. Mulier in iudicio stare non potest, sine consensu mariti, vel de auctoritate iudicis.
8. Iure communi attento necessaria causa interveniente, bene poterat mulier sine consensu mariti, vel iudicis auctoritate, bona mobilia alienare: secus de iure nostri Regni.
9. Ius nostrum Regium apud nos dicitur jus commune.
10. Maritus non teneatur solvere debita uxoris, quæ durante matrimonio contraxerat, sine eius consensu.

**M**aritus, & uxor dicuntur simul bona possidere, l. adversus, C. de crimine expilata hered. l. 1. d. de ritu nupt. l. ne quis. C. de iudiciis. l. fin. §. 2. D. ad municipal. & in l. in rebus. C. de iure dotium, cum similibus, sunt enim socij divinæ, & humanæ domus, & facit Ordin. lib. 4. tit. 7. ibi, em posse, & cabeça de casal.

2. Sed quæstionis est, an sicut marito licet, iure nostro, ex d. Ord. §. ultim. constante matrimonio, ex mobilibus communibus facere mediocrem Eleëmofynam, uxori id etiam licitum sit?

Et videtur, quod uxori liceat; si enim marito permittitur, ex supra dictis, & ex traditis per Palatium in rubr. §. 48. num. 3. & §. 68. post Bart. in l. fin. in fine. D. rerum amotar. dicendum est, quod & uxori licere debet, eò quod sunt correlativi, & in correlativis idem est iudicium, l. uni. C. de in dicta viduit. & l. tul. tollenda, l. uni. C. de cupressu. lib. 12.

3. Secundò, quia per hoc revertimur ad jus commune, quo attento, uxor poterat etiam sine viri consensu, facere donationem de bonis communibus mobilibus, l. velles necne. C. de revocand. donat. ubi Bart. Angel. & Bald. num. 1.

4. Tertio, quia statuta prohibentia uxori donare, sine viri licentia, tamquam exorbitantia sunt interpretanda. Tiraq. ad l. connubial. glossa 5. num. 57.

Attamen in contrarium est jus nostrum Regium, d. Ord. lib. 4. tit. 7. §. fin. Cum enim per illam, id marito specialiter permittatur, uxori à contrario denegatum videtur, ac prohibitum, cap. cum illorum de sententia excommunicato. cap. nome. de presumpt. Et dispositio specialis firmat regulam in contrarium, l. jus singulare. D. de legibus.

5. Quod procedit etiam si vir longius absit, nam etiam tunc, nec donare, nec contrahere potest, sine

eius consensu, vel iudicis auctoritate, quæ eo casu est requirenda ad contrahendum, sicuti requiritur ad quasi contrahendum, in iudicio, arg. Ordin. in 3. tit. 32. §. 6. & in specie scribit Palat. in repetit. rubr. §. 68. colum. fin. versic. limita secundò.

Quod item procedit, etiam interveniente necessaria causa, nam & tunc sine iudicis auctoritate, alienare mobilia uxor non potest, ex Palat. ubi supra. §. 68. colum. fin. vers. limita secundò. post Anch. in cap. 1. de constitutionibus.

Et facit, quia cum de contractibus, & quasi contractibus idem sit dicendum, l. 3. §. 1. D. de negotiis gest. & mulier sine viri consensu, nequeat stare in iudicio, nisi de iudicis auctoritate, Ordin. in 3. titulo 32. §. fin. & in iudicio quasi contrahitur. l. 3. §. idem. D. de peculio. ita nec contrahet nisi iudice permittente, cum vir longius absit, ex Palat. ubi supra. & merito. In hoc enim interponet iudex suam notionem, utrum ita mente capta sit, & alienata, ut rebus suis interesse non possit, Ordin. in libro 4. tit. 6. §. 2. & an ita impudicè & luxuriosè vivat, ut illi rerum suarum administratio magis sit interdicens, quàm distractio, aut verius dissipatio permittenda, juxta l. & mulieri. D. de curator. furiosi. qui text. etiam in nupta procedit, secundum Andr. Sicul. in cap. Pastoralis, colum. 6. de iudiciis. quem sequitur Palat. in repet. cap. §. 21. incipit, ex hic. colum. pen. vers. finaliter.

Quod verò dicimus de necessaria causa, intellige de iure nostri Regni; nam iure communi, illa interveniente, potest uxor alienare, & contrahere de mobilibus, non spectato consensu viri absentis, nec iudicis, per d. l. velles. & tenet Soares tit. de las deudas. num. 3. vers. septimò limita. & Aymon. consil. 12. num. 4.

Ad argumenta in contrarium, respondetur jus nostrum clarè contrarium disponere, & ubi est casus legis, non amplius quærendum est, & leges nostræ jus commune nobis sunt, Gam. decis. 314. n. 6. & non statuta.

Vide etiam per d. Ord. in d. §. fin. iudicatum, maritum non tenei solvere debita uxoris, quæ contraxerat durante matrimonio, ex pecunia mutua, quam petierat, sine consensu mariti, & eo incio; ne ita per indirectum legi fraus fieret.

## DECISIO CVII.

Assignatur ratio ad Ord. libr. 4. tit. 77. §. penultimo.

## S U M M A E.

1. Emphyteusis perpetua, reputatur hereditaria, & inter heredes dividitur: & iure communi attento per regiones, & pro hereditariis portionibus dividebatur.
2. Emphyteusis perpetua, etiam irrequisito domino dividi potest, nec de tali divisione solvitur laudemium.
3. Emphyteusis, de iure nostro Regia, dividi non potest nisi per estimationem, & tota uni soli heredi est assignanda, ne pensio inter multos divisa, confusionem, & difficultatem solutionis inducat.

Emphy-

- 1** Emphyteusis perpetua hereditaria reputatur, & ideo inter heredes dividitur, Ord. lib. 4. tit. 77. §. penult. & jure communi per regiones dividebatur, l. 2. D. si ager vectigal. & pro hereditariis portionibus, quemadmodum reliqua bona paterna, l. item pradia. ubi Bald. D. famil. erciscunda. auget enim patrimonium, & tertiam defuncti. Alvar. Vaz. de jure emphyteut. quest. 1. & bonorum appellatione comprehenditur, l. bonorum. D. de verb. signific. Ias. conf. 125. lib. 2. Idem Ias. in l. quod dicitur, num. 3. D. de verbor. obligation.
- 2** Adeo, quod etiam irrequisito domino divisio fieri poterat. Ias. in l. ult. n. 114. C. de jure emphyteut. late Felin. in cap. qua in Ecclesiarum. n. 89. de constitutionib. Alex. in l. qui Roma. §. duo fratres, n. 9. D. de verborum obligat. & ibi Rip. n. 86. dicens id communiter teneri, sicuti in feudo fieri afferit glossa recepta in l. si familia. C. familia erciscunda. Imo nec de tali divisione laudemium domino directo solvitur, cum sit alienatio necessaria. Bart. in l. & ideo ad finem. D. de conditione furtiva. Ias. in d. l. ult. num. 47. Bertrandus conf. 380. 2. dub. lib. 2.
- 3** Ceterum, quia lex consulebat, ut ab hujusmodi divisionibus iudices abstinerent, ne alioqui pensio confunderetur, ut est notabilis text. in l. communi D. commun. dividendo. in principio. ideo Regia nostra lex secuta illud Jurisconsulti consilium statuit, ne talis emphyteusis dividatur, nisi per aestimationem, & tota uni soli heredi assignetur: quae assignatio (nostri vocant, *encabeçamento*) seu incapitatio, debet fieri servata forma d. §. penult. in quo voluit providere dominis directis, ne si pensio divideretur inter multos, confusionem, & difficultatem solutionis induceret, juxta text. d. l. communi, & in l. plane. D. familia erciscunda. Quod notandum est.

DECISIO CVIII.

An pater possit uni ex filiis causa dotis, dare meliorem proprietatem, ex suis bonis?

S U M M A.

- 1.** Pater potest dotare uni ex filiis meliorem proprietatem suorum bonorum. Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Ibidem. Pater potest de una re disponere in extraneum, dum tamen filiorum legitima salva maneat in aliis rebus. Ibidem. Pater, & filius, una & eadem persona censetur. Ibidem. Pater de jure natura est filio obligatus. Ibidem. Filius, quoad patrem, semper praefertur extraneo. Ibidem.
- 2.** Supplementum legitima filiorum, ex bonis & substantia patris fieri debet.
- 3.** Si pater in vita sua rem aliquam in dotem filio dederit, mortuo patre, filius tenetur rem ipsam cum fructibus collectis a die mortis patris conferre, ut ceteri filij & in tali re, & in fructibus suas habeant portiones. Filius potest rem illi a patre dotatam, in suam legitimam computare, si illi fieri possit sine prajudicio aliorum fratrum. Ibidem.

- 4.** Quae dicatur inofficiosa donatio.
- 5.** Si res filio dotata excesserit valorem sua legitima, & tertiam partem dotantis, in residuo habebunt ceteri filij suam legitimam. Filij non possunt cogi, accipere supplementum suarum legitimarum in pecunia, nec in aliis bonis, etiamsi pater id jubeat in suo testamento. Ibidem.
- 6.** In legitimis filiorum nullum gravamen, nec conditio prejudicialis poni potest. Licet testator in testamento suo prohibeat rei alienationem, talis prohibitio nec creditoribus, nec filiorum legitimis praedificabit. Ibidem.
- 7.** Filij non tenentur adimplere voluntatem patris, si illis in testamento jusserit, quod filio dotato vendant suas portiones, quas habent in re illi dotata.
- 8.** Quando res non potest commode dividi, iudex ex officio potest illam adjudicare uni soli heredi, & cogere alios fratres, ut ei vendant portiones, quas in re habent.
- 9.** Quando legitima filio assignatur, in rebus per illum optatis, debet eas eligere civili modo, & secundum arbitrium boni viri. Si vivente testatore, qui tertium suorum bonorum legaverat, plura bona sint acquisita, an etiam tertia, ex bonis acquisitis, legatario debeatur, remissive. Ibidem.

**D**icendum est in hac quaestione, quod pater potest uni ex filiis dotare unam proprietatem ex suis, Ordin. lib. 4. tit. 77. §. 1. notatur in l. filium quem habentem. C. famil. erciscunda. & in dicta lege non distinguitur, an sit melior aliis necne; igitur nec nos distinguere debemus. l. de pretio. D. de publiciana in rem actione. Facit in confirmationem dictorum id, quod Bald. dicit in l. 1. colum. 1. versic. sed pone. D. de rerum divisione, quod pater potest etiam in extraneum disponere de una re sine eo, quod filius possit dicere, quod vult in ea legitimam suam, dum tamen legitima filij salva maneat in aliis rebus; & ibi non distinguit, si erat res melior suorum bonorum: & si hoc potest disponere quoad extraneum, a fortiori potest quoad filium, cui pater est magis amicus, & est una, & eadem persona naturaliter cum eo, juxta gloss. in l. quidam cum filium, in principio, D. de heredibus instituendis. & in l. fin. C. de impuberum, & aliis substitutionibus. ratio cuius ei magis debet, quia voto eius, & jure natura est ei pater obligatus juxta l. & si parentibus. D. de inofficioso testamento. quapropter semper filius, quoad patrem praefertur extraneo, ut in l. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testamen. & in l. cum acutissimi. C. de fideicommissis. Ex quibus in hac quaestione dicendum est, quod pater potest filio dotare meliorem rem suorum bonorum.

An autem hoc casu, possit pater aliis filiis praecipere, ut quod deest ad supplementum suarum legitimarum, quod in illa re dotata eis contingit, quando alia bona non supersint, habeant in pecunia numerata, aut in aliis bonis, quae eis per filium dotatum dentur; Dicendum videtur, quod pater id non possit facere: nam supplementum legitima filiorum fieri debet ex bonis, & substantia patris,

juxta text. in l. scimus, §. 1. vers. repletionem. C. de inofficios. testam. & ibi Bart. Bald. & Iaf. colum. 2. versic. quinto nota. & confirmatur hoc ex dicto Bart. in l. fuis quoque. colum. fin. D. de heredibus instituend. dicentis, quod si pater reliquit filio certam quantitatem jure institutionis, & filius dicat, nolo illam quantitatem, sed quantum illa valet, in aliis bonis, quod filius debet audiri; concludendo, quod filius habebit legitimam, in qualibet re hereditaria, arbitrio boni viri.

3 Facit item in confirmationem prædictorum, Ord. lib. 4. tit. 77. §. 1. ubi dicit quod quando pater in vita sua dederit proprietatem aliquam uni ex filiis in dotem, is filius patris tenebitur talem rem conferre cum fructibus collectis à die mortis patris, ut ceteri filij in tali re, & in fructibus habeant suam partem: & quamvis, is filius possit hanc rem in suam legitimam computare, ita ut & illam potest conferre, ut in l. quoniam novella. C. de inofficioso testam. hoc intelligendum est, sine præjudicio aliorum fratrum, id est, quando illi in aliis bonis hereditariis possint salvas habere suas legitimas; & hoc respectu revocantur donationes inofficiosæ à patre factæ aliis filiis quatenus tangunt legitimas filiorum aliorum, juxta notata ad l. si totas. C. de inofficiosis donationibus, & in l. Titia. §. Imperator. D. de legat. 2.

4 Et hodie de jure nostri regni ea dicitur donatio inofficiosa, quando excedit legitimam filij dotati, & tertiam patris dotantis; nam in residuo ultra tertiam revocari debet, & suppleri in legitimis aliorum filiorum, juxta Ordin. supra allegatam, §. & se o filio, ou filha, & hoc quando filius dotatus noluerit esse heres, & dote sua contentus fuerit.

5 Dicendum tamen est, quod si dos facta à patre filio, de hac proprietate excesserit valorem suæ legitimæ, & tertiam partem dotantis, in residuo habebunt filij suas legitimas: & si proprietates hæc talis fuerit, ut commodè dividi possit, & non supersint alia bona patris, in quibus legitimas filij habere possint, non poterunt cogi inviti accipere supplementum suarum legitimarum in pecunia, nec in aliis bonis, quæ eis frater dotatus dare voluerit, etiam si pater in testamento suo id jubeat.

6 Et facit pro hoc text. in l. quoniam in prioribus. C. de inofficioso testam. qui habet, quod in legitimis filiorum nullum gravamen poni possit, nec conditio filiis præjudicialis: & ob id inquit Iaf. in l. filiusfamilias. §. divi, col. 2. versic. hinc potes tu. D. de legat. 1. quod in casu, ubi testator potest cum causa alienationem prohibere, hæc prohibitio non præjudicabit creditoribus, nec filiorum legitimis, in quibus filij sunt veluti creditores: nam non obstante tali prohibitione, filius poterit vendere, & alienare, quod acquisiverit de legitima sua, ut per Iaf. ibi.

7 Hinc infertur, quod in præsentis casu filij non tenebuntur adimplere voluntatem patris, quando illis juberet per hoc indirectè, ut filij dotato venderent portiones suas quas haberent in re dotata illi per patrem, nam hoc illis præjudiciale erat: tum quod cogebantur sua vendere, contra regulam traditam in l. invitum. C. de contrahenda emptione, tum propter interesse, quod amitterent; quod considerabile est in affectione ad illam rem, quæ processerit à majoribus suis, juxta l. & si equo. juncta glos-

sa. D. de legat. 1. & in leg. si in emptione. D. de minoribus. Condicio namque favorabilis filio potest ei imponi in legitima, non verò quæ præjudicialis sit, ut in l. multi non nota. D. de liberis, & posthum. & in legat. filius, & ibi Bartol. C. de inoffic. testam.

Quando verò proprietas commodè dividi non possit, imò divisa præjudicaret omnibus, quia res minus valet divisa, quàm integra, ut in l. Mevius. §. fin. D. familia eriscunda, tunc manebit in arbitrio judicis, qui poterit totam rem adjudicare filio dotato, in sua justa æstimatione, & cogere alios fratres, ut suas portiones, quas in illa habent, ei vendant; nam quando res non potest commodè dividi, judex ex officio potest illam adjudicare uni in solidum; & est casus, ubi quis cogitur vendere rem suam, ut in l. 1. & 3. C. communi dividundo, & in §. quedam actiones. Institut. de actionibus. & quando res non potest commodè dividi, potest fieri divisio per æstimationem, juxta text. in l. non amplius. §. fin. D. de legat. 1. Ordin. libro 4. tit. 77. §. E quando os heredeiros.

Et hoc casu, quando res hæc commodè dividi non possit, & fratres nolent legitimas suas nisi in tali re, non debent audiri: quia si quando filio est assignata per patrem legitima in rebus per filium optatis, debet filius tunc eligere civili modo, & secundum arbitrium boni viri, ex doctrina Bald. in l. fin. colum. 8. versic. non obstat. C. de edicto divi Hadrian. tollend. quanto magis in nostro casu, ubi divisio commodè fieri non potest, maximè quia officium judicis hic est potentius, quia potest cogere, quod ex justa causa quis vendat rem suam, & videndus est Bart. in l. in quartam. D. ad l. Falcid. & cons. 34. Paul. cons. 1. volum. 9. idem Bartol. in l. si ita legatum, D. de auro, & argento legato: qui disputat, quod quando aliquis legavit tertiam suorum bonorum, & supervixit, & acquisivit plura bona, an ex illis bonis acquisitis habeat legatarius etiam in tertiam.

## DECISIO CIX.

An repudiatio hereditatis rerum immobilium fieri possit absque uxoris consensu?

### S U M M Æ.

1. Per Ordinationem lib. 4. tit. 6. in principio prohibetur marito alienatio rerum immobilium, absque uxoris consensu.
2. Maritus, non obstante prædicta Ordinatione, potest repudiare hereditatem rerum immobilium, absque consensu uxoris.  
In hereditate nondum adita, nullum jus considerabile quaritur. Ibidem.  
Pupillus potest repudiare hereditatem, auctoritate tantum tutoris interveniente; si tamen hereditas sit jam in bonis pupilli, decretum judicis est necessarium. Ibidem.
3. Ius adeundi non est in bonis communerandum. Ibidem.
3. Intellectus ad l. magis puto, in Paragrapho fundum. D. de rebus eorum, qua sub tutel. vel cura sunt, &c.

Legatum, à morte testatoris, statim recta via transit in legatarium. Ibidem.

Intellectus ad l. qui autem, in §. sed & illud. D. qua in fraudem creditorum, &c.

4. Prælati non potest immobilia Ecclesiæ alienare, nec legatum, nec hereditatem repudiare, sine solemnitatibus à jure requisitis.

Hereditas ipso jure acquiritur Ecclesiæ, ob specialem favorem. Ibidem.

5. Renuntiatio hereditatis, de qua hic, debet fieri in scriptis.

**O**rdin. libro 4. titulo 6. in principio. prohibet marito alienationem rerum immobilium absque uxoris consensu factam: dubium fuit in senatu; an locum haberet, in repudiatione hereditatis nondum aditæ?

2. Et posse maritum facere talem repudiationem non obstante lege Regia, videtur; nam in hereditate nondum adita, nullum jus considerabile quæritur, l. pretia rerum ad medium. D. ad l. Falcid. l. cum heredes, in principio. D. de acquirenda possess. Inde fit pupillum, tutoris auctoritate interveniente, repudiare hereditatem posse, l. pupillorum, C. de repudianda hereditate, & ibi Bald. num. 2. quod non esset, si hereditas nondum adita esset in bonis, l. magis puto. §. fundum. D. de rebus eorum. tunc namque decretum judicis necessarium esset, l. 1. & totus titulus, D. de rebus eorum. Confirmatur hoc ex verbis eiusdem Ordinationis, ibi, *bens alguns de raiz.* Jus autem adeundi non est in bonis: tradit eleganter Socin. in l. qui duos, in princ. num. 31. D. de rebus dubiis.

3. Nec iis obstat text. in d. l. magis puto. Paragrapho fundum. D. de rebus eorum, qui sub tutela, vel cura sunt, quo probatur, repudiationem legati alienationem esse. Respondemus namque id intelligi debere, in repudiatione legati dumtaxat: nam legatum recta via, à morte testatoris, transit statim in legatarium, l. à Titio. D. de furtis. l. servum filij. Paragrapho 1. D. de legat. 1. unde cum legatarij res sit effecta, merito si per illum repudietur, alienatio dicitur; & sic intelligenda sunt verba illius text. ibi, *cum res pupilli sit,* tradit glossa, ibi, *verb. pupilli.* Quamvis hujus textus decisioni non parum etiam obstat l. qui autem, D. qua in fraudem creditorum, in §. sed & illud. quæ tamen lex debet intelligi, quando lex alienationem non prohibet, ut tunc legati repudiatio, alienatio non censetur: neque enim in illo titulo, quæ in fraudem creditorum, alienatio prohibetur, sed tantum alienatio revocatur. Alciatus in l. alienationis verbum. numero 17. D. de verborum significatione. quidquid aliud dicat Iason, in l. legatum. num. 20. D. de legatis 1.

4. Hinc etiam sequitur, quod cum Prælati immobilia Ecclesiæ alienare non possit, sine solemnitatibus, cap. sine exceptione 12. quest. 2. non etiam poterit repudiare legatum, ut receptius esse concludit Alexand. dict. l. legatum numero 3. Felinus in cap. contingit. numero 5. de sententia excommunicat. Cremenf. singulari 124. licet contrarium tenuerit Federicus de Senis cons. 9. Imò neque hereditatem relictam Ecclesiæ repudiare sine solemnitatibus à jure requisitis in d. cap. sine. Constitutum namque est speciali favore Ecclesiæ, ipso jure, eidem hereditatem quæri, l. ultima, ubi Paul. num. 2. C. de sa-

Cabedo Pars I.

cro sanct. Eccles. in specie Augustinus Berous in c. 1. num. 115. de restitut. in integrum. Cum tamen in hereditate relictæ privato, hoc non fit, antequam adita fuerit, repudiari poterit, nec ob id alienatio censetur, juxta supradicta. facit l. alienationis verbum 28. de verborum significat. juncta ratione text. in d. l. pretia rerum. ad medium. D. ad l. Falcid. text. in l. qui autem, in princip. vers. proinde. ibi, & qui repudiaverit hereditatem, vel legitimam, vel testamentariam, &c.

Nec obstat in casu præsentis, in quo agebatur de legitima hereditate ab intestato, dicere, quod renuntiatio in scriptis non intervenit, ut requirit Ordin. libro 3. tit. 45. in principio, ibi, *renunciatio*, nam dicebamus, quod renuntiatio intervenit in actis notarij, termino facto, quod sufficit, & satisfacit Ordinationi illæ, ex traditis per Alvarum Vaz. de jure emphyteutico, quest. 7. numero 17. Gamm. decis. 300. num. 4. Sic conclusum fuit anno 1582. mense Julij.

DECISIO CX.

An tempus obligationis, an solutionis attendatur, in solvenda pensione per emphyteutam?

S U M M A.

1. Facti species.
2. Pensio, secundum mensuram currentem, tempore, quo contractus fuit celebratus, solvenda est. Origo contractus semper attenditur. Ibidem, & numero 3. Valet argumentum de ultima voluntate ad contractus. Ibidem. Consuetudo vim legis obtinet. Ibidem.

**A**nno 1574. quidam agricola in emphyteusim perpetuam à quodam accepit terras incultas, pro certa pensione tritici solvenda die Assumptionis Virginis Deiparæ Mariæ, in mense Augusti sequentis anni de 75. Eodem anno, quo contractus celebratus fuit, modiis certæ mensuræ vocatæ, de cogulo, in nostro regno communiter utebantur: in mense Januarij anno de 75. lata lex fuit in toto regno, circa mensuras, & uti cœperunt modio, de rezoura, ut nunc utuntur: dubitatum fuit, juxta quam mensuram pensio solvenda erat, an juxta eam, quæ currebat tempore contractus, an tempore solutionis?

Et videtur, quod solvenda est pensio, secundum 3 mensuram currentem tempore contractus: nam origo contractus inspicitur, l. tutor. D. de fidejussoribus. Valet etiam argumentum ab ultima voluntate ad contractus, l. à duobus, in princip. D. de operibus, libertorum. & in jure certum est circa testamenta, & in eis contenta, tempus ipsius testamenti considerandum esse, l. uxorem. Paragrapho testamento. D. de legat. 3. l. si ita esset, D. de auro, & argento legat. ubi Bart. Oldrad. cons. 31. & 13. Abb. in cap. olim causam, num. 4. de censibus. Pinel. de bon. mater. in rubrica 1. parte, cap. 3. à num. 21. & 24. & Soar. recept. sententiarum, verbo, Moneta, numero 240. Cephal. cons. 563. à numero 42. & ponderanda verba Bald.

Bald. *conf. 407. num. 14. lib. 1.* ibi, quia sensus verborum nascitur eodem tempore, cum ipsius verbi prolatione. Iaf. in l. cum quid. 1. lectura. n. 29. D. si cert. petat. Purpur. ibi num. 170. Afflict. *decif. 194.* & in specie Iaf. in l. 2. n. 91. C. de jure emphyteutico. & in argumentum pondero Ordinationem lib. 2. tit. 35. §. 44. incipit, Eo prego que os ditos. Facit, & quoddam dispositio quælibet intelligitur rebus sic stantibus, l. quod Servius. ubi gloss. & DD. D. de conditione caus. dat. causa non seq. l. quæro. §. inter locatorem. D. locati. l. cum quis decedens. §. 1. D. de legat. 3. Allegabatur etiam, quoddam sic in regno consuevit fieri, & consuetum vim legis habet, l. nam Imperator. D. de legibus, cum sit optima legum interpretis, l. si de interpretatione. D. eodem.

- 3 Nec obstat, quoddam solutio ex contractu ipso faciendâ erat sequenti anno quo jam altera mensura currebat: nam semper tempus contractus attenditur; solutio autem non est in consideratione, cum censetur facta vigore præcedentis obligationis, ex Cravet. *conf. 158. num. 13.* facit gloss. notab. in l. 1. §. accedit. C. de rei uxor. actio. verb. fecerit. & est communis ex Cephal. *conf. 351. n. 21.* & sequenti. faciunt & tradita per Bart. in l. 1. n. 14. C. de Summa Trinitate & fide Catholica. recept. Alexand. *conf. 37. n. 7. lib. 2.* Roland. à Valle *conf. 100. n. 13.* & valet argumentum de loco ad tempus, & è converso, Everad. loco 40. Sic decisum fuit.

### DECISIO CXI.

An tempus triginta dierum ab Ordinatione præfixum, ad dominos directos deliberandum velintne emphyteusim emere, continuum, an utile sit?

#### S U M M Æ.

1. Terminus triginta dierum ab Ordinatione præfixus, & à jure communi duorum mensium, ad dominos directos deliberandum, velintne rem emphyteuticam emere, pro eodem pretio ab aliis oblato, continuus est.
2. Terminis prædicto elapso, si dominus tacuerit, potest emphyteuta liberè, absque alia nova denuntiatione emphyteusim alienare. Lapsus termini inducit renuntiationem. Ibid.
3. Tempus non currit domino directo, si bona fide litem aliquam moverit: secus si calumniosè id faciat, ad effectum, ut ei tempus non currat.
4. Contrarium tamen judicatum fuit, scilicet, quoddam tempus ab Ordinatione præfixum, esset continuum, licet aliqui senatores contra tenuerint.

1 **Q**uæstio hæc, meo tempore, in senatu agitata fuit, inter monasterium de Chelas, & Sebastianum de Macedo: & videbatur, quoddam terminus triginta dierum præfixus ab Ordinatio. lib. 4. tit. 64. in principio, & duorum mensium in l. ultim. C. de jure emphyt. intra quem domini directi deliberare debent, velintne rem emphyteuticam pro eodem pretio, quod alij offerunt, an dare licentiam emphyteutis, ut emphyteusim possint liberè, in quem velint, alienare, continuus sit, ut probat text. in dict. leg. ultim. facit l. properandum. ubi gloss. verb. trien-

nij. C. de judiciis. Tiraquel. libro 1. retract. §. 1. gloss. 10. num. 40.

2 Adeo, ut elapso prædicto termino triginta dierum, seu duorum mensium, à jure liberè possit emphyteuta, absque alia nova denuntiatione, emphyteusim alienare, cum dominus, qui tacuit post terminum, renuntiare videatur, l. apud eum. C. de censibus. libro 11. l. si eo tempore. C. de remis. pignor. l. cum plures. §. locator. D. locati. tradit Iason. d. leg. ultim. numer. 23. C. de jure emphyteut. Unde tamquam exclusus à lege post tempus, & suo facto, id est, renuntiatione illa tacita, amplius audiendus non est; lapsus namque termini inducit renuntiationem, l. 1. ubi Bald. C. de in integrum resti. notant Doctor. ubi glossa in l. si ego. De negotiis gest. Cum ergo in præsentem denuntiatio judicis decreto, monialibus facta fuerit, & tempus sit elapsum, jam amplius audiri non debent, non obstante lite ab illis mota, & quoddam illa impedita fuerint.

3 Contrarium tamen videtur, nam etsi verum sit, quoddam quando denuntiatio fit directo domino, an velit sibi emphyteusim emere, pro pretio ab aliis oblato, & ipse malitiosus, & calumniosus dilationibus, seu aliqua lite, quam movet, ad illum effectum, ne ei tempus currat, non efficiat, quominus prædictum tempus currat, l. cum quidam D. de bonorum possessione, & in leg. quod Servius, D. quod vi aut clam: & id maximè præsumatur, si in lite succumbat, l. tutor, vel curator. D. de administratione tutorum. l. negotium, in principio. D. de appellat. tradit Faber in §. qui autem. instituit. de excusat. tutor. quem sequitur Igneus in leg. dudum. colum. 3. C. de contrahend. emptione. Tiraq. ubi supra. §. 1. glossa 10. num. 41. tamen si præter hanc præsumptam fraudem dominus directus, bona fide litem aliquam moverit, tempus ei non currere certius est, ut in retractu circa annale tempus, tenet Faber ubi supra, numero 40. pro quo facit d. l. contra majores, & quæ ibi tradunt Doctores.

Cum ergo moniales litem illam priorem moverint, à qua postea partes recesserunt, & alium judicem adierint, ut constabat, & iterum eisdem alia denuntiatio facta fuerit, adversus quam ab eisdem exceptiones sint oppositæ, & lis duraverit adhuc, in qua nulla fraus colligitur: imò ex altera parte judicium mutatum fuit inter alias personas, & inter has parum in lite moratum fuisse, quoddam aliquando præsumptionem fraudis inducit, l. 3. D. qua in fraudem creditorum, tempus eis currere non videtur, & audiendæ sunt, & pretio soluto emphyteusim habere: & cum reus semper debitum suum possit habere, non ei fit præjudicium. Nec obstat tempus à lege præfixum esse continuum. Respondetur namque, id esse intelligendum, postquam incipit currere, non verò si aliquo impedimento quiescat, ut hic contingit. Iaf. in d. l. contra majores, num. 6.

4 Contra moniales tamen sententia lata fuit, & judicatum, quoddam tempus continuum erat, & jus currebat, licet aliqui senatores contrarium tenuerint.

### DECISIO CXII.

An quilibet de populo possit impugnare electionem officialium oppidorum, quæ fit per præsides provinciarum?

S U M M Æ.

## S U M M Æ.

1. Quilibet de populo potest impugnare electionem officialium oppidorum, qua fit per Præsides provinciarum.  
Quod intelligitur solum contra promovendos, quod si ad officia seu dignitates jam fuerint promoti, ille solus, cujus interest, potest electionem impugnare. Ibid.  
Qui servit officium, quod vetante lege regia servare non potest, puniri debet in sindicatu. Ibid.
2. Electus, pendente lite, officij exercitium habere non debet, nisi id inchoaverit exercere.

**S**æpè etiam vidi dubitatum de tali dubio. Præsides provinciarum, quos Corregedores vocamus, electionem officialium faciunt, juxta Ordinationem libro 1. titulo 45. §. 1. Contingit aliquando, quod aliqui de populo, contra electos aliqua apponunt impedimenta, & obstacula ad impediendam electionem, seu de omnibus electis, seu de aliquibus, & ut de novo fiat: dubitatum fuit, an admitti debeat quilibet de populo: & erat casus is.

Scriba pupillorum, ex Ordinatio libro 1. tit. 64. Paragrapho ultim. non potest esse iudex ordinarius per electionem: electus quidam fuit, & exercebat officium iudicis ordinarij, & erat etiam simul scriba pupillorum: unus de populo ad Præsidem ivit, & petiit, ut illum ab officio iudicis removeret, quia vetabat prædicta Ordinatio servare illa duo officia. Præsides illum non admisit: gravaminis instrumentum interposuit ad senatum supplicationis, in mense Junij anno 1501. scriba Ferdinando Maciel.

Dicebam, quod impugnatio electionis factæ de hujusmodi officialibus cuilibet de populo competit, l. si reus delatus, §. ultim. ubi gloss. D. de numeribus, & honoribus. tradit Avendanus de exequendis mandatis. libro 1. cap. 19. numero 27. Quod intelligitur contra promovendum ad officium, non verò contra jam promotum: sic limitat Rebuff. in l. uni. C. de sententiis, qua pro eo, quod interest, proferruntur, notab. 9. numero 9. & allegat Anton. de Butrio, in cap. ex parte A. de testibus. Barbat. conf. 64. colum. 1. volum. 3. Quod notandum est: contra namque jam promotum, solus ille admittitur, cujus interest; & is qui servit officium, quod aliàs servare non potest, vetante lege Regia, puniri poterit in sindicatu; ut in casu nostro scribæ pupillorum, casum hunc vidi bis in senatu decisum; & hac distinctio tenenda est.

2. An autem opponens se alicui electioni, electus pendente lite, exercitium habere debeat? dic, quod non, si non inchoavit exercere, l. qui status. D. de re militari: secus si inchoavit, leg. 1. §. pen. D. nil novari appell. pend. Avilesius Prætor, cap. 5. verb. Suspendidos, num. 4.

## D E C I S I O CXIII.

Utrum liceat pacisci, aut transigere in causa criminali?

## S U M M Æ.

1. Pacisci de crimine cuilibet licitum est, non solum in privatis criminibus, sed in publicis, & capitalibus, & in aliquibus etiam, sive sanguinis pœnam irrogent, sive non.
2. Pactum hoc fieri potest, vel post accusationem, vel ante: si verò post cœptam accusationem fiat, legitime coram iudice fieri debet; apud nos tamen sufficit in actis, vel per Scripturam publicam.
3. Pactum hoc in criminibus privatis, non solum proficit ad impediendam accusationem, sed etiam iudicem, ne ulterius ex officio procedat: secus in publicis criminibus, qua publicam requirunt vindictam.
4. Accusato, in criminibus publicis, licet transigere, accusatori verò non, nisi crimina talia sint, qua pœnam sanguinis non ingerant.  
Cui libet licet redimere sanguinem suum. Ibidem.
5. Quod etiam procedit, sive transactio fiat ante accusationem, sive postea solemniter fiat.
6. Transactio in criminibus publicis illum tantum habet effectum, ut accusator amplius accusare non possit; non tamen tollit, quin iudex ex officio procedat, vel alij accusent, quibus de jure competit accusatio.
7. Transactio fieri non potest in crimine adulterij.
8. In criminibus publicis, qua sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet, & si transactio fiat, non valet, & accusator potest accusationem repetere, de jure communi intra triginta dies; & intra decem de jure regio: dummodo tamen prius acceptum pretium refundat.
9. Crimen falsi, licet regulariter sanguinis pœnam non irroget, aliquando tamen ingerit: & ideo de eo licet transigere.
10. Sicut in crimine privato potest pacisci gratuito, ita transigere pro pretio & pecunia.

**P**acisci de crimine, id est, per pactum gratuitum remittere accusationem sibi competentem cuilibet licitum est: non solum in criminibus privatis, quæ nullam vindictam requirunt, l. 2. in fine. C. de abolitionibus. faciunt argumenta relata à Bart. in l. transigere. numero 14. C. de transactionibus, sed etiam in criminibus publicis, etiam capitalibus, d. l. transigere. in principio. & etiam in aliis publicis, sive irrogent pœnam sanguinis, sive non, d. l. transigere, versic. in aliis autem. ubi transigere tantum prohibet, non pacisci, & d. l. 2. §. 1. C. de abolitionibus. facit l. qui cœtu, §. fin. D. ad l. Iul. de vi publica. l. si maritus. §. si negaverint. D. de adulteris. ubi licet renuntiare accusationem de adulterio; & reducere in domum adulteram uxorem. §. adulteram, in Authent. ut nulli iudicum, & in Authent. ut liceat matri, & avia. §. fin. collat. 8. ibi, aut amicabile compositione, & in Authent. sed hodie. C. de adulteris, & hoc jure utimur, secundum expressam Ordinationem lib. 5. tit. 15. §. 2. quidquid dicat glossa, & Bartol. in d. l. transigere.

Amplia, sive tale pactum gratuitum fiat post cœptam accusationem, sive ante, per d. l. 2. & alia jura, quæ non distinguunt tempus, & est dicta nostra

Ord. Intellige si modò fiat legitimè coram iudice post cœptam accusationem, *d. l. 2. in princ.* apud nos autem sufficit in actis, vel per Scripturam publicam.

- 3 Amplia proficere tale pactum, non solum ad impediendam accusationem, sed etiam iudicium: quod intellige in delictis omnibus privatis, quæ nullam requirunt vindictam publicam; aut in quibus iudex non tenetur ex officio procedere. In aliis autem, quæ ista requirunt, non tollit illud pactum quominus iudex ex officio procedat, etiam ex eodem processu, ut sunt apud nos illa crimina in quibus intervenit ex vulnere deformitas, aut membri læsio, aut propositum, quia in his iudex procedit ex officio, non obstante remissione, & pacto accusatoris, *Ord. lib. 5. tit. 42 § 4.*
- 4 In criminibus autem publicis licet transigere accusato, secundum gloss. *2. d. l. transigere.* Quoad accusatorem verò distingue, aut crimen publicum est capitale, sive tale quod pœnam sanguinis irrogat; in his licet transigere: ratio est, quia cuilibet licet redimere sanguinem suum, *l. 1. D. de bonis eorum, qui sibi mortem consciverunt*, unde sicuti relictet transigere in his criminibus pro redimenda vita, aut statu, aut pœna sanguinis; ita & accusatori pro evitanda eadem pœna talionis, ad quam tenetur si non probet, *l. 1. C. de accusationib. l. 1. C. de calumniator.* ita Bartol. *in d. l. transigere. in principio 1. & 2. lectura.*
- 5 Amplia sive ante accusationem, sive postea, quia utrobique militat eadem ratio; intellige si post accusationem solemniter fiat, *d. l. 2. in principio.*
- 6 Intellige tamen procedere quoad hoc tantum, ut accusator amplius non possit accusare, non tamen tollit, quin iudex ex officio procedat, *l. 2. §. secundum autem, C. de abolitionibus*, aut alij prosequantur, quibus de jure competit etiam accusatio, ex Bart. *ubi supra 2. lectura. col. 2. ad medium*, ibi, *aut quaritur numquid, qui melius loquitur, quàm in prima lectura. num. 7.* Nunc ad propositum.
- 7 Fallit ista regula in adulterio, per *d. l. transigere.* fortè, quia in eo non ita tenet accusator ad pœnam talionis, & cessat illa iusta causa transigendi; vel dic propter frequentiam, & odium delicti.
- 8 Aut verò crimen publicum non irrogat pœnam sanguinis, & de hoc non licet transigere per *dict. l. transigere. versic. in aliis autem*, ratio est, quia cessat illa causa iusta transigendi, scilicet metus pœnæ talionis; & ista causa cessante, turpiter facit, qui pro pecunia desistit ab accusatione iusta, & prosecutione vindictæ publicæ; & multò turpius, si ab accusatione iniusta: à qua gratuito potius debuit recedere. Quòd si dubia erat lis, tantumdem dico: quia accusationem, quæ dubiam habuit probationem, potius gratis, quàm pretio debet desistit. Unde si in his casibus interponatur transactio, non valet, & idem accusator poterit repetere crimen, si modò refundat priùs pretium, quod accepit, & redeat intra triginta dies de jure communi, *l. aut privatim, §. 1. D. ad Senatusconsult. Turpilianum*, aut intra decem, ex nostra *Ordinat. libro 5. titulo 1. §. 11.*
- 9 Fallit ista regula in crimine falsi, quia licet regulariter pœnam sanguinis non irroget, aliquando tamen irrogat, & semper ingerit maximam infamiam notam, quæ æquiparatur sanguini; unde pro vitanda ista talionis pœna licet de eo transigere.

Aut etiam crimen est privatum, & sicut de hoc potest pacisci gratuito, ut supra dixi, ita etiam & transigere, sive pretio, sive pro alia pecunia: ratio, quia offensus accipit satisfactionem suæ injuriæ, qua accepta non videtur dimittere accusationem turpiter, nec tollit, quominus iudex ex officio procedat, si lege, vel statuto ad hoc teneatur: ita probat text. *in l. 2. C. de abolitionibus, num. 2. & 3. respons.* Quæ omnia quotidiana sunt, & vide de materia latè doctissimum Barbosam, *in l. 2. 1. part. in princ. num. 105. & sequentibus, D. solut. matrimonio.*

## DECISIO CXIV.

An mulier quinquagenaria possit maritum ad emphyteusim nominare? circa intellectum *Ordin. lib. 4. tit. 75. §. ultim. ad finem.*

### S U M M Æ.

1. Mulier quinquagenaria secundo loco nubens, si descendentes habeat, non potest marito relinquere ultra tertiam bonorum, nec eidem communicare, nec alio quocumque titulo alienare.
2. Hoc tamen locum non habet, quando maritus quinquagenarius, uxorem non quinquagenariam ducit.  
*Si correlativorum diversa fit ratio, diversa etiam debet esse juris dispositio. Ibidem.*
3. Sicut mulier quinquagenaria non potest ultra tertiam bonorum marito relinquere, ita nec uxori maritus.
4. An quemadmodum mulier quinquagenaria habens emphyteusim virum nominare non potest: vir etiam eandem nominare non possit ad emphyteusim, quam ipse habet?
5. Quod in uxore dispositum est, intelligitur etiam in viro dispositum, & è contra.  
*Privilegium concessum uxori, videtur etiam marito concessum, & è contra. Ibidem.*
6. Regula hac etiam habet locum in statutis.
7. Prædicta regula admitti non debet, si in correlativis (videlicet in marito, & uxore) diversitas, & disparitas rationis invenitur.
8. Mulier quinquagenaria regulariter concipere non potest.  
*Viri licet quinquagenarij, & etiam sexagenarij ad concipiendum habiles reputantur. Ibidem.*  
*Masinißam senem, in octuagesimo suæ ætatis anno filium generasse fertur; quod & Catoni Censorino octingenario accidisse legitur. Ibidem.*  
*Ius præsumit senem sexaginta annorum generare non posse. Ibidem.*
9. Mulieris ingenium mobile ac mutabile est, hominis verò firmum atque constans.
10. Assignatur vera decidendi ratio *Ordinat. in 4. tit. 75. §. ultimo ad finem.*
11. Ratio Ordinationis militat tam in uxoribus, quàm etiam in maritis.
12. Casus qui continuativè ponitur, eandem decisionem, quam antecedens in totum habere debet.



13. Quando aliquid per legem fieri permittitur, id intelligendum est, nisi id alia lege prohibitum reperiatur.

Licet unicuique liberum sit, si descendentes, vel ascendentes non habeat, cui voluerit sua bona relinquere: hoc tamen non licet mulieri quinquagenaria secundo nubenti, etiam si filij postea moriantur, & illos habere desinat, nec alios descendentes, imò ad collaterales hereditas perveniat. Ibidem.

14. Hoc etiam habet locum in viro, ubi nulla datur communicatio bonorum.

15. Vir quinquagenarius habens emphyteusim potest ad illam nominare mulierem non quinquagenariam, secus si quinquagenaria sit.

16. Mulier quinquagenaria nubens viro non quinquagenario, quemadmodum illa non communicat ultra tertiam, nec vir itidem communicabit.

17. Sicut mulier quinquagenaria, quæ habet bona emphyteutica nominationis, non potest ad illa virum nominare: sic etiam vir habens bona similia uxorem nominare non potest.

18. Mulier quinquagenaria quæ viro nubit, si bona hæc non habeat, in his terminis potest vir uxorem licet quinquagenariam nominare, si prædicta bona habuerit.

19. Mulier quinquagenaria si nihil habeat in bonis, quod viro communicet, vir autem habeat, poterit sua bona eidem uxori communicare.

**C**irca hanc Ordinationem aliqui casus considerandi sunt. Primus est, quando mulier quinquagenaria, quæ descendentes habet, secundo loco nubit: tum namque marito ultra tertiam bonorum suorum relinquere nullo modo potest: nec eidem communicare prædicta bona, nec ultra prædictam tertiam, bona quæcumque titulo aliquo alienare.

2. Secundus casus est, quando vir aliquis quinquagenarius uxorem ducit non quinquagenariam, tunc namque Ordin. hæc locum non habet, nec correlativorum ratio, quæ hoc casu diversa est, illi adaptari potest: vir namque quinquagenarius ad generandum habilis est, mulier autem quinquagenaria ad concipiendum regulariter non ita, l. si major. C. de legitimis heredibus. & hoc casu ubi diversa correlativorum ratio est, cessat regula illa, quæ habet, ut in uno dispositum, in altero etiam dispositum censeatur, de qua in l. ultima. C. de indicta viduitate tollend. latè Rip. in rubr. num. 7. de acquirenda possessione, Dec. in l. 1. numer. 1. C. de secundis nuptiis. post Paul. in d. l. ultima. in fine principij. Et hoc quidem casu fatendum est, Ordinationem nostram locum non habere, & in eo militant rationes omnes diversitatis, quas Doctores constituunt, circa correlativum viri, & mulieris.

3. Alius & tertius casus est, quando vir quinquagenarius, vel non quinquagenarius (in hoc namque nullum constituendum est discrimen, si enim vir quinquagenarius sit, à fortiori id locum habebit) uxorem ducit quinquagenariam; hoc enim casu, quemadmodum Ordinatio nostra disponit, mulierem (datis omnibus casibus in illa contentis) non posse viro ultra tertiam relinquere, eo etiam

modo, nec vir eidem mulieri relinquere poterit, tam ex regula correlativorum, ut per Ias. in l. ultim. num. 4. C. de indicta viduitate, & l. Jul. tollend. & in l. non tantum. D. de re judicata, ubi se ita consuluisse testatur, & re vera consultuit, conf. 112. volum. 1. Curt. Junior conf. 6. & in nostro senatu ita sæpè judicatum fuit, teste Gamm. decis. 320. num. 4. quàm etiam ratione mutua societatis inter virum, & uxorem contractæ, l. ultim. C. de crimine expil. heredit. Ordin. libr. 2. tit. 7. Paragrapho 1. esset autem illa leonina, nisi eadem inter socios servaretur æqualitas, & æquale lucrum inter eosdem divideretur, argum. l. si non fuerit. §. Arist. D. pro socio. §. 1. in sit. eod.

Ultimus casus est, quando mulier quinquagenaria emphyteusim habet nominationis, an quemadmodum virum nominare non potest, vir etiam eandem nominare non possit ad emphyteusim, quam ipse habet, seu ipse sit quinquagenarius, vel non?

Hunc ultimum casum vidi in senatu agitatum: & videtur, quòd si vir nubat mulieri quinquagenariae, seu ille sit quinquagenarius, vel non, quemadmodum uxor habens emphyteusim nominationis ex suis bonis, non potest ad illam virum nominare per hanc Ordinationem: ita nec vir possit nominare uxorem quinquagenariam ad emphyteusim, quam ipse habet ex suis bonis.

Et hoc primò ex regula correlativorum, de qua in l. ultim. C. de indicta viduitate, & l. Jul. tollend. ubi Bart. 1. notab. facit text. in l. Julianus. §. si procurator. D. de adionibus empti. l. 1. ubi Bartol. C. de cupressis, lib. 11. tradit Abb. & Felin. latè in proæmio Gregoriano. Iason. in d. l. ultim. in l. non tantum. D. de re judicata: & in specie, quòd dispositum in uxore, intelligatur in viro, & è contra, tenet Bart. in l. 1. in fine principij. D. quòd metus causa, Iason. ubi supra. Gabriel. communium opinionum, libro 6. tit. de legibus. conclus. 3. num. 2. Adeò, ut id locum habeat in privilegiis, ita ut privilegium uxori concessum, marito etiam concessum videatur, & è contra l. non tantum, in fine: ubi Doctores D. de re judicata. Dec. in l. 1. C. de in jus vocando, cum alijs privilegia id habeant, ut strictè interpretentur, nec privilegiati personam egrediantur, cap. privilegium. de reg. jur. libro 6. Paragrapho & quòd principi. institut. de jure naturali.

Habeat ulterius locum in statutis, ut per Ias. conf. 6. fl. 112. vol. 1. & in d. l. ult. Rip. in rubr. num. 7. D. de acquirenda possess. Nos autem non sumus in casu statutorum, sed in casu juris communis, ut sunt Ordinationes Regiæ, quæ nobis jus commune sunt, & latam recipiunt interpretationem, ut per Palat. in repetit. rubrica. §. 68. num. 16. Covarr. practicarum, cap. 27. n. 4. Gam. decis. 314. num. 6.

Quod autem supra diximus, regulam in statutis procedere, locum habet, etiam si hujusmodi statutum pœnale sit, ut tradunt Bald. Salicet. & Paul. d. l. 1. C. de in jus vocando. Gabriel. ubi supra, num. 7. Aymon de antiquitat. tempor. 4. parte, ver. videamus, num. 29.

Cum tamen prædicta regula locum non habeat, si correlativorum diversa sit ratio, ut tradit gloss. ultim. in l. ult. C. de rescindenda venditione. Bart. & DD. in d. l. ultim. C. de indicta viduitate. Rip. d. rubrica.

*brica. numero 7. D. de acquirend. possess. Curtius Iun. numero 6. 8. & 11. Ruin. consil. 174. volum. 1. & consil. 94. volum. 3. & in nostro casu hæc diversitas, & disparitas rationis inveniatur; videtur, quod nullo modo admitti debeat hæc opinio.*

8 Quod autem detur diversa ratio, ex eo patet; nam lex nostra statuens mulierem quinquagenariam, quæ descendentes habet, non posse ultra tertiam, si nubat, marito relinquere, in odium mulierum, & earum libidinem effræandam lata fuit, quæ eo tempore quo nullam proles spem habent viros ducunt, quod magis concupiscentiæ causa, quam sobolis factum videtur, cujus nulla jam spes manet: mulieres namque quinquagenariæ, ut supra diximus, regulariter concipere non possunt, *d. l. si major. C. de legitimis heredibus.* ea autem ratio in viris non militat, in quibus libido hæc, & turpitudine non ita notatur. Insuper viri licet quinquagenarij sunt, imò & sexagenarij, ad generandum habiles sunt, quod & octogenariis accidisse, auctor est *Valerius lib. 8. cap. 14.* qui *Massinissam* senem octoginta sex annorum filium genuisse refert: & *Catonem Censorinum* octogesimo suæ ætatis anno generasse legitur apud *Plinium, libro 7. Histor. natural. cap. 14.* tradit multa *Tiraq. ad ll. connubiales. l. 6. num. 14. Menoch. de arbitrar. libro 2. centur. 1. casu 89. num. 61.* Quamvis tamen, jure nostro dispositum sit, senem annorum sexaginta generare non posse. *l. si pater. §. ult. D. de adoptionibus. Tiraq. ubi supra, num. 12.*

9 Uterius, mulieris ingenium mobile est. *Auth. ut immobilia ante nuptial. donation. collat. 5.* tradit *Bold. in l. 2. C. ne fideiussor. vel mandatores dotium dentur.* estque varium, & mutabile, ut *Poëta* ait: & in blanditiis facillè præsumuntur allici. tradit *Lucas de Penna in l. quicumque. C. de re militari. lib. 12. Chassan. de Burgund. fol. 147. numer. 10.* At viri constantes sunt suapte natura, & sic non possunt ita facillè moveri. Cum ergo diversa sit ratio utriusque correlativi, meritò in muliere dispositum hoc casu, in viro locum habere non debet, & sic pronuntiavit senatus Ordinationem istam in viro locum non habere.

10 At priori opinione retenta, non obstant supra dicta: in primis namque adverte, quod quamvis fragiles sint mulieres, ita ut fragilitas earum, & virorum constantia movere possint legislatorem ad legem istam condendam; tamen præcipuum motivum prædictæ legis fuit filiorum favor: pro quo pondero verba istius Ordinationis, ibi, *tendo filios, ou outros descendentes.* ita ut descendentes habere non sufficiat, quo tempore mulier secundò nupsit: quamvis postea in fine prædicta Ordinatio circa successionem ascendentes nominet. *facit text. in l. pater filium, §. fundum. Titianum. D. de legat. 3.* Si ergo mulier filios non habeat seu descendentes, lex etiam hæc locum non habebit, quamvis ipsa quinquagenaria sit; ergo filiorum favor efficit, ut lex ista lata fuerit: aliter si solum libido mulierum id efficeret, nulla ratio in l. hac haberetur filiorum seu descendendum, ut haberetur.

11 Hæc ergo ratio favoris filiorum tam militat in viris, quam in mulieribus.

Insuper quamvis multæ rationes legislatorem

possint movere, si ex illis aliqua deficient & una maneat firma, hæc sufficit, ut non detur diversitas rationis in casibus illis, super quibus legislator disponit. *arg. §. affinitatis, institut. de nuptiis.* Quamvis igitur in viro deficiat illa ratio libidinis, & altera inconstantia, quæ in muliere reperiuntur; tamen non deficit ista ratio favoris filiorum, quæ sufficit ad hoc, ut dicamus correlativa diversam non habere rationem.

Deinde si rationes supra positæ procederent eo etiam casu locum haberent, quando mulier quinquagenaria filios habens nubit viro non quinquagenario, ut in tertio casu à nobis supra constituto: at in isto casu sæpè judicatum est, & extra controversiam, quod quemadmodum mulier quinquagenaria viro relinquere non potest ultra tertiam, nec is eidem mulieri relinquere possit, ut testatur *Gam. d. decis.* ergo si rationes illæ sufficientes essent, hoc etiam casu illæ militarent; quæ cum non convincant, nec in nostro convincere debent.

Deinde lex nostra casu istum præsentem de nominatione emphyteusis continuativè ponit, post illum præcipuum de muliere quinquagenaria nubente, ut non communicet ultra tertiam: at in illo casu constitutum est, & senatus sententiis diffinitum, locum etiam habere in viro; ergo in hoc ultimo casu, qui continuativè ponitur, eadem decisio in totum habere debet. *arg. regul. text. in l. jam hoc jure. D. de vulgar. & pupillari substitutione.*

Quò si aliquis dixerit, in priori casu id fieri propter mutuam viri, & uxoris societatem; unde si unus non communicat, nec alter communicare debet. Respondemus, quod prioris dispositionis illa erit ratio: secundæ verò, erit ratio correlativorum maximè in nostro casu, in quo damus virum etiam quinquagenarium, & filios habentem prioris matrimonij. Insuper si daremus mulierem hanc quinquagenariam bona emphyteutica nominationis etiam habere, & virum alia etiam habere, nemo negabit ex dispositione Ordinationis hujus, mulierem virum nominare non posse: cur ergo admitteremus virum posse nominare mulierem? nonne inæqualitas magna dabitur.

Deinde demus virum hunc, qui filios habet prioris matrimonij, bona omnia habere emphyteutica, rationibus de quibus supra posset vir iste ad tota hæc bona mulierem nominare, hoc magnum filiis detrimentum erit; ergo, &c.

Quò si quis dicat viro id licitum esse à jure, & sic posse facere: deinde ex natura contractus emphyteutici nominationis, ei permittentis quemcumque etiam extraneum nominare.

Respondemus, id posse facere, si lege ei permittatur. Quamvis namque unicuique liberum sit per legem quid facere, id intelligendum est, nisi alia lege id prohibeatur, ut in casu nostro: liberum erit namque cuilibet nominare ad emphyteusim, nisi in casu, in quo Ordinatio loquitur; illa enim id non permittit. Sic in simili unicuique liberum est, cui velit, sua bona relinquere, nisi habeat ascendentes. *l. 1. C. de sacros. Ecclesiis:* & tamen quando mulier quinquagenaria nubit, & habet filios, si postea moriantur, & illos habere desinat, nec descendentes, ad collaterales hereditas perveniet, ut Ordinatio nostra disponit, & tamen hos poterat mulier

mulier exheredare, nisi lex aliud disponeret.

14. Præterea, in casu ubi communicatio nulla datur, & in statuto, quod strictè interpretatur, respondit Iaf. *conf. 112. volum. 1. & in l. ultima, num. 4. C. de indict. viduit. & l. Iul. tollen. habere locū in viro aliam legem similem huic nostræ.*
15. Fateor tamen, quòd si vir iste quinquagenarius esset, & emphyteusim nominationis haberet, mulier autem esset non quinquagenaria, posset prædictam uxorem ad emphyteusim nominare, quia, hoc casu concedimus non habere locum regulam illam: & in hoc sensu est intelligenda diversitas rationis. At verò quando ipsa quinquagenaria est, quæ vetante Ordinatione Regia virum nominare non potest, cur vir eandem nominare poterit, erit certè inæqualitas. Sit ergo conclusio:
16. Mulier quinquagenaria nubens viro non quinquagenario, quemadmodum illa non communicat ultra tertiam, nec vir itidem communicabit. Est hoc sæpè iudicatum, & patet ex suprâ dictis.
17. Secunda conclusio. Ut mulier quinquagenaria, quæ habet bona emphyteutica nominationis non potest ad illa virum nominare; sic vir habens bona familia uxorem nominare non poterit, ut æqualitas servetur. Est conclusio similis proximæ.
18. Tertia conclusio. Si verò mulier quinquagenaria, quæ viro nubit, bona hæc non habeat, vir autem habeat, cum diversitatis ratio in his terminis detur, nec concurrant illa, quæ de æqualitate suprâ diximus; teneo virum uxorem licet quinquagenariam nominare posse, ad quod maximè advertendum est: sic namque in causa ardua vidi iudicatum.
19. Est etiam advertendum circa hanc Ordinationem: an si mulier quinquagenaria nihil habeat in bonis, quod communicet; vir autem habeat, possit eidem uxori communicare? & videtur, quòd hoc casu, possit vir communicare uxori; & non habeat locum regula correlativorum; idque ex suprâ dictis: non enim tunc definit communicare mulier, ex prohibitione legis; sed ex carentia bonorum, quod diversum est. Insuper hoc casu major est favor filiorum, mulierem esse sociam in bonis mariti. Advertendum etiam est, quòd ista Ordinatio quando loquitur de emphyteusi, solum disponit mulierem non posse maritum nominare; nihil autem disponit, an possit extraneum nominare, ut in casu superiori dixerat. Quod nota.

## DECISIO CXV.

An successor in bonis Regiæ coronæ teneatur ad debita prædecessoris, circa intellectum Ordinationis *lib. 4. tit. 5. §. 1.*

## SUMMUM Æ.

1. Bona Regiæ coronæ concedi solent in nostro regno, vel in perpetuum, vel ad duas, seu tres vitas, vel ad vitam unam solum.
2. Donatio per Regem de novo facta filio ob servitia patris sui, & avi, remuneratoria est censenda.
3. Bona hac donata propter servitia paterna & eius occasione, censentur à patre profecta. Ibidem.
4. Feudum, quod ad fratrem venit, novum non dicitur, quando alter frater, qui illud acquisivit, in

prælio serviendo moritur; sed, utpote remuneratorium, & quasi debitum, ad fratrem venire debet.

4. Donata à Rege, præcipua sunt donatarij, nec ea conferre tenetur.
5. Rex non tenetur subditis servitia remunerare obligatione aliqua efficaci ad agendum. Qui actione aliqua non potest compelli ad solvendum, utpote quia solum naturaliter tenetur; si solverit debitum, repetere non potest. Ibidem.
6. Quamvis bona ex nova Regis donatione, occasione tamen ipsius patris filio concedantur, non censentur de novo concessa.
- Filij, & nepotes qui in bonis Regiæ coronæ hereditarie succedunt, utpote quia eis perpetuo donata sunt, intra sex menses à morte ultimi possessoris, rescriptum Regium confirmationis per successionem impetrare debent, ut semper eis nova à Rege concessio, & donatio facta videatur. Ibidem.
7. Successor in dignitate, an teneatur ad debita contracta per prædecessorem, remissive.
8. Succedens in bonis Regiæ coronæ, seu in feudo, repudiata hereditate, non tenetur creditoribus: de iure autem Regio solum tenetur ad debita contracta in honorem dignitatis, seu conservationem status.
9. Bona Regiæ coronæ non habent naturam feudorum.
10. Successor in bonis Regiæ coronæ, ex nova Regis donatione, non tenetur ad debita prædecessoris, exceptis casibus in Ordinatione contentis, secundum aliquos, sed contra iudicatum fuit.

**R**ex Henricus nobili cuidam viro donationem de novo bonorum quorundam Regiæ coronæ fecit; quæ tamen morte patris in bello Africano occisi, ad coronam Regiam redierant: per hæc verba, *Avendo respeito a os serviços de seu avo, & de seu pai.*

Dubium fuit maximum: An filius, cui donatio horum bonorum novè facta fuit, quæ tamen per mortem avi ad eius patrem, & per mortem patris ad coronam Regiam devenerunt, è qua iterum, & novè filio sunt donatione Regia data, obligata maneat ad servitia, & alia contenta in hac Ordinatione, juxta eius dispositionem.

Et præsupponendum est, in nostro regno, bona coronæ solere concedi per Regem vel perpetuo, quod vocamus, *de jure & herdade*, vel ad duas, seu tres vitas, vel ad vitam unam solum. Ordinatio *libro 2. titul. 18. §. 1. not. Alvar. Vaz. de jure emphyteut. quest. 50. num. 23.*

Secundò præsuppono, hæc bona data fuisse per novam donationem huic nobili, ob servitia tamen eius patris, & avi, quæ servitia assertionem Regis probantur, ex verbis donationis, quod sufficit, cum in eis fundetur donatio, notatur ad *Clement. 1. de probat. cap. ad audientiam de præscriptionib. ubi Abbas colum. 2. versicul. nota tertio. Paul. conf. 4. 4. libr. 1. Burgos de Pace, conf. 25. n. 18. lib. 1. & sic remuneratoria est hæc donatio, l. Aquilius. D. de donationibus, l. sed etsi lege. §. consuluit D. de petitione hered. est enim potius compensatio. Tiraq. l. si unquam, verb. donatione largitus, num. 111. C. de revocand. donationibus.*

bus. Covarr. in cap. cum in officiis, num. 10. de testamento. Et sic bona hæc donata propter servitia paterna, & eius occasione, censentur à patre profecta. gloss. ubi Bartol. & DD. in l. cum oportet. C. de bonis qua liberis. facit text. in §. igitur. versicul. sancitum. institut. per quas personas nobis acquiruntur. ubi glossa notat. faciunt quæ tradunt Doctor. in l. sed & si plures. §. in arrogato. D. de vulgari & pupill. substituit. ubi Bart. & Ias. numer. 8. Palat. in rubr. §. 44. Alciat. de præsumptionibus. reg. 1. præsumpt. 18. Rolan. à Valle conf. 10. num. 8. lib. 1.

3 Accedat in confirmationem text. optimus in cap. 1. de beneficio fratris in feud. ibi, in hostem Regis. ubi Bald. notat, quòd feudum ad fratrem venit, nec dicitur novum, quando alter frater, qui illud acquisivit, in prælio serviendo moritur: tunc namque, utpote remuneratorium, & quasi debitum, à fratre præmortuo ad alterum fratrem venire censetur.

4 Non obstat, quòd donata à Rege præcipua sunt donatarij, nec conferuntur. Ordin. libro 4. titul. 77. Paragrapho 8. l. cum multa. C. de bonis qua liberis. Nam id intelligo ad effectum collationis, ut loquuntur illa jura, non verò ut inde argumentum sumatur ad nostrum casum. Est namque Ordin. ista lib. 4. titul. 35. §. 1. à juris communis regulis exorbitans. Costa de successione regni. pagin. 143. & sic, ut novum jus inducit in uno casu, sic & in alio poterit aliam rationem habere diversam ab alia dispositione Ordin. d. libr. 4. tit. 77. §. 8. voluit namque Ordinatio hæc favere defunctorum animabus, ut solverentur debita in illa contenta per successores: quæ ratio in nostro casu militat, aut saltem diversa est ab illa, quam habuit Ordinatio d. tit. 77. Costa ubi supra.

5 Nec etiam obstat, quòd Rex non tenetur subditis servitia remunerare, obligatione aliqua efficaci ad agendum. Afflict. decis. 307. n. 5. Esto namque ita sit; cum tamen Rex id in præsentis casu voluerit facere, negari non potest, quòd remunerando solvit quod debebat, ut in simili, qui non habet efficacem actionem ad agendum, ut quia ei naturaliter solùm aliquid debetur, si tamen solvat, non repetit. l. quod pupillus. l. naturaliter. ubi gloss. D. de condict. indeb. l. 1. D. de novationibus, cum aliis. & sic ex eo quòd Rex voluit servitia paterna remunerare, quodammodo debitum agnovit, & tamquam debitum, à patre provenire intelligendum est.

6 Et quamvis ex nova Regis donatione, bona in præsentis casu filius haberet, tamen ad illum certum est, quòd venerunt occasione ipsius patris, ut ita Ordinationis verba, hoc titulo 35. §. 1. ibi, aquelle à que asi as ditas terras vierem, in reo locum habeant; & hæc proprie nova concessio non videtur, ex iis, quæ supra diximus.

7 Addo etiam, quòd in filiis, seu nepotibus, ad quos ex donationibus regis, bona Regiæ coronæ venire debent, ut quia (de jure) eis donata sunt, illud necessarium sit, quòd intra sex menses à morte ultimi possessoris rescriptum Regium confirmationis, per successionem impetrare debent, Ordin. libro 2. titulo 18. §. 1. faciunt tradita per Suar. in l. quoniam, folio 357. in parvis. ut sic semper nova eis à Rege concessio, & donatio facta videatur. Et tamen in his ita succedentibus, nemo dicit Ordinationem

Regiam d. tit. 35. §. 1. locum non habere, imò est proprius illius legis casus: ergo à simili, & in nostro hoc, idem dicendum videtur, cum etiam si succedat filius ex nova concessione, tamen fundatur in servitiis patris, & avi, ut sic ab illis provenire bona videantur, quæ bona jam fuerunt avi, & patris, licet ad vitam tantùm uniuscuiusque donata à Rege essent, & per mortem vacarent, ut supra dictum fuit. Quando namque Rex bona hæc ad Regiam coronam revocare non vult, donat illis, ut plurimum, quorum prædecessores bona illa donata habuerunt, & vacarunt; idque ex Regis liberalitate, ut ex Ordin. lib. 2. tit. 17. §. 12. notat Costa de success. regni. pag. 72. ut sic quodammodo semper hæc bona venire censentur, licet ex nova concessione, ab illo, cum ea ratione motus Rex donationem de novo faciat.

Ultimò adducebantur tradita per Doctores, & ibi Sicul. n. 5. in c. 1. de solution. & in c. significavit. de rescriptis. Lucas de Penna in l. 2. C. de fundis rei privat. & salt. divina domus. lib. 11. col. 2. & 3. ubi latè tractat, quando successor in dignitate teneatur ad debita contracta per prædecessorem.

Nec obstat text. qui in contrarium allegari potest in cap. 1. an agnatus in feud. Respondebatur namque, quòd Ordinatio nostra correctoria est illius text.

Secundò respondebatur, quòd non faciebat in contrarium, imò similis erat Ordinationi aliquo modo: conclusio enim illa vera est, quòd succedens in bonis coronæ, seu in feudo repudiata hereditate (quo casu id facere potest, ut latè per DD. ibi) non tenetur creditoribus. At Ordinatio nostra in hoc, mediam viam elegit, ut solùm tenerentur ad debita contracta in honorem dignitatis, seu conservationem status, ut in casibus in ea contentis; in his ergo casibus, in quibus Ordinatio nostra à jure communi deviat, dicimus non esse discrimen, an successor succedat ex nova concessione, seu ex ea, quæ patri, seu avo facta erat.

Tertiò respondemus, illa jura feudorum non trahi rectè in argumentum, cum speciales habeant consuetudines. Vaz. de jure emphyt. q. 39. num. 19. bona autem Regiæ coronæ non habent naturam feudorum. Ordinatio lib. 2. tit. 17.

Hæc aliquorum fuit sententia in duobus processibus similibus; sed contra judicatum fuit, quòd hoc casu, dispositio hujus legis locum non habeat.

## DECISIO CXVI.

Concubina utrùm possit à concubinario petere mercedem operarum, quas illi præstitit.

### SUMMMUÆ.

1. Concubina non potest petere mercedem operarum, quas concubinario præstitit, nec ab eius heredibus, & sic in senatu fuit judicatum. Vbi ex parte dantis, & accipientis versatur turpitudò, cessat repetitio. Ibidem.
2. In pari causa turpitudinis, melior est conditio retinentis, sive possidentis. Ibidem.
2. Datum pro turpi amicitia, non competit actio ad repetendum.

3. Intel-

3. *Intelligitur dictum Cyni, & Bartoli, & aliorum, quatenus dicunt, quod concubina potest petere legatum servitij.*  
*Legatum, donatio, seu promissio, pro servitio turpiter exhibitio, non valet. Ibidem.*
4. *Arrestum senatus supplicationis in hac materia.*

**C**oncubina clerici servivit eidem multos annos; utrum possit petere ab eo, aut ab eius heredibus mercedem suarum operarum?

Et in senatu solet judicari, eiusmodi servitiis mercedem non deberi, & merito, atque jure optimo: nam talis concubina, dum est in eo concubinato turpi, & illicito, quod praestat clerico, turpiter videtur datum, & turpiter acceptum: ubi autem dantis, & accipientis versatur turpitudine, cessat repetitio. *l. ubi autem, l. si ob turpem, D. de conditione ob turpem causam, l. 2. l. mercatem, C. eod.* etenim in pari causa turpitudinis, melior est conditio retinentis, sive possidentis. *Palac. in rub. §. 39. num. 6. vers. ex alio. Gomez l. 50. Tauri. n. 68. Berniondus de publicis concubinariis pag. 243. facit l. liberta. D. de operis libert.* E contrario est text. in *l. fin. §. 1. D. de action. & oblig. facit gloss. pen. in l. fin. D. de action. & oblig. ubi, si quid datur pro turpi amicitia, non competit actio ad repetendum.*

Nec obstat quod allegatur in contrarium, scilicet, quod concubina potest petere legatum servitij. *Cynus in l. 1. C. de conditione ob turpem causam. Bart. in l. affectionis. D. de donat. & in l. miles ita. D. de militar. testam. Galeaul. in l. centurio. vol. 15. D. de vulgar. & pupil. substir. Afflict. decis. 102. Anchar. cons. 247. dubium.*

**3** Quoniam istud accipiendum puto de servitio non turpiter praestito, puta, quod concubina extra concubinatum posita praestitit, nempe longe absens bona clerici, aut negotia administrans, aut similia faciens: secus in servitio turpiter exhibitio, puta in concubinato, propter turpem illam consuetudinem, quo casu, nec repetitionem mercedum competere, nec tale legatum, aut donationem valere, magis crediderim, sicuti nec valet promissio, per *d. gloss. pen. d. l. fin. D. de actionibus, & obligationibus.*

**ARRESTUM SENATUS.**

**4** Foi iuglado no iuizo do agravo da casa da supplicação: que as manções de clericos não vencen serviço, nem lhe julção soldada, do tempo que estão per sua manções, anno de 1549. Scriba Petro da Lagea.

**DECISIO CXVII.**

Compensatio in dubio praesumitur potius, quam donatio, & actus sequens in dubio fieri ex causa praecedenti.

**S U M M A E.**

1. *Solutio facta famulo dotis nomine, post tempus tamen servitij transactum, in dubio praesumitur facta nomine mercedis debita, & non causa dotis.*
2. *Donare nemo in dubio praesumitur, sed potius sol-*  
*Cabedo Pars I.*

*vere, aut compensare, ex causa praecedenti, si qua praecessit.*

3. *Vbi alia conjectura dari potest, cessat praesumptio donationis.*
4. *Actus sequens in dubio praesumitur factus ratione tractatus praecedentis.*
5. *Perceptio, aut solutio intelligitur facta secundum titulum, & obligationem praecedentem, de qua constat.*

**F**uit in senatu talis quaestio: Baro Alvirensis cuiusdam famulo, qui ei servierat, centum dotis nomine promissa solvit. Quarebatur, an pro servitio exhibitio, pro sex annis transactis dedisse praesumendum esset; An ultra centum promissa, & soluta, possit petere salarium servitij? Dicebatur, quod cum Baro post tempus sex annorum, quo ei famulus servierat, illi centum nomine dotis promissa dederit, planè pro debito servitio transacti eo usque temporis dedisse videbatur, & nomine mercedis debitae famulum centum illa recepisse, pro servitio illorum sex annorum.

In dubio enim non praesumitur quis donare, sed potius solvere, aut compensare ex praecedenti causa, si qua praecessit. *l. si cum auram. D. de solutionibus, vel remunerare. Bald. in l. 2. C. de jure dotium, & in cap. si cautio, de fide instrument. latè And. Tiraq. in l. si unquam, verb. donatione largitus, num. 206. C. de revocandis donat. Alciat. de praesumpt. praesumpt. 32. regul. 1.*

Ita hic, cum debitum servitij praecessisset, magis videbatur Baro illa centum compensandi animo dedisse, quam donandi.

Accedit, quod ubi potest dari alia conjectura quam donationis, cessat praesumptio donationis. *dict. l. si cum auram. l. cum de indebito. D. de probationibus, l. eleganter. Paragrapho qui reprobos. D. de pign. actione. Alexand. consil. 172. volum. 2. in fine. Afflict. decisio. 44. numero 24.* hic verò potest sumi alia conjectura, scilicet compensationis, ob debitam servitorum praecedentium mercedem ergo.

Sic aliàs actus sequens praesumitur factus ratione tractatus praecedentis. *l. qui in aliena, Paragrapho si is qui. D. de acquirenda hereditate. ubi DD. Alciat. reg. 2. praesumpt. 24.*

Sic aliàs perceptio, aut solutio intelligitur facta secundum titulum, & obligationem praecedentem de qua constat, gloss. in *l. quadam mulier. in fine. D. de rei vendicat. gloss. & ibi Bart. in l. 2. C. de acquirend. possess. Bart. in l. cum solus. ad fin. D. de usucapionibus. Socin. cons. 15. lib. 4.* Ita conclusum fuit Novemb. Mensè, anni 1562.

**DECISIO CXVIII.**

Assicuratio, quamvis fiat à socio, debet legitime probari, nec sufficit asservatio asscuratoris.

**S U M M A E.**

1. *Socius non probat asscurationem, licet in se periculum mercium suscepisse dicat, nisi id in libro suo*

*suo rationum, vel à Notario in libro publico scribatur; nec potest pro tali asscuratione ab altero socio mandante pecuniam exigere. Actoris assertioni standum non est. Ibidem.*

**Q**uidam mercator alteri socio mandavit, ut merces asscuraret, id est, ut faceret earum periculum ab alio suscipi pro convento pretio, ut solet fieri: socius in se periculum suscepit, & ex testibus constitit, illum hoc facere potuisse, si modò vel in libro suarum rationum id scriberet, vel à Notario in publico libro scriberetur. Sed quoniam hoc nullo modo antea fuisse scriptum ostendit, idè pecunia, quam à socio mandante petebat pro dicta asscuratione, non fuit illi adjudicata, in senatu civilium causarum, qui Olyssipone eo tempore residebat; cujus senatus sententia, fuit in senatu supplicationis confirmata; & meritò, quia actor non probavit intentionem suam, scilicet, fecisse asscurationem illam pro tali pretio, tali personæ, ex actoris, quod asseverat, C. de probationibus. leg. ei qui. D. eodem titul. Et quamvis actor id affirmaverit, eius assertioni non fuit standum, glossa in l. 1. D. si quadr. pauper. fec. dicatur. Barbat. conf. 88. colum. 6. volum. 4. & faciunt alia fundamenta adducta per Afflict. decis. 22. ubi ferè in terminis istis loquitur, illum videas.

### DECISIO CXIX.

De servitute aquæ ducendæ.

#### S U M M A.

**I.** Aquam ex flumine deduci permittitur, si id sine injuria, vel alterius damno fiat. Ductio aquæ fieri non permittitur, si per hoc aliud flumen, in quod excurrit, minus navigabile efficiatur.

**A**quam ex flumine publico proximus pagus deducere cum vellet, prædiis molendinariis inferius positis ob id nocebat, quòd aqua propter deductionem exiguior facta, ad molendum minus sufficiebat. Pagi autem homines utilitatem suam quasi publicam, privatæ anteponendam contendebant: decisum est deductionem aquæ non concedendam. l. si autem, §. fin. D. de aqua pluvia. ar. cendu. Aquam enim ex flumine ita demum duci permittitur, si sine injuria alterius id fiat, non, si cum alterius damno. l. 1. §. sed Labeo. D. de fluminib. l. Imperatores D. de servit. rusticor. prædior. l. 1. §. hoc interdicto, & §. simili modo D. ne quid in flumine public. ripave, &c. & est bonus text. in l. 2. in fin. C. de lege Aquilia. l. si manifestè. C. de servitutibus & aqua. facit l. 2. §. merito, & §. si quis à Principe. D. ne quid in loco publico, & glossa 1. in l. quominus. D. de fluminibus. Tum etiam, quia flumen illud, ex quo aqua deducebatur, in Tagum excurrerat, qui navigabilis est, d. l. si autem, §. fin. & dict. l. quominus. Unde conclusum fuit, quòd hoc casu, aqua ex flumine illo publico, cum alterius injuria, aut damno, deduci non poterat.

### DECISIO CXX.

An dicatur attentatum committere litigans, qui pendente causa impetravit à domino directo renovationem emphyteusis, super qua litigium pendet?

#### S U M M A.

1. Attentata lite pendente revocantur. Lis pendere dicitur statim post factam citationem, vel litis contestationem. Ibidem.
2. Hoc procedit in attentatis illicite, attentata namque licite revocari non debent.
3. Rex potest lite pendente, vasallum etiam Prælatum Ecclesiasticum privare jurisdictione alicujus castri, quod in regno suo habet, si Regiam donationem, vel alium similem titulum non ostendat.
4. Notorius defectus proprietatis impedit attentatorum revocationem.
5. Attentatum non dicitur, nisi pendente lite interveniat spoliū alicujus possessionis, aut juris.
6. Attentatum est remedium possessorium, quod non competit pro obligatione aliqua personali, & remedia possessoria non dantur pro bonis immobilibus.
7. Quod pendet ex futuro eventu, non dicitur attentatum, nec debet revocari tamquam attentatum.
8. Qui petit renovationem emphyteusis à domino directo, non censetur facere attentatum.
9. Dominus si petenti renovationem concedat, cum clausula expressa, sine præjudicio tertij, attentatum committere non videtur.
10. Qui petit renovationem ad continuandum, & conservandum jus suum, attentatum non committit.
11. Ius superveniens de novo actori, lite pendente, prodest illi, si causam habeat de præterito.
12. Licet quis incipiat malè agere, potest ex jure noviter obtento lite pendente, vincere.
13. Litigans super beneficio, etiam si lite pendente, jus novum & novam gratiam impetret, ad illud consequendum, attentatum non committit.
14. Ad hoc ut dicatur attentatum, necessum est, quòd lis pendeat inter easdem partes, saltem per citationem factam cum effectu.
15. Attentata post appellationem extrajudicalem revocantur per modum attentati, si fiant ante notificationem judici, & parti factam.
16. Quamvis instantia litis, quæ cum patre coapta fuit transeat in filium: tamen nova citatio est necessaria, ut litis pendentia inducatur. Quod fit, antequam lis pendeat, attentatum dici non debet. Ibidem.
17. Remedium attentatorum non datur circa accessoria eorum, quæ gesta fuerunt, antequam lis penderet.
18. Sicut litis pendentia non impedit fieri emphyteusis nominationes, ita nec renovationes impedire debet. Remedium attentatorum non datur, nisi inter colligantes, non vero contra tertios. Ibidem.

- 1** **E**T præmitti oportet, attentata lite pendente revocari, *cap. non solum*. ubi Gloss. & DD. de *appellationibus libro 1.* Unde si actor recuperet possessionem, & amoveat possessorem conventum ab ea, lite pendente, talis recuperatio, ut attentatum debet revocari, ut per Rot. novam, *decis. 2. alias 14. de restitut. spoliatorum*, & *decis. 4. alias 57. ut lite pendente*: quia omnia jura volunt, ut pendente lite nihil debeat innovari, ut per totum titulum, *ut lite pendente nihil innovetur*. & dicitur pendere statim quod est facta citatio vel litis contestatio. *Clement. 2. ut lite pendente*. & tunc dicitur innovare, lite pendente, si possessor privatur sua possessione, ut ibi exponit Glossa, *verb. innovari*, cujus meminit Alexand. *conf. 130. colum. 4. num. 5. libro 4.*
- 2** Limitatur hoc procedere in attentatis, quæ illicitè sunt attentata: secus verò si licitè, quia tunc non revocantur, ut per Dec. *conf. 460. viso puncto. colum. penult. num. 19. versic. non obstat*. post glossam, quam citat *in d. cap. non solum*. unde ibi consuluit, quod Marchio, qui impetraverat rescriptum super restitutione castri, coram iudicibus delegatis petenda, & reum citaverat, potuit auctoritate propria eius possessionem postea recuperare; præsertim quia in supplicatione fuit protestatus, quod non intendebat renuntiare eidem remedio, quo de jure sibi competeat, ad vim vi repellendam, & incontinenti ablatam sibi possessionem recuperandam: & quia hoc licitè potuit facere, consuluit Decius, quod non poterat revocari, ut attentatum lite pendente, & est notabile consilium: & ibi allegat aliud consilium Alexand. *conf. 130. libro 4.*
- 3** Quod potest confirmari ex his, quæ pulchrè tradit Palat. *in repetitione rub. notab. 2. Paragrapho sed est pulchra dubitatio. numero 43.* ubi tenuit, quod Rex potest privare vasallum, etiam Prælatum Ecclesiasticum jurisdictione alicujus castri, quod habet in suo regno, si ei non ostendat donationem Regiam, aut alium similem titulum à Rege habitum, & quod potest hoc facere etiam lite pendente, per text. *in cap. ad decimas de restitut. spoliatorum, libro 6. juncto cap. cum persona, de privilegiis, libro 6.* Quod est valdè notandum: & potest esse ratio, quia non potest dici attentatum, aut spolium, quod Rex licitè facit, ut aliàs inquit Bald. *in l. 2. C. de servitutibus colum. 5. & 8.* & alibi dicemus, Deo juvante.
- 4** Limitatur etiam procedere, nisi petenti revocationem attentatorum obstet notorius defectus proprietatis, quia talis defectus impedit hujusmodi attentatorum revocationem, ut est pulchra decisio Rot. *in novis 2. alias 14. de restitut. spoliatorum, post medium.* & ibi eius Additio. *numero 4.* ubi allegat aliam *decisionem 7. de probationibus*, & Ioan. Monachum *in cap. cupientes de electione libro 6.* Quod etiam facit multum ad dictum Palatij, *ubi supra.* ut sit eius dicti ratio, quia scilicet Prælato ibi petenti restitutionem, aut revocationem attentati, obstet notorius proprietatis defectus, per *d. cap. ad decimas, & d. cap. cum persona.*
- His sic, deveniendo ad quæstionem priorem videtur, quod non possit dici eo casu attentatum.
- 5** Quia, ut attentatum dicatur, necessum est, quod interveniat spolium aliquod alicujus possessionis,
- aut juris, quam pars adversa possideat, pendente lite; ut si possideat aliquam rem, aut jus percipiendi pensionem, aut redditum, ut in *cap. querelam. de electione.* aut quasi possessionem juris eligendi, aut præsentandi, aut similis, ut in *cap. cum Ecclesia Sutrini. de causa possessionis, & proprietatis.* Quando enim possessor talis, pendente lite, spoliatus, & privatus fuisset aliqua re, seu jure ex supra dictis, per aliam partem, tunc poterit attentatum fuisse prætere. Rot. *nov. decis. 1. num. 1. titul. de restitutione spoliatorum*, sed in quæstione præsentis reus non potest dici spoliatus aliqua possessione, seu jure, & id quod possidebat, id modò possidet, & idem jus quod habebat, idem nunc habet; igitur non potest dici attentatum: renovatio namque petita ei jus non ademit: si enim ille jus habebat ad petendam renovationem, idem habet; & si sententiam pro se reportaverit, poterit eam petere, ut antea poterat, non obstante quòd fuerit facta actori.
- Deinde attentatum remedium possessorium est: **6** remedia autem ista possessoria, non competunt pro obligatione personali alicujus præstationis, quia talis obligatio computatur inter bona mobilia, pro quibus non dantur eiusmodi remedia, secundum Cynum *in l. si certis annis, quæst. ultim. C. de pact.* Bald. *in l. 2. D. quorum bonorum.* & hanc dicit esse communem Legistarum *in l. 1. numero 3. D. eod.* Menoch. *de recuperanda possess. remed. 1. quæstio. 8. numero 87.* in præsentis verò, actor non spoliavit reum emphyteusi, neque illius redditibus, nec annuam præstationem ei solvere negavit, quam illi debuisset, nec lis super hoc pendebat: ergo attentatum dici non potest.
- Uterius renovatio, quæ concessa fuit per dominum directum actori, pendet ex futuro eventu, quia tunc demum valebit, si sententia fuerit lata in favorem actoris; quòd si contra eum lata fuerit, non valebit. Cum ergo pendeat ex futuro eventu, non inducit attentatum, nec debet revocari tamquam attentatum, ut est nobilis decisio Thomæ Fastol. Auditoris Rotæ doctissimi, post decisionem Rot. *dubio 19. incipit, quintum dubium. n. 2.*
- Deinde actor dici non potest quòd hoc casu attentatum aliquod, aut vim fecerit; quia solum renovationem petiit emphyteusis directo domino, allegando illi rationes, quas voluit; unde ex parte actoris non factum fuit attentatum: si ex parte directi domini factum fuit, agat cum eo reus: quod non attinet ad actorem, non potest ei nocere attentatum factum à tertio, nec debet revocari per alium commissum, quia re vera respectu eius, qui illud non attentavit, non potest appellari attentatum, secundum eundem Thomam de Fastol. *dubio 19. n. 2.* ubi ferè in terminis fuit casus; Quòd quædam mulieres concessionem quamdam à Prælato quodam adeptæ fuerunt, quæ concernebat litigium, quod pendebat: & pars voluit dicere, quòd hoc erat attentatum; siquidem Prælatum ille, qui erat tertia persona, concessit illud, & mulieres ex sua parte nihil aliud fecerunt quàm petere.
- Uterius nec directus dominus attentatum commississe videtur in concedenda prædicta renovatione: siquidem illam concessit, cum clausula expressa, sine præjudicio tertij; & posita hac clausula, nihil nocet parti prædicta renovatio; & sic non

- competit ei remedium attentatorum. Rot. *decif. 2. in novis, titul. de restitut. spoliatorum.*
- 10 Deinde actor in præfenti casu sententiam jam in priori instantia prætoris curialis reportaverat, à qua etfi supplicatum fuisset, erant elapsi sex menses, & poterat exequi. *Ordin. libro 3. tit. 77. §. fin.*
- 11 Unde cum petendo renovationem continuaret jus suum, ad illud conservandum non committit attentatum. Rot. *in novis, decif. 44. num. 1. & 2.*  
Præterea facit, quòd jus superveniens actori de novo, lite pendente, prodest illi, si causam habeat de præterito, arg. text. *in l. non potest, & ibi notatur, D. de judic. & ita declarant omnes ibidem, secundum Iacobinum à Sancto Georgio, ibi, & in l. si rem. §. fin. D. de pignoratitia act. late Ias. in §. omnium. n. 68. institut. de actionibus, ubi dicit, istam esse communem opinionem.*
- 12 Hinc dixit Oldrad. *conf. 299.* quòd licet quis incipiat malè agere, potest ex jure noviter obtento, litè pendente, vincere.
- 13 Hinc etiam Rot. *nov. decif. 320. incipit, licet in causis.* tenet, quòd duobus litigantibus super beneficio, potest alter eorum jus novum, & novam gratiam impetrare: & est receptum, quòd si jus superveniens de novo, pendente causa, processit à causa, aut titulo antiquiori, eo casu prodest illi, cui jus supervenit, & illud impetravit, & non dicitur attentatum, ex Iacobino, & Ias. *ubi supra.* & Abb. *in cap. fin. n. 11. ut lite pendent.* In terminis Staphil. *de litteris, gratia, tit. de signatura justitia. §. postremo, circa numero 1.*
- 14 Et ex abundanti addo, quòd ad hoc, ut dicatur attentatum, necessum est, quòd pendeat lis inter eandem partes, & saltem, quòd pendeat lis per citationem factam cum effectu, juxta *Clem. 2. ut lite pendent.* aliter non dicitur attentatum. *Cassador. dec. 6. super regul. de triennali.*
- 15 Hinc est, quòd attentata post appellationem extrajudicalem, non revocantur per modum attentati, si fiant ante notificationem judici, & parti factam. *Cassador. de appellat. decif. 3. num. 6. Dec. in cap. bona num. 15. de appell. Graut. in annotationib. ad Octavianum, de stylo curia, de attentatis, cap. 4. num. 29.*
- 16 In præfenti verò casu, lis fuerat incepta cum patre; & quamvis in filium actorem instantia transeat, tamen erat necessaria citatio nova, ut litis pendentia induceretur. *Ord. lib. 3. tit. 65. in princ. notatur in l. in summa. §. 1. D. de re judicata. l. Paulus, à 2. D. qua sententia sine appell. rescind.* quia sine citatione partium, non datur litis pendentia, *Clement. 2. ut lite pendent.* *Ordin. lib. 4. tit. 45. in principio.* & hæc citatio facta non erat tempore impetratæ renovationis, & post illam impetratam tunc demum actor citatus fuit, ad causam prosequendam: ex eo ergo, quòd eo tempore non erat lis pendens, non potest dici attentatum impetratio renovationis emphyteusis.
- 17 Et facit optimè, quia non datur remedium attentatorum circa accessoria eorum, quæ gesta fuerunt ante litem, secundum *Parif. conf. ult. volum. 4. num. 12.*
- 18 Huc etiam pertinet, quòd sicut litis pendentia non impedit nominationes emphyteusis fieri, juxta *Ordin. lib. 4. tit. 45. §. fin.* ita nec renovationes impedire debet, maxime datis omnibus supradictis; & quòd remedium attentatorum datur inter colli-

tigantes, non verò contra tertios, secundum *Afflict. decif. 354. n. 20. Rot. Fastoli. §. num. 5. Octavianum ubi supra, lib. 8. tit. de attentat. cap. 4. num. 9.* & ita judicatum fuit.

## DECISIO CXXI.

An in majoratibus possit consuetudo, modum succedendi à testatore datum, immutare?

## SUMMÆ.

1. Laicus an possit, consuetudine legitimo tempore introducta, succedere in majoratu, excluso clerico, contra clausulam institutionis, per quam testator clericum de familia vocavit?
2. Forma institutionis ad unguem est observanda, & pro lege habenda: secus si consuetudine longissimo tempore introducta, contrarium observetur.
3. Consuetudo succedendi in majoratu ex bino actu inducitur.  
*Res taliter censetur, seu regulatur, prout per quadraginta annos consuevit censerì, seu regulari. Ibidem.*
4. Consuetudo potest efficere, quòd laici de familia admittantur ad administrationem majoratus, non obstante clausula institutionis, per quam clerici de familia vocantur, si constet, quòd laici per plures actus talem administrationem habuerint.

**P**ertractata fuit in senatu quæstio hæc, mense Ianuarij, anno 1584. An quando testator in institutione majoratus, clericum de familia vocavit, admitti deberet laicus, cum constaret, quòd consuetudine legitimo tempore introducta, laici in tali majoratu succederent, non obstante clausula institutionis?

Et quamvis forma institutionis majoratus ad unguem observanda sit, & pro lege habenda, *Auth. de nuptiis, §. disponat. collat. 4.* tradit *Molin. de primogeniis, lib. 1. cap. 2. num. 27.* & in ista videretur, quòd instituens non vocaverit laicum de familia, sed quòd clericus de familia ad bona prædicti majoratus admitteretur: tamen cum constaret de consuetudine succedendi, in hoc majoratu, ex qua laici de familia hanc administrationem longissimo tempore habuerunt, admissus fuit laicus de familia ad prædictam administrationem, excluso clerico, qui modo succedere volebat, ex vi illius clausulæ, contra quam consuetudo obtinuerat in favorem laici de familia.

Nam talis consuetudo succedendi in majoratu, ex bino actu inducitur, quando effectum sortiti sunt. *Palat. in repetit. cap. Paragrapho 18. num. 37.* & est text. *in cap. cum de beneficio, de præbend. lib. 6.* ubi consuetudo facit, ut res taliter censeatur, seu reguletur, prout per quadraginta annos consuevit censerì, seu regulari facit regul. text. *in l. quòd si nolit. Paragrapho si plures, versic. qui assidua. D. de adilit. edict.* & quòd notat *Innocent. in cap. olim. de verborum signific.*

Sic ergo in præfenti consuetudo facere potuit,



sunt, ut laici de familia ad hanc administrationem admitterentur, excluso clerico, cum constaret, quod laici per plures actus administrationem hanc habuerunt, nec clericus reus hoc inficiaretur: faciunt & tradita per Molin. de primogeniis. libro 2. cap. 6. Avendan. in dictionario, verb. Costumbre, Gutier. in pract. questionibus. lib. 3. quest. 61 num. 25. & 26.

Et sic sententia lata fuit in favorem laici, mense, & anno ubi supra. Scriba Felicio Gomez in processu quodam oppidi de Thomar.

DECISIO CXXII.

De fideiussore, qui solvit pro principali.

S U M M Æ.

1. Fideiussor pro debitore solvens adversus illum habet mandati actionem.
2. Creditor partem debiti recipiendo ab uno correo, & partem a fideiussore, videtur tacite convenisse, quod alterum ex correis amplius in solidum non possit obligare.
3. Hoc tamen procedit in creditoribus, qui per talem debiti receptionem sibi præjudicare possunt, non autem in fideiussoribus.  
Pactum non extenditur ad alias personas præter comprehensas. Ibidem.  
Alteri per alterum iniqua non debet offerri conditio. Ibidem.
4. Licet creditor cum uno ex correis pactus sit, ne peteret; si tamen pro eo fideiussor creditori solverit, bene poterit adversus illum mandati iudicio agere.

**C**reditor cum duos haberet correos debendi, & utrumque eorum in solidum obligatum, & fideiussorem, qui pro illis fideiussit in solidum, & se constituit principalem debitorem; convenit unum ex correis, quia alter abesset, & fideiussorem; & ab uno unam debiti dimidiam, ab altero alteram, per sententiam obtinuit, & exegit.

Postea fideiussor eundem correum victum convenit, pro ea parte debiti, quam ipsemet fideiussor solvit: decretum fuit in senatu, quod fideiussor jure agebat.

1. Nam juris est principium, quod fideiussor pro debitore solvens adversus illum habet mandati actionem. *l. si fideiussor. l. si pro ea. C. mandati.* vel contra, *l. cum is. D. de fideiussorib.* at hic fideiussor quantitatem petitam solvit pro reo debitore; ergo rectè contra illum agit.
2. Actorem fideiussisse in solidum, & reum se debitorem in solidum constituisse, non est dubium; creditor autem à reo partem debiti, ab actore alteram partem exegit; reus verò debitor erat totius debiti in solidum; ergo hanc partem quam actor solvit, pro eo etiam videtur solvisse: ergo rectè ab eo per actionem mandati repetit. Nec obstat, quod creditor partem debiti recipiendo à reo, partem ab actore fideiussore, videtur tacite convenisse, quod alterum ex correis amplius in solidum non posset convenire, per *l. si creditores. C. de pactis.*
3. Quia responderetur, quod ille textus procedit in creditoribus, qui per talem debiti receptionem

Cabedo Pars I.

possunt sibi præjudicare, non autem in fideiussoribus. Nam etsi voluerint tacite pacisci de altero debitore in solidum non conveniendo, talis pactio non debet nocere fideiussori, nec illum comprehendit; tum quia pactum etiam expressum ad alias personas, quàm comprehensas non extenditur. *l. si unus, Paragrapho ante. D. de pactis.* cum alteri pacisci quis nequeat, *Paragrapho alteri. institut. de inutilib. stipulat.* (etiam liberationis causa, *Bald. in l. non solum, Paragrapho liberationis. D. de liber. legat.*) tum etiam, quia alteri per alterum iniqua non debet offerri conditio, *l. non debet. D. de reg. jur.*

Et facit text. singularis in *l. Vranus. §. penult. de fideiussor.* ubi creditor non tacite, sed expressè pactus est cum uno ex correis debitoribus, quod ab eo non peteret. Postea fideiussor debitum solvit creditori, inquit text. quod fideiussor agere etiam adversus illum debitorem, cum quo creditor ita pactus est: non enim, inquit, pactum creditoris tollit alienam obligationem.

Præterea responderetur, quod per divisionem conventionis, five exactiois eiusmodi, videtur potiùs actum, ut ab alterutro debitore dimidiam debiti creditor exigeret: cum autem partem exigeret à fideiussore, rectè is agere contra eum, pro quo & fideiussit, & solvit. Ita decretum fuit in senatu, mense Augusti, anno 1583.

DECISIO CXXIII.

Utrum usuræ debeantur genero propter moram non solutæ dotis?

S U M M Æ.

1. Usuræ debentur genero propter moram non solutæ dotis.
2. Gener pignoris accepti pro dotis securitate fructus lucratur, nec illos in sortem computare tenentur.
3. Gener idèò lucratur hos fructus propter interesse damni, quod patitur, dum uxorem alit suis propriis bonis.
4. Prædicta ratio ad hos fructus lucrandos non sufficit secundum aliquos; tamen cum communi sufficere dicendum est.

**S**æpè in senatu controvertitur, An usuræ debeantur genero, propter moram non solutæ dotis?

Et Bartoli celebris est sententia, eiusmodi usuras deberi, in *l. in insulam. §. usuras. D. solut. matrimonio.* quæ tam ibi, quàm alibi receptor, & probabilior est, ut colligitur ex *Alexand. ibidem. Palat. in repetit. cap. vers. octavo insertur. fol. 249. in magna impressione. Covarruv. lib. 3. variarum resolut. cap. 1. vers. ex his. Cabalinus de usuris, questio. 7. numero 523. Corn. cons. ultim. num. 7. libro 3. Alexand. cons. 31. lib. 6.*

Moventur omnes ex text. eiusque ratione, in *cap. 2. salubriter. de usuris.* ubi gener pignoris pro dotis securitate accepti lucratur fructus, nec illos in sortem computat, ea ratione, ut inquit ille text. quia frequenter dotis fructus non sufficiunt, ad onera

matrimonij supportanda, quam rationem multipliciter DD. explicant. Sed omissis aliis interpretationibus, quas tangit Navarr. *in manual. sub commento de usuris, notab. 20.* duas tantum referam, quæ & aptiores, & probabiliores videntur.

3. Primum igitur sunt, qui dicant, generum eos fructus lucrari propter interesse damni, quod patitur, dum uxorem alit suis propriis impensis, ex re, & pecunia sua, quæ potius alenda fuerat ex dictis fructibus. Quod damnum ne generum afficiat, æquissimum fuit eisdem fructibus compensari; & ideo illi, in eius compensationem, genero debentur: quæ ratio frequentius est recepta, ut colligitur ex relatis per Covarr. *ubi supra.*

Et quamvis non desint, qui hoc damnum ad hoc non sufficere putent, ut Covarr. *ibid.* Alexand. *in d. Paragrapho usuras, numero 5.* & nonnulli alij; tamen cum communi sententia sufficere dicendum est.

4. Pone enim, quod vir in se alendo centum tantum solebat expendere; post uxorem vero ductam, in ea alenda, eiusque matrimonij oneribus supportandis, altera centum impendit de suis propriis, quæ ex illis non detraheret, si fructus dotis haberet, unde talis impensa fieri posset. Quis dubitat, quod illa centum, quæ amplius impendit, amisit, propterea quod illius fructibus caruit? Unde cum is causam damni istius dederit, qui dotem retardavit, planè idem damnum ipsum dedisse videtur, & ideo ipse illud resarcire tenetur.

Aliter & secundò intelligit Navarr. *ubi supra, numero 73.* quod ideo in proposita specie fructus lucratur gener, quia ex natura contractus, & mente contrahentium, non solum intelligitur dos esse promissa, sed etiam fructus illius; ipsa dote salva manente, hoc est, quantum fructuum ex ea commodè elicere potuisset homo quilibet mediocris industriæ ac diligentis: quæ expositio æqua satis, & exacta videtur.

#### DECISIO CXXIV.

Adulterium mariti an possit uxor objicere excipiendò, vel agendò, post eius mortem, ad lucranda bonorum medietatem ad ipsum spectantem jure regni.

#### S U M M Æ.

1. Sicut maritus ob adulterium uxoris potest agere ad thori separationem, & dotem lucranda; ita & uxor ob adulterium mariti, non solum ad dotis restitutionem, sed etiam ad separationem, & bona mariti lucranda agere potest.
2. Maritus & uxor in hoc parificantur, & sicut heredibus mariti hoc jus competit, ita etiam competit uxori contra heredes mariti.
3. Heredes mariti uxori dotem repetenti possunt objicere adulterium; si maritus vivens eius mores non approbavit.
4. Uxor si post adulterium à viro commissum, cum illo simul cohabitavit, nec divortium fecit, heredibus mariti medietatem bonorum, jure reg-

ni repetentibus adulterium objicere non potest. *Ibidem.*

Sicut maritus ob adulterium uxoris potest agere ad thori separationem, & dotem lucranda; ita uxor ob eius adulterium agit contra maritum ad divortium, & lucranda donationem propter nuptias, id est, bona, quæ secum maritus in matrimonium contulit, ita Palat. *in repet. rub. §. 20. colum. 2.* per textum, quem dicit notabilem *in Authent. ut liceat matri, & avia. §. si de adulterio. collat. 8. glossa 2. in cap. 1. ut lite non contestata.* ubi Abb. *notab. 2.*

Nec tantum agit ad dotis restitutionem, ad quam etiam repetendam, hoc casu admittitur, ex Dec. *ibidem.* Covarr. *de sponsal. 2. cap. 7. §. 6. num. 6.*

Et quoniam vir & uxor in hoc parificantur, ut Covarr. *ubi supra, num. 5. in principio.* & heredibus mariti hoc jus competit, ut per Bart. *in l. rei iudicata. D. soluto matrimonio.* Abb. & Præpositum *in cap. plerumque de donationibus inter virum & uxorem.* Covarr. *ubi supra, num. 9.* Idem etiam videtur competere uxori contra heredes mariti, ex Bartol. *ubi supra, & in l. cum mulier. colum. 3. D. de re iudicata, & ibi Alexand. colum. 2. & conf. 186. lib. 6.*

Ceterum quemadmodum heredes mariti, ita demum possunt, eo mortuo, objicere uxori dotem repetenti adulterium, si ipse vivens adhuc illius mores non approbavit, nec eidem fuit reconciliatus, ut per Bald. *in repet. l. cum mulier. colum. 3. D. soluto matrim. & Alexand. ubi supra, in d. l. cum mulier. & Iacobinum de Belloviso in Authent. ut liceat matri, & avia. §. quia verò plurimas, & in l. 1. vers. conquestus, D. ad Syllaniamum.* Sic & uxor non poterit objicere mariti defuncti adulterium eius heredibus, medietatem bonorum jure regni repetentibus, si uxor simul cum viro semper cohabitavit, neque umquam fecit divortium: per hoc enim videtur eius mores approbasse, Gom. *l. 80. Tauri. num. 86.* Et ita in senatu judicatum fuit, anno 1505. 24. die Februarij.

#### DECISIO CXXV.

Mulieri bonorum communium dimidiam ad se ex conjugio pertinentem coram sæculari iudice repetenti, utrum obstet sententia divortij ob adulterium ab Ecclesiastico lata, vel adulterium à mariti heredibus objectum?

#### S U M M Æ.

1. Mulier potest repetere coram iudice sæculari dimidiam bonorum ad se ex conjugio pertinentem, non obstante sententia super divortio, & bonorum amissione, ob adulterium ab Ecclesiastico lata.
2. Si in libello separatio tantum quoad thorum petita sit, sententia lata ultra petita super amissione bonorum nulla erit.
3. Casu dotis ad iudicem Ecclesiasticum spectat, si modo incidenter, aut simul in consequentiam cum causa matrimonij, vel adulterij tractetur.
4. Iudex Ecclesiasticus potest in consequentiam de dote

dote iudicare, non quia causa dotis pia sit, sed propter causa connexitatem, ne continentia causa dividatur.

5. Index Ecclesiasticus, licet incidenter coram eo de dote agatur, si tamen matrimonium fuit contractum nulla dote interveniente, sed communicatis tantum bonis, competens non est, & circa bona communia se intromittere non potest.
6. Bonorum dimidiam mulier non amittit, nisi in casibus in Ordin. expressis.
7. Mulier in casu hujus decisionis non potuit condemnari in dotis vel bonorum communium amissione: in dote, quia de ea principaliter, nec incidenter actum fuit: in aliis bonis, quia circa illa Ecclesiasticus non est iudex competens.
8. Heredes mariti defuncti, si in casu presenti, mulieri objicerent adulterium, & quod maritus dum vixerat eius mores non approbaverit, audiendi erunt, & actrix a successione submovenda.

**T**Ractata fuit in senatu quæstio hæc in facti contingentia: An mulieri bonorum communium medietatem repetenti in sæculari iudicio, exceptio rei iudicatæ objici possit, quæ fuit in iudicio Ecclesiæ pronuntiata, ut illa à vivente adhuc marito, propter probatum adulterium separaretur, & tam dotem, quam alia bona, quæ jure uxoris, à marito sibi poterant obvenire, amitteret. Dubitabatur, inquam, num eiusmodi exceptione, sit ab actione excludenda, & videbatur excludendam non esse, sed admittendam.

1. Primò, quia in iudicio Ecclesiastico, nusquam eorum bonorum amissio fuerat in libello petita, sed tantum thori separatio; ergo sententia lata ultra petita fuit nulla. *leg. ut fundus. D. communi dividundo. leg. fin. C. de fideicommissariis libertat. Ordin. tit. 50. §. 1. lib. 3. juncta l. non dubium, C. de legibus.*

2. Secundò, quia licet receptum sit, caulam dotis ad iudicem Ecclesiasticum spectare, si modò incidenter aut simul in consequentiam, cum causa matrimonij, vel adulterij tractetur. *cap. de prudentia. ubi gloss. & DD. de don. inter virum & uxorem. Fel. in cap. Ecclesia. num. 59. de constit. Novel. de dote pag. 9. privilegio 18. Palat. in cap. per vestra. notab. 2. n. 1. & 20. & colum. 7. vers. ad hoc. idque servetur in praxi, secundum Aufserium in Clement. 1. de offic. ord. casu 26. ideoque de adulterio Ecclesiasticus sit competens, ubi principaliter agitur ad thori separationem. *cap. plerumque. de donat. inter virum & uxorem. Ant. & Abb. ibi. not. 3. quos sequitur Dec. conf. 212. in causa tamen hac actum fuit in iudicio Ecclesiæ ad separationem thori tantum: & de dote, nec principaliter, nec incidenter fuit tractatum; ergo de ea Ecclesiasticus non potuit quidquam pronuntiare, quamvis de matrimonio separando ageretur, quia dos non est matrimonij sequela, cum bene possit esse matrimonium sine dote; & ideo non sequitur, agitur de matrimonio; ergo etiam de dote.**

3. Facit, quia, quòd dicitur Ecclesiasticum posse in consequentiam de dote iudicare, illud est, non quia causa dotis pia sit, sed propter causæ connexitatem, ne continentia causæ dividatur, ut pulchrè Palat. *d. notabil. 2. d. colum. 7. ad fin. quare sequitur, quòd Ecclesiasticus tunc non fuit competens ad condem-*

nandam istam actricem in dotis amissione, & consequenter, quòd nulliter iudicaverit.

Teriò & fortiùs, quia in eo casu nulla intervenerat dos: nec enim id constabat, sed tantum communicatis bonis matrimonium fuit contractum secundum legem regni, ex *Ordin. lib. 4. tit. 7. in principio.* Unde etsi de dote ageretur incidenter, & Ecclesiasticus esset competens aliàs, tunc tamen competens non erat, quia nulla suberat dos, & de aliis bonis se intromittere non poterat, ex ratione text. *in cap. novit. de judic. cap. licet ex suscepto. de foro competent. ergo quatenus de aliis bonis, quàm de dote fuit pronuntiatum, sententia tamquam à non competente iudice lata, nullius fuit momenti, ut per totum tit. C. si à non competent. iudice. cap. at si clerici. de iudiciis. Ordin. tit. 71. §. 18. lib. 3. & ideo mulieri ea bona repetenti non poterat obstare prædicta sententia.*

Quartò, quia *Ordinatio lib. 5. tit. 17. §. 2. taxativè in duobus tantum casibus permittit ex causa adulterij omnia bona uxoris marito acquiri, puta cum ipse illam, & adulterum deprehensos simul interfecerit, vel quando illam capitaliter fecit puniri: ergo aliàs uxor propter adulterium non amittit suorum bonorum dimidiam, nec illam vir acquirit. Cum igitur lex sæcularis hæc bona temporalia mulieri pro dimidia concefferit, d. Ordin. tit. 7. in princ. lib. 4. regulariter, præter in dictis duobus casibus; sequitur, quòd iudex Ecclesiasticus eidem talia bona adimere nequeat.*

Unde dicendum est, quòd actrix à viro accusata, & de adulterio convicta, non potuit in præsentia casu ab Ecclesiastico ultra separationem thori condemnari ad dotis & aliorum bonorum amissionem: non dotis, quia de ea nec incidenter actum fuerat, nec ulla intervenerat: non aliorum bonorum, quia de illis etiam non fuit actum: nec si actum esset, Ecclesiasticus super illis erat iudex competens, & ita respondetur ad text. *in cap. plerumque. de donat. inter virum & uxorem. cui maximè pars adversa nitebatur.*

Fortassè tamen si rei heredes mariti, in casu hujus decisionis, excipiendo adulterium objicerent, ut actricem ab illius successione submoverent, audiendi forent; cum maritus vivens mores uxoris non approbaverit, nec eidem fuerit reconciliatus: quo casu eo mortuo, eius heredes contra uxorem repetentem dotem vel bona, possunt adulterium objicere. *Bald. in repetit. l. mulier. colum. 3. D. sol. matrimon. & ibi Alexand. & l. rei iudicata. colum. 2. vers. limita tamen. D. de re iudicata, & conf. 189 lib. 6. & Novel. ubi supra, 4. p. quarta partis fol. 23. colum. 3. vers. septimò limita. & diximus dec. præcedenti.*

## DECISIO CXXVI.

Pro arbore abscissa quæ actio competat ad intellectum *Ordin. lib. 5. tit. 100.*

### SUMMÆ.

1. Qui furtim aut clam oleam arborem, vel similem abscidit, l. Aquilia tenetur, & interdicto arborum furtim casarum: quòd si lucrifaciendi causa contrectaverit, furti actione tenetur.

2. Ordinatio Regia requirit, ad hoc, quod arbores sint fructiferae.  
Glandis appellatione omnes arborum fructus continentur. Ibidem.
3. Quae dicantur arbores fructiferae, & quae infructiferae.
4. Fructus appellatione continentur quicumque ex arboribus nascuntur, ad hominum commoditatem.
5. Ordinatio praedicta non habet locum in emphyteutis, qui arbores fundi sibi in emphyteusim concessit inscindunt.

**A**rborem oleam, aut similem, qui furtim & clam abscedit, tenetur l. Aquilia. l. si servus, §. si olivam. D. ad l. Aquil. & quod vi aut clam. l. si alius, §. notavimus. l. denique. l. competit. l. si immaturam. D. quod vi, aut clam. & interdicto arborum furtim caesarum, l. vitem. §. stirpem olea, junctam l. cadere, §. hujus actione. & l. pen. D. arbor. furtim caesarum. Imò & furti tenetur, si lucri faciendi causa contractaverit. l. facienda. D. arborum furtim caesarum. In qua actione nedum arborum pretium venit, sed quanti domini interest non laedi. d. l. facienda. cum d. l. pen.

Arbores autem fructiferas requirit haec Ordinatio in rubrica, Arbores de fructu, qualis est glandifera quercus, cum & glandis appellatione, reliqui fructus arborum contineantur. l. unic. D. de gland. legenda. l. qui venenum, §. glandis. ubi Alciat. de verborum signific. nec tantum fructus, qui exterius lignosi sunt, ut nuces, avellanæ, & pineæ, & castanæ, & glandes; sed etiam, qui exterius molles sunt, ut mala omnia, ut per Alciat. ubi supra.

Arbores autem fructiferas, etiam frugiferas appellat Plin. ex Alciat. in l. si silva cadua. D. de verbor. signific. & Iuriconsult. in l. aquisimum. in princip. D. de usufruct. alibi verò pomiferas, l. in fraudem. §. penult. D. de jure fisci. & quae non ferunt fructum, infructuosas, d. l. aquisimum. & non fructiferas, l. competit. D. quod vi, aut clam. qualis est cupressus, d. l. in fraudem. §. penult. reliquas autem arbores infructuosas, vide per Alciatum in d. l. silva.

Denique fructus appellatione continentur, quicumque ex arboribus nascuntur ad hominum commoditatem, ex d. §. glandis. & ibi Alciat. tradit Ioan. Corpus de fructib. tit. 1. §. 5. Quod nota ad hanc Ordinationem, ad quam vide & Avend. de exequend. mandat. lib. 1. cap. 3. num. 28.

Haec autem Ordinatio locum non habet in emphyteutis, qui arbores fundi sibi in emphyteusim concessi inscindunt; quia sunt domini, per ea quae notat Bartol. in l. divortio. Paragrapho si fundum. D. solut. matrim.

### DECISIO CXXVII.

An mulier in vita sua divisiones bonorum inter filios faciens, illas postea poenitendo revocare possit?

#### S U M M A E.

1. Divisio bonorum inter filios facta in vita matris, tunc demum valet, si in ea voluntate perseveraverit: secus si poeniteat.
2. Mulier consentiens, ut filij inter se bona dividant,

censetur divisiones post eius mortem faciendas praevinire.

Actus supremi iudicij, usque ad mortem revocari potest. Ibidem.

3. Divisio non valet, per quam facultas testandi auferitur.
4. Pater, & mater si divisionem bonorum fecerint inter se & filios suos, qui in eorum potestate non sunt, non possunt eam revocare.
5. Quod est licitum patri per testamentum, est licitum per contractum.
6. Pater potest praevinire, & in vita sua assignare legitimam filijs.
7. Responsio ad argumenta in contrarium. Divisio facta inter filios, qui sunt in potestate patris, non valet: secus si fiat à patre filijs emancipatis, vel à matre, quae filios in potestate non habet. Ibidem.
8. Licet pater, & mater utantur verbo, dono, non requiritur insinuatio, in quantum donatio non excedit legitimam.
9. Contraria locum habent, quando pater, seu mater, donant omnia bona sua; secus, si solam legitimam.

**Q**uestionem hanc in facto vidi: Quaedam mulier dives, bonorum omnium, quae habebat in vita sua, divisiones inter filios fecit: postea poenituit, & revocare illas volebat, & bona divisa iterum repetere, quaesitum fuit, an possit?

Et in favorem mulieris facit primò text. in l. fin. C. de pactis, ubi tunc demum valet divisio facta de bonis in vita matris, de eius consensu, si ipsa perseveraverit in eadem voluntate; secus si poeniteat, & voluerit revocare praedictas divisiones, & pro hac parte consuluit Paris. conf. 26. num. 62. lib. 2.

Secundò, quia, quando mulier consensit, ut filij dividerent bona, in effectu voluit divisiones post eius mortem faciendas praevinire. l. si filia. §. si pater. D. de famul. eriscund. l. si cogitatione. C. eod. tit. Cum ergo hoc sit tamquam actus supremi iudicij, revocari potest usque ad mortem. l. 4. D. de adimendis legat. & ita consuluit Oldrad. conf. 231. post principium. Bald. cap. 1. §. item sacramenta. ex num. 17. de pace juramento firmanda. Additio Capellae Tolos. quaest. 453. Paris. conf. 24. ex num. 55. lib. 2. & in nostris terminis eleganter Corneus conf. 273. ex num. 9. lib. 4.

Tertiò, quia huic mulieri tollitur facultas testandi, & ob id non valet divisio, d. l. fin. C. de pact. Ordinat. libro 4. tit. 44. Paragrapho penult. Dec. conf. 203. & conf. 247. Purp. in d. l. fin. num. 254. C. de pact.

Pro parte contraria facit text. in l. unum ex familia. §. sed si fundum. D. de legat. 2. per quem tenet Didac. de Segura, ibi, quod mater, & pater, qui faciunt hanc divisionem bonorum, inter se & filios, qui non sunt in eius potestate, non possunt eam revocare. ad quod facit etiam text. in l. si quando. §. illud. C. de inofficioso testament. Authent. unde si parens. C. eod. tit. & l. cum quo. §. fin. D. ad l. Falcid. text. in l. 1. §. imputari. eod. tit.

Pro eadem parte facit dictum Bald. in l. si totas, §. C. de inofficioso testament. ubi dicit, quod illud, quod est licitum patri per testamentum, est licitum

citum per contractum; & cum patri liceat, in morte assignare per testamentum filio legitimam; ita licitum fuit per contractum, refert Didacus de Segura ubi supra.

6. Hanc eandem opinionem tenet Bald. in l. illud. C. de sacrosanct. Eccles. scilicet, quod pater potest prevenire, & in vita sua assignare legitimam filijs, per text. in l. quoniam. novella. C. de inoffic. testam. & per l. eum qui. §. fin. in fin. C. eod. tit. tradunt Dec. conf. 86. n. 8. Corn. conf. 228. Ioan. Baptist. de Sancto Severino in l. frater à fratre. de condict. indebit. & ibi allegat illud Evangelij S. Lucæ, cap. 25. ubi filius petit sibi assignari legitimam in vita. Idem tenet Iaf. d. l. frater à fratre. in lectura 1. col. 22. & sequ. per text. in l. si non mortis. in principio. D. de inoffic. test. Cæpol. in l. 1. D. pro donato. Et pro hac parte iudicatum fuit in senatu, quod valeret talis contractus & divisiones, in quadam causa civitatis de Portalegre.

7. Non obstant contraria; nam ad illa responderetur locum habere, quando divisio fit inter filios, qui sunt in potestate patris, tunc non valet: secus si fiat à patre filiis emancipatis, seu à matre, quæ filios in potestate non habet: tunc namque valet, juxta supradicta, tradunt DD. in d. l. frater à fratre.

8. Et licet pater, seu mater utantur verbo, dono, non requiritur insinuatio, in quantum non excedit legitimam, prout referunt Iaf. & Segur. ubi supra. Specul. tit. de donation. §. 1. versic. quod si pater. quem refert & sequitur Bald. in d. l. illud. col. 4. C. de sacrosanct. Eccles. & Iaf. d. l. frater à fratre. col. 22.

9. Responderi etiam potest, quod contraria locum habent, quando pater, seu mater donant omnia bona sua: secus si solam legitimam assignant filijs. Hippol. singular. 674. quæ omnia notanda sunt, ut quotidiana.

DECISIO CXXVIII.

An tabellio possit constituere procuratorem in causa sua propria, per instrumentum publicum à se confectum?

S U M M Æ.

1. Quæstio præsens in senatu de facto controversa fuit.
2. Bart. opinio in præsentis decisione.
3. De stylo nostri regni non potest tabellio in causa sua propria pro se facere procuratorem, & redditur ratio.
4. Ducretum senatus, & intelligentia Ordin. libr. 1. tit. 38. §. 7. remissivè.
5. An tabellio possit instrumentum approbationis, in testamento proprio à se confecto facere, remissivè.

1. Quæstionem hanc vidimus in senatu de facto valde controversam.

2. Et Bartol. in l. 2. D. de stipulat. servorum, tenet, quod possit tabellio instrumentum procurationis conficere pro se in causa propria, cum distinctione de qua per eum, qui notabiliter loquitur. Idem tenet Bald. in l. si consul. D. de adoptionibus. circa quod videndus est idem Bart. in rubr. C. de iis qui sibi adscribunt in test. Rom. singular. 346. Guid. Pap. decis. 318.

Quamvis autem de jure distingui soleat, ut tenet 3 additio Guidonis d. decis. 318. & ipse dicat quod de stylo, & communi observantia Curiarum Delphynatus tolerentur tales procuraciones: tamen de stylo nostri regni non tolerantur, nec admittuntur; debet enim esse distinctio inter Notarium & personas contrahentes in Scriptura: quam rationem assignat Guido, ubi supra.

Sicque in senatu conclusum fuit, quod non admitterentur tales procuraciones: quod notabile est ad intellectum Ordin. libr. 1. tit. 38. §. 7.

Et an tabellio possit facere instrumentum approbationis, in testamento proprio à se confecto, vide Bart. in d. l. 2. D. de stipul. servorum.

DECISIO CXXIX.

De testamento facto à Capitaneo quodam arcis cujusdam apud Indos.

S U M M Æ.

1. Capitaneus arcis cujusdam apud Indos an testari possit jure militari.
2. Proponitur facti species.
3. In testamento pro forma requiritur, ut approbationis instrumentum fiat subsequenter ad testamentum in altero folio. Solemnitates quæ pro forma in testamento requiruntur, qualibet earum non servata, testamentum corrumpit. Ibidem. Testamenti factio publici juris est, & ideo privatorum pactionibus non potest validari. Ibidem.
4. In testamento non solum veritas requiritur, sed etiam solemnitates à jure requisiti intervenire debent.
5. Milites stipendiarii hujus nostri temporis, qui continuo ad bellum parati sunt, gaudent privilegiis militaribus.
6. Idem dicendum est in militibus Hierosolymitanis, quamdiu sunt in arce celeberrima Melitensi.
7. Idem in militibus qui sunt in arcibus apud Indos.
8. Milites stationarii, seu limitanei, & qui sunt in arcibus, non gaudent privilegiis militaribus circa testamentorum confectioem.
9. In testamento militis jure militari facto, duo saltem testes adhibendi sunt. Milites cum sunt in procinctu, aut in bello absque testibus, in clypeo, vel pulvere, & quomodo voluerint testari possunt. Ibidem.
10. Duces arcium, & milites stationarii, non possunt testari jure militari, nisi quando sunt in obsidione, aut quando sunt in bello.
11. Testamentum de quo in hac decisione, fuit iudicatum validum, non tamquam factum à Duce testante jure militari, sed tamquam factum à pagano teste ante ad pias causas.
12. Testamentum ad pias causas, cum solemnitate juris gentium factum, valet.

Me judice controversum valde fuit in senatu, An Capitaneus arcis cujusdam apud Indos testari possit jure militari? in causa D. Ioannis de Costa Capitanei, seu Ducis arcis de Diu.

Qui

- 2 Qui Dux librum quemdam foliis numeratum approbare fecit per publicum tabellionem, testibus rogatis, juxta dispositionem Ordin. lib. 4. tit. 76. §. 1. semel, & iterum protestando, quod in illo libro sic approbato testamentum suum condere volebat; insuper & alia scribere ad exonerationem suæ conscientię valdè necessaria.
- Postea testamentum fecit in eodem libro, quod sua propria manu subscripavit: cum tamen à tergo esset approbatio, quam fecerat tabellio, quæ erat facta anno 1577. & testamentum fecit anno 1581. quæsitum fuit an valeret?
- 3 Et primò non valere, sic probatur. Quoniam in testamentis pro forma requiritur, ut approbationis instrumentum fiat subsequenter ad testamentum in altero folio, Ordin. dict. libro 4. titulo 76. §. 1. quod hic factum non fuerat, cum à tergo esset factum multis retrò foliis, ut diximus: quæ solemnitates omnes, & earum quælibet ita pro forma in testamentis requiruntur, ut illa non servata, testamentum corruat, & nullum sit, arg. text. in l. prator ait. §. cum hi. D. de transactionibus. in terminis Gom. l. 3. Tauri. num. 39. nec consuetudo contraria valet. Ordin. ubi supra, §. 1. cum enim testamenta juris publici sint, privatorum pactioibus, nec debent, nec possunt validari. l. 2. D. de testament. l. veritas. C. de fideicommissis.
- 4 Nec enim in testamentis solùm veritas requiritur, sed necessum est, ut solemnitates requisitæ interveniant, quæ non pendent à voluntate privatorum. tradit Bald. in l. alia. numero 4. C. de his quib. ut indignis. Socin. conf. 92. colum. 6. lib. 3. Menoch. de adipiscenda, remed. 4. num. 106. cum ergo in hoc testamento solemnitas hæc defecerit, non debebat valere.
- 5 Nec valere debet jure militari, ut factum à milite: quamvis enim milites nostri temporis, qui sunt stipendiarij, & continuò parati ad bellum, privilegiis militaribus gaudeant, ut multos referens concludit Reverendiss. Cardin. Francisc. Mantica. de conject. ult. volunt. lib. 6. tit. 1. num. 32. Gam. dec. 386. Avend. in dict. ion. verb. Cavalleros.
- 6 Adèd ut milites Hierosolymitani gaudeant his privilegiis, cum continuò parati sint pro Christianæ religionis defensione mortem oppetere, quando sunt in arce illa celeberrima Melitensi, ut tradit Francisc. Rip. in l. centurio. numero 8. D. de vulgar. & pupil. Polit. de substitutionibus. tit. de compendiosa substitut. num. 13. Mantica. ubi supra, num. 33.
- 7 Ita ut idem dici debeat in his militibus, qui sunt in arcibus apud Indos, cum parati etiam sint pro Christianæ fidei defensione, & Rege regnoque Lusitaniæ mortem subire, & ferè semper hujusmodi arces obsidione premantur.
- 8 Tamen magis communis opinio est, quod milites stationarij, seu limitanei, ut sunt illi, qui limina regni timentur, & sunt in arcibus, ut declarat Alciat. in l. unic. C. de fundis limitrophis, &c. libro 11. non gaudeant privilegiis militaribus circa confessionem testamentorum, ut tenet Vigl. in Paragrapho sed hæcenus, institut. de testam. milit. Zal. conf. 6.
- 9 Rursus quamvis milites testentur jure militari, & sic cum solemnitate juris gentium. l. 1. D. de militari testamento. duo tamen testes saltem adhi-

bendi sunt. l. Divus. D. eod. titul. Paragrapho planè, institut. eod. Mantica ubi supra, numero 18. qui testes in hoc testamento non intervenerunt; nam illi testes, qui in approbatione subscripserunt, non poterant fidem facere, eò quod multò ante confessionem testamenti, tamquam testes subscripserant in prædicta approbatione: & in testamento solus Dux testator subscripavit, quod facere non potest validum testamentum: & tunc demum milites testari possunt, & subscribere absque testibus, cum in procinctu sunt, d. l. Divus. tunc namque in clypeo, in pulvere, & quomodo velint, testari possunt. l. milite. C. de milit. test. ubi DD.

Et sic conclusum fuit, quod hi Duces arcium, & milites stationarij non possunt testari jure militari, nisi quando sunt in obsidione, aut quando sunt in bello.

Hoc tamen testamentum fuit validum sententia senatus nostri declaratum, non tamquam factum à Duce testante jure militari, sed tamquam factum à pagano testante ad pias causas; disposuit enim pro anima; & testamentum ad pias causas cum solemnitate juris gentium factum valet. cap. cum esses, cap. relatum. ubi Abb. de testament. Covarruv. in cap. relatum, eod. tit. Imò sufficit solùm esse signatum manu testatoris; ut tradunt relati à Covarruv. d. cap. relatum. Alvar. Vaz. consult. 67. per totam.

Hoc autem testamentum erat scriptum manu testatoris, & subscripavit per illum, ipsius proprio signo; & ultra approbationem factam à tabellione cum testibus, postea ad finem approbatum fuit per auditorem militum ipsius arcis; & per provisorum defunctorum tamquam validum judicatum. Quæ omnia visa sunt sufficere, ut testamentum validum judicaretur, non ut factum à milite, sed ut factum à pagano, testante tamen ad pias causas.

Et sic prædicta ratione judicatum fuit in favorem testamenti, in quo processu ego judex fui: & ita tenendum est, licet Doctor Alvar. Vaz. consultat. 104. faciat mentionem istius testamenti, & dicat judicatum fuisse validum, non tamen hac ratione posteriori factum id fuisse declarat.

## DECISIO CXXX.

An bona emphyteusis possint vinculari in majoratu, & prohiberi, ne in perpetuum alienentur?

### S U M M A.

1. Emphyteusis perpetua potest vinculari in majoratu, & prohiberi ne in perpetuum alienetur.
2. Emphyteusis ad vitas concessa, non potest vinculari.
3. In senatu circa hoc variè fuit judicatum; & idèd tutius erit facultatem à domino directo impetrare.
4. Si dominus directus statim in concessione emphyteusis prohibeat, ne de illa majoratus constituatur, tale pactum servandum est.

**D**ubia fuit inter antiquos, & recentiores senatores, & tractata quæstio hæc in senatu: An bona emphyteusis possint vinculari in majoratu, &

& prohiberi, ne in perpetuum alienarentur, prout testatur Gam. decis. 218. & decis. 70. & variè judicatum fuisse refert.

In illa resolutivè dicendum est. Quòd si emphyteusis sit perpetua, poterit vinculari, quia ex sua natura perpetuò debet esse penes accipientem, & successores, §. adeò. Institut. de locato. unde nulla fit injuria domino directo, si secundum naturam suam perpetuò prohibeatur alienari. Ita in specie Rip. in l. filiusfamilias, §. divi. numero 91. & ibi Alciat. D. de legat. 1. refert Gam. d. decis. 70.

Contra hoc tamen solet obijci, quòd si hoc verum esset, maximum præjudicium directo domino fieret in suo laudemio. tradit Jacob. in Authen. qui rem, numer. 164. C. de sacrosanct. Ecclesiis. Alexand. conf. 10. numer. 13. lib. 5. Insuper, quòd nulla spes est, ut umquam ad dominum directum revertatur.

Respondetur namque tenendo priorem opinionem, quòd emphyteusis perpetua etiam ex sua natura perpetuò durat: raro enim contingit, ut quis sine herede decedat. l. ex facto. §. fin. D. ad Trebellianum. unde cessat hoc secundum inconveniens. Et ad illud de laudemio respondetur, quòd id per accidens contingit; quod in considerationem venire non debet, tradit Rip. & Alciat. ubi supra.

2. Quòd si emphyteusis ad vitas sit, tunc dicendum est, quòd non potest vinculari: non enim potest emphyteuta efficere, quòd plus duret emphyteusis; quam concessio permittat. Afflic. decis. 14. numero 9.

3. Et sic tenendum est, quamvis variè judicatum fuerit in senatu nostro, ut testatur Gam. ubi supra. & tutius sit à domino directo facultatem impetrare.

Hanc tamen distinctionem approbavit, & secutus fuit doctissimus Barbosa. in lectura l. filiusfamilias, §. divi. D. de legat. 1. quam hucusque typis non mandavit.

4. Adderem tamen, quòd si dominus directus in concessione emphyteusis perpetuæ statim prohibeat, ne de illa majoratus constituatur, tale pactum servandum est. l. 1. ubi DD. C. de jure emphyt. facit l. 1. §. si convenerit. D. depositi. cum aliis.

DECISIO CXXXI.

Ubi maritus ante matrimonium debitum contraxit, & eo mortuo uxor bona divisit, ex quibus aliqua ei obvenierunt, quæ secum vir attulit ad conjugium; utrùm eiusmodi debita solvenda sint ex his bonis, an verò ex medietate mariti?

S U M M A.

1. Debitum contractum ante matrimonium, petendum est eo durante, non autem finito matrimonio.

2. Soluta matrimonio, & facta bonorum divisione, si ad conjugem superstitem aliqua bona mariti deveniant, ex illis non debet solvi debitum ante matrimonium contractum.

3. Ordinatio nostra, bona conjugis solvendi onere non afficit, nisi durante matrimonio.

4. Ex duobus creditoribus ille præfertur, cui prius facta est realis traditio, seu solutio.

In pari causa potior est conditio possidentis. Ibid.

5. Si creditor jacente adhuc hereditate, & bonis adhuc indivisis penes uxorem existentibus, debitum petierit, ex bonis, quæ maritus secum attulit, illi solvendum est.

6. Mulier, quæ in judicio divisionis debitum suppressit, & pendente jam super eo lite in collationem non deduxit, videtur bona litigiosa sibi fraudulenter percepisse.

7. Si debitor alienaverit, vel dolo deserit possidere in fraudem executionis, sententia potest executioni mandari contra tertium possessorem, vel contra debitorem ita alienantem.

8. Mulier in casu hujus decisionis, quæ pendente lite bona litigiosa divisit, tamquam dolosa alienatrix potuit conveniri, & executivè condemnari.

9. Si creditor petat, ut ante bonorum divisionem debitum prius deducatur, si absque debiti deductione fiat bonorum divisio, debitum cum ipsis bonis censetur esse divisum.

10. Quid judicatum sit in casu hujus decisionis.

**M**aritus defunctus debitor erat forori cuidam ex Scriptura; & quia ante matrimonium cum uxore celebratum, contraxit hoc debitum incidit quæstio in senatu, An ex bonis, quæ secum attulit, solvendum esset, juxta Ordin. in 4. tit. 7. §. penultimo.

Cum autem uxor aliqua bona mariti defuncti possideret, ex illis sibi dimidiam debiti partem solvendam contendebat creditrix foror mariti.

Esse autem maritum debitorem, dubium non est, cum ex Scriptura, & testibus probaretur, nec id uxor defuncti negaret, & erat conditio impleta, quæ in Scriptura inerat; nupserrat enim ante quinqueagesimum annum: nec intererat, quòd nupserrat arbitrato patris, & fratris, illis defunctis, nupserrat. Nam cum illa conditio, & illis viventibus non suspenderet dispositionem, multò magis, illis è vita sublatis. l. Turpia. §. 1. D. de legat. 1. l. cum talis. §. rescriptum. D. de conditionib. & demonstrationib. nec obligatio, quòd ex redditibus cujusdam prædij solutionem designarit, realis fuit, ut prædium sequeretur, sed personalis contra maritum, & eius heredes. Guid. decis. 376. Ripa in l. 1. num. 2. §. si venes. D. ad Trebellianum. l. ultima. §. ultimo. D. de contrahenda emptione.

Sed an ex defuncti bonis, quæ in manu uxoris posita sunt, solvendum sit debitum, majus est dubium: & videtur, quòd uxor, hoc casu, non teneatur ad solvendum; nam debitum fuit contractum ante matrimonium, & ideo fuit petendum durante eo, ad hoc, ut ex bonis mariti debitoris deberet exolui, non autem finito matrimonio. Ordin. dist. 7. Paragrapho pen. ibi, em quanto o matrimonio. & ibi, somente se podera fazer execucao durando o matrimonio.

Ex quo inferitur primò, quòd soluto matrimonio, & facta bonorum divisione, si ad conjugem superstitem aliqua mariti bona deveniant, ex illis non debet solvi tale debitum, quia jam est finita societas, & bona non sunt in communione; nec tunc potest dici, quòd conjux debitoris de suis bonis

bonis solvit, quia bona alteri conjugii in iudicio familiae eriscunda, vel communi dividendo fuerunt adjudicata, & ita illius propria sunt effecta, quae debitor non fuit.

3 Item facit, quia Ordinatio illa, bona conjugii debitoris non afficit eo solvendi onere, nisi durante matrimonio; ergo eo soluto, cessat onus.

4 Item, quod ex duobus creditoribus ille praefertur, cui prius facta est realis solutio, seu traditio, argument. *l. quoties. C. de rei vendicat. l. ultima. Paragrapho etsi praefatam. C. de jur. deliberandi.* Item, quia in pari causa potior est conditio possidentis. *regul. in pari. de regul. jur. in 6.* unde prius debent excuti heredes mariti, & eius fideiussores (si quos praestitit) & deinde veniendum est ad bona speciatim hypothecata, postremo ad uxorem, veluti tertium possessorem, *Paragrapho sed neque. in Auth. de fideiussor.*

5 Contrarium dicendum videtur, jacente adhuc hereditate, soluto matrimonio, dum bona adhuc indivisa sunt penes uxorem superstitem, quia adhuc hereditas defunctum repraesentat, & societas non omnino dicitur extincta, donec bona separantur: sunt enim illa adhuc in communione; & ideo si tunc creditor petat debitum (ut in praesenti casu petiit), utique ex illis bonis debuit solvi, quae maritus secum attulit, per d. *Ordinat. in 4. tit. 7. Paragrapho penult. & eius rationem, quae hic etiam militat.*

6 Cum autem uxor, in eo iudicio divisionis, debitum suppresserit, & pendente jam super eo ista lite in collationem non deduxerit, ut ex bonis mariti praecipuum ante omnia deduceretur, certe bona litigiosa videtur sibi fraudulenter percepisse, & quae jam erant affecta illo onere solvendi illud debitum: & ideo dividi non poterant, quin prius de ipsis solveretur, ut dictum est: unde lis potuit diffiniri contra eam & sequi condemnatio. *argum. Ordin. lib. 4. tit. 45. §. 9. & quae scribunt Ang. in Auth. de litigiosis. collat. 2. Roman. cons. 246.*

7 Et facit, quod Bald. in simili dicit, quod si debitor alienavit, seu desit possidere dolo, in fraudem executionis, ut quia alienatio facta sit post litem motam, tunc sententia potest executioni mandari contra tertium, secundum Bald. *in l. ob maritorum. C. ne uxor pro marito. & in l. certa. C. ut in possess. legat. vel fideicommiss.* sequitur Alexand. *in l. a divo Pio. §. si super. numer. 10. D. de re iudicat.* & etiam contra debitorem ita alienantem, secundum Bartol. *in l. ultim. C. de litigiosis. & in l. creditores. colum. 9. C. de pignoribus.* sequitur Alexan. post Ang. & alios *in d. §. si super. num. 119.*

8 Quare cum uxor hic, ut debitor fuisse conventa per *l. ultimam. C. de petitione heredit.* & pendente lite dividerit bona; certe illa, ut alienatrix dolosa, & ut tertius quidam possessor, qui & scienter de re litigiosa contraxit, potuit conveniri, & executivè condemnari.

9 Facit etiam, quia actrix erat creditrix, & petebat, ut ex omnibus defuncti mariti bonis illud debitum prius deduceretur, & ita fuerat pronuntian- dum: unde cum debiti deductio non sit facta, sed honorum divisio, certe debitum cum bonis ipsis videtur etiam esse divisum, *argum. text. in l. ea quae. C. famil. eriscunda.*

Ex quibus omnibus iudicatum in senatu fuit, 10 uxorem teneri solvere partem istius debiti, pro rata bonorum mariti, quae sibi in portione obvenit, ut si tertia, aut quarta pars eorum uxori obvenit, pro ea parte solvat: & in residuo reservatum fuit jus actrici contra heredes mariti, ad quos alia ipsius bona pervenerunt in processu de Aires Dornellas contra Dona Maria Anriques, insulae de Madeira, mense Martij anno 1576. Et vide Gam. de materia hujus decisionis, *decif. 366.*

## DECISIO CXXXII.

An provisio Regis jubentis extinguere officium quoddam, comprehendat officium, quod per priorem provisionem Regis datum erat alicui?

### S U M M A.

1. Valet argumentum de beneficiis ad officia, & converso.
2. Beneficium permutare quis potest, licet alij habeant spectativas de primo vacaturo. Quamvis beneficium permutatum de rigore juris vacare censeatur, de aequitate tamen aliud statutum est. Ibidem.
3. Actus agentium ultra eorum intentionem operari non debent. Ibidem.
4. Princeps potest praesudicare juri alterius, quando id principaliter non facit, nec id intendit, sed causative.
5. In litteris gratiosis, tempus data est spectandum, ad hoc, ut parti sit jus quasitum: secus si vitium surreptionis arguatur; tunc namque tempus oblatae supplicationis attenditur.
6. Impedimentum causatum ex parte actoris non est reo imputandum.
7. Quid iudicatum sit in casu hujus decisionis.

Quidam scriba Praesidis, in quadam provincia impetravit in vita sua à Rege provisionem, ut ei liceret renuntiare illud officium in favorem cujusdam filiae suae, ad eam nubendam; quam renuntiationem facere non poterat, nisi impetrata licentia Regis. *Ordin. lib. 1. tit. 74. in principio. Roman. singulari 348.* & fecit supplic. anno 1578. in mense Aprili. Petita fuit informatio eodem anno, & mense, ut moris est; & visa informatione concessa ei fuit per Regem facultas renuntiandi, eodem anno 1578. mense Octobri. Hoc medio tempore, in mense Julij eiusdem anni de 1578. extincta fuit provincia quaedam, quam vocamus, *correição*, nempe oppidi de Meijano frio; & loci ad illam spectantes assignati fuerunt alteri provinciae oppidi Vimarientis, seu de Guimaranes: concessit Rex euidam scribae illius provinciae extinctae officium in alterius provincia erecta Vimarientis, ut ita essent quatuor scribae in illa provincia erecta, quae antea erat auditoria, vivente domino Eduardo, Infantis Eduardi filio; & adjecta fuit clausula in provisione hujus novi scribae, ut vacante primo officio scribae provinciae Vimarientis, extingueretur in totum, & amplius provideri non possit.

Con-



Contendebat hic scriba noviter provifus, in illa provincia erecta, & alij duo, mortuo quarto, qui fuit ille, qui impetravit provifionem de renuntian- do, non debere provifionem illam renuntiationis effectum habere: tum, quòd vitium haberet sur- reptionis, & obreptionis, ut quia Princeps certior factus non fuerit de claufula prædictæ provifionis, illius scribæ noviter creati: tum, quòd officium va- caverit, & juxta claufulam provifionis prædicti scribæ noviter creati extingui debebat; & non erat aliquis de eo ulterius providendus.

1 Et præfupponendum est ad resolutionem dubij, de beneficiis ad officia, & è converfo validum esse argumentum. Bart. in l. 2. §. data. D. de optio. legat. Palat. in repetit. cap. per vestras, in introduct. rubrica. num. 6. Rebuf. 2. tom. ad ll. Gall. tit. ut benefic. ante va- catio. glossa 2. pag. 343. Socin. confil. 53. volum. 3. Pinel. in rubrica, de rescindenda 1. part. cap. 2. nu- mer. 31.

2 Hoc præfupposito dicebatur, provifionem il- lam de renuntiatione officij impetratam in favo- rem filia servandam esse, non obstante claufula posita in altera provifione, pro quo allego text. in cap. 1. de rerum permutatione. libro 6. In eo namque text. dicitur, quòd quis potest permutare benefi- cium, licet alij habeant fpectativas de primo vaca- turo; nec ob id dicitur illud permutatum benefi- cium, vacare: quamvis enim ftricto jure id dici poffet, tamen æquitate fuadente fummus Ponti- fex aliud ftatuit; non enim aliter permutatio fieret, ut declarat Perufin. ibi, facit in arg. reg. l. non omnis. D. si certum petatur. ut notat glossa, in d. cap. 1. Sic enim actus agentium ultra eorum intentionem operarentur, quòd esse non debet. d. l. non omnis. cum ergo illud renuntiare poffet, impetrata prius Regis facultate, qui eam illi fecit gratiam, non potest dici officium vacare, ut in eo locum habeat claufula contenta in provifione prædicti novi scribæ; aliter enim ipse qui impetravit provifionem de renun- tiando, fibi damnum procuraret, & actum faceret ultra ejus intentionem.

Rex autem hanc facultatem illi tribuere pote- rat: cum enim per illam claufulam nondum erat jus quæfitum, certitudinariè (ut sic loquamur) sed quærendum in quamdam confequentiam, si unus ex quatuor scribis moreretur, nullus namque fcire poterat, quis prius deberet mori, arg. eorum quæ notantur ad d. l. 1. C. de condit. infert. poterat Prin- cept ( qui manus fibi non ligat, cap. dudum. de præ- bend. lib. 6.) præjudicare per illam concessionem fa- ctam priori scribæ, alteri novo scribæ, Ruin. consi- lio 7. volum. 1. & confil. 36.

Maximè, quando jus hoc quærendum ex facto, & concessione Principis provenit, ut fuit in hoc casu. Gabriel. communium opinionum libro 3. tit. de jure quæfito. conclus. 1. numer. 31. Molin. de primoge- nit. lib. 1. cap. 80. numer. 30. Gabriel. ubi fuprà num. 16.

3 Quòd confirmo; nam Princeps potest præjudi- care juri alterius, quando id non facit principa- liter, nec id intendit, sed caufativè. Felin. in cap. qua in Ecclesiarum. vers. fecunda declaratio. de constitut. Cagnol. in l. id quòd nostrum. num. 19. D. de reg. juris. Porro Princeps illud principaliter intendit, per hanc concessionem factam priori scribæ, illi in favorem

Cabedo Pars I.

filia gratiam facere, caufativè autem præjudicium infert scribæ novè provifio, & facit text. in cap. si is cui. de præbendis. lib. 6.

Quoad vitium obreptionis, prius scriba jam antea supplicationem Regi fecerat, quam facta fuisset gratia alteri scribæ noviori, ut patebat ex data utriusque provifionis: cum igitur fecunda provifio de gratia, circa renuntiationem faciendam, emanaverit vigore supplicationis oblata Principi, quo tempore nondum erat, nec extabat privifio alterius scribæ novioris, non poterat de eo, quòd non erat, mentionem facere, argum. eorum quæ notantur ad l. ejus qui in provincia. D. si certum petat. Et quamvis tempus datæ in litteris gratiosis fpectetur, cap. eam te. & c. constitutus. de rescriptis. cap. eum qui. de præbend. libr. 6. Rebuff. in praxi, regul. de reservationibus. numer. 53. id intelligitur ad jus parti dandum; non autem, ut prædictum tempus fpectetur, quando vitium, quòd arguitur, pende- bat à supplicatione: tunc enim ad tempus supplica- tionis oblata attendendum erit, arg. l. si defensor. D. de interrog. actionibus. Alex. conf. 84. volum. 1. Rebuff. 2. tom. tit. de rescriptis. in præfatione. nu- mer. 45. faciunt tradita in cap. quia circa. de consan- guin. Cum ergo concessio per provifionem facta à Rege fit conformis supplicationi, quo tempore non erat facienda mentio ejus, quòd nondum ex- tabat, repetita ceteri non debet.

Nec obstat prædictum scribam, qui renuntia- tionis provifionem impetravit, mortuum esse ante confirmationem factam genero: & cum ante præ- dictam confirmationem renuntians esset in pos- sessione officij, l. sicut. §. supervacuum. D. quibus mo- dis pign. vel hypothec. solvit. Bart. in l. post contractum. D. de donationibus. Rebuff. in praxi. tit. de permuta- tione. num. 46. & in titul. de public. resignantibus. nu- mer. 5. glossa 3. videtur, quòd moriens, officium vacaverit per ejus mortem, & quòd juxta claufu- lam contentam in provifione novioris scribæ, ex- tingui debet.

Nam responderetur, quòd cum nec per socerum, nec per generum steterit, quominus officij pos- sessionem haberet, cum per alios scribas ei lis mo- ta fuerit, uni, nec alteri hoc est imputandum, nec ceteri debet vacasse officium per obitum, sed per renuntiationem; quæ vacationis species non comprehenditur sub claufula contenta in provi- sione novioris scribæ, facit reg. in jure civili. D. de regul. jur. Sic in simili in beneficio resignato, tra- dit Rebuff. in praxi, de public. resignantibus. gloss. 19. numer. 22. faciunt tradita per Castador. decis. 4. de restitut. spoliat. a num. 1.

Et sic judicatum fuit in favorem filia, & generi, 6 qui habebat officium per renuntiationem patris, & soceri, juxta provifionem Regis, per quam pa- tri facultas renuntiandi concessa fuerat.

## DECISIO CXXXIII.

Majoratus successio an deferatur mona- sterio?

M

SUM-

## S U M M Æ.

1. Majoratus in eum præcipuum finem instituuntur, licet in institutione non exprimat, ut ipsius instituentis memoria, & familia conservetur.
2. Instituens majoratum, expressim, propter ipsius instituentis memoriam, & familia propagationem non presumitur facere vocationem, ex qua familia ejus possit extinguere, & memoria suppressi.
3. Quando familia fuit fideicommissum relictum, monachus, vel monialis non succedunt, etiamsi monasterium sit capax successionis, nec per tempus vita sua.
4. Idem responsum fuit, in simili casu, per totum ferè collegium Paravinum, scilicet, quod testator solum respexit ad familia propagationem.
5. Si quis in successione majoratus vocet filium secundogenitum, excluso primogenito, non censetur vocare filium secundogenitum clericum.
6. Reipublica interest, ut nobiles, & divites viros habeat, qui eam possint defendere.
7. Contraria opinio, quod monasterium possit succedere ad vitam sui monachi, vel monialis, ubi majoratus nullam habet jurisdictionem aut dignitatem annexam, communior & verior est.
8. Ita judicatum fuit in senatu, antiquis, & recentioribus temporibus.
9. Declarantur opiniones eorum, qua in contrarium facere videbantur.
10. In ingrediente monasterium, non cedit dies fideicommissi, nisi post ejus mortem.
11. Communior opinio in judicando sequenda est.

1. **Q**uæstio fuit in senatu: An succedat in majoratu monasterium, ratione monachi, vel monialis, quæ in eo professionem emisit? In qua videtur tenendum, quod non, secundum unam opinionem. Quia de natura omnium majoratum est, licet aliter in institutione non exprimat, ut eorum sit præcipuus finis in familia & memoria conservationem, ut resolvit Socin. *conf. 47. n. 6. lib. 3. Dec. conf. 38. in prin. Paris. conf. 72. n. 8. lib. 4.* refert plures Tiraq. *de primogeniis. qu. 61.*

2. Idque multò magis, ubi instituitur majoratus expressim propter ipsius instituentis memoriam, & perpetuam familiae conservationem: ac proinde cum ex monialis successione, etiam per tempus dumtaxat vitæ suæ, memoria institutoris, & familie ejus conservatio evanescat, aut saltem sopiatur, & obdormiat, credendum est institutorem, qui condidit majoratum, ad familiae suæ propagationem, noluisse facere vocationem, ex qua familia ejus possit extinguere, & memoria suppressi, quo argumento inter multa alia utitur Molina *lib. 1. de primogeniis cap. 13. numer. 91.*

3. Et ita in specie, ubi familiae fuit fideicommissum relictum, quod monachus, vel monialis, etiamsi monasterium sit capax successionis, non succedat, nec per tempus vitæ suæ, respondit Dec. *conf. 259. numer. 2.* quem refert Franciscus à Rip. *in l. ex facto. §. si quis rogatus. numer. 40. D. ad senat. consult. Trebell. Idem etiam ex facto consultus respondit Paul. Paris. conf. 22. lib. 3. numer. 9.* Eandem sententiam tenet

pluribus argumentis Pelæus, 2. part. *de primogeniis, quæst. 3. à num. 15. cum sequentibus.* & Covar. post Alexand. Iaf. & Palat. ab eo citatos, *lib. 1. resolutionum. cap. 29. numer. 11.* & cum Covar. securè resolvit Ant. de Padilla *in l. cum acutissimi. numer. 44. & 45. C. de fideicommissis.*

Sed cum hæc quæstio adduceretur ad collegium Paravinum, in casu cujusdam fratris Dominicani, quia solum testator respexit ad familiae conservationem, totum ferè collegium contra monachum respondit, prout refert, & sequitur maximo conatu Mantica, *de conject. ult. volunt. lib. 8. titul. 12. à numer. 25. usque ad numer. 30.* qui optimè respondit ad omnia, quæ ex adverso objiciuntur, & alios ejusdem sententiæ refert auctores. Denique hanc sententiam dicit communiter receptam Ferdinandus de Menchac. *de successione creat. §. 22. nu. 169.*

Et si bene, & cum judicio legatur Molin. *ubi supra lib. 1. cap. 13. numer. 95.* ab hac sententia non dissentit: imò eam confirmat: tum propterea, quia institutor de conservanda familia cogitavit: tum, quod de ea etiam honoranda, & amplificanda animum habuit, quod per monasterium fieri non potest, cum incapax sit armorum, insignia gentilitia portandi, prout alij successores tenentur, & possunt portare, in qua re maximè consistit familiae memoria; & illustratio.

Pro eadem sententia facit notabilis doctrina Francisci de Ripa, *in respons. 3. num. 16. & 17.* ubi asserit, quod si aliquis in aliqua vocatione, vocet filium secundogenitum domus de Claramonte, excluso primogenito, non censetur vocare filium secundogenitum clericum, in quo non potest perpetuari, nec conservari memoria testatoris, sed ad alium tertio genitum primogenitura transferetur, per rationes quas ibi adducit.

Facit etiam, quod ista opinio est utilis reipublicæ, 6 cujus interest, quod in ea sint nobiles & divites, qui eam defendant, prout ex multis legibus partitæ deducit Pelæus *ubi supra, num. 24.* & hac ratione utilitatis publicæ, primogenia sustinentur.

Et casum esse absque ullo dubio, ubi testator expressim cavisset, ne monachus, aut monialis succederet, aut persona religionem professæ, tenet Palat. *in rub. §. 16. num. 4. & 14. Covar. lib. 1. resolut. cap. 19. numer. 11.* cum aliis adductis per Molin. *ubi supra.* Pelæus *quæst. 3. num. 1. cum sequentibus.* Menchaca *d. §. 21. num. 167.*

Contrariam sententiam, imò, quod succedat monasterium, saltem ad vitam sui monachi, vel monialis, ubi majoratus nullam habet jurisdictionem, aut dignitatem annexam, videntur omnes ut communem tenuisse *in cap. in presentia de probationibus. ubi Abb. num. 73. Dec. num. 58. & 74. Berous nu. 554.* & hanc dicit communem Salicet. *in Authent. ingressi. num. 11. C. de sacrosanct. Ecclesiis. Afflict. decis. 320. num. 2. & 3. Alexand. consil. 10. numer. 8. volum. 5. & consil. 98. volum. 6.* ubi inquit, quod ita tenent omnes, & inquit Capic. *decis. 10.* quod non habet hæc opinio contradictorem: & testantur communem Molin. *ubi supra. cap. 13. numer. 77. cum sequentibus, lib. 1.* Pelæus *de majoratibus. 2. part. quæst. 13. numer. 11. cum sequentibus.* ubi in individuo testatur communem, & Anton. Gomez. *l. 40. Taur. nu. 66. ad finem.* & Iulius Clar. *verb. feudum. qu. 78. col. 1.*

col. 1. & 2. & hanc sequuntur Fortunius num. 10. Galeaula num. 17. Ruin. numer. 11. in l. Gallus. §. & quid si tantum. D. de liberis, & posthum. Et secundum hanc sententiam dicit judicatum fuisse Gamma decis. 6. & alibi sæpè judicatum fuit, & meo tempore in processu Antonij Soares contra monasterium divæ Claræ civitatis de Beia, Scriba Melchior Correa, Insuper & in processu monasterij da Nunciada in Majoratu de Lisuarte Peres de Andrade, cui sunt appensi antiqui alij processus, Scriba Iovane de Paiua.

9 Et ad objecta in contrarium, nempe ad consil. Decij 259. respondetur, quòd loquitur, ubi monasterium vellet ex persona propria tamquam filius legalis admitti, excluso substituto, & contenderet, quòd tamquam filius de sanguine, manerent bona majoratus penes se in perpetuum: quo casu, bene loquitur Decius, & ejus dictum communiter recipitur.

Ceterum ubi monasterium ea bona petit nomine monachi, seu monialis tamquam conjunctæ, seu de sanguine, cui competunt omnia verba institutionis, idque ut illa ad ejus vitam possideat; secus est dicendum, & tunc procedit secunda opinio affirmativa, nec eo casu extinguitur conservatio familiæ, aut illius perpetuatio: imò continuatur deinceps per sequentes in gradu, prout proximus quisque fuerit repertus, quòd nec juri, nec voluntati testatoris repugnat, ut ostendit Aymon. consil. 152. cum aliis. Boerius decis. 354. Afflict. dict. decis. 320. num. 1. & Iul. Clar. verb. feudum. quæst. 78. versicul. qua tamen opinio. ubi inquit, quòd in hac specie non reperitur contradictor, & merito, quia omnes alij loquuntur in diversis casibus, & ita ad consilium Decij respondet Gamma decis. 6. numer. 3.

Ad consilium 22. Parisij vol. 3. & resolutionem Pelaes, in tractatu majoratum, respondetur, quòd Pelaes 2. part. quæst. 3. num. 11. dum ponit quæstionem in his terminis, ait, quòd communis admittit monachos in vita sua ad successionem, & allegat tamquam auctorem hujus opinionis Bart. in l. cum pater §. hereditatem D. de legat. 2. & loquitur speciatim in monasteriis divi Dominici, citans in hoc multos Doctores usque ad num. 17. ubi inquit, quòd ista opinio sibi placet: & quamvis numer. 8. usque ad num. 32. alleget multa argumenta in contrarium, in fine tamen dicit, quòd in dubio sequenda est pars, quæ favet Ecclesiis: unde videtur in partem potius affirmativam inclinare, & ita procedunt consilia Decij, & Parisij supra allegata, & alterius, ubi ex certissimis conjecturis colligeretur, quòd institutor voluit, quòd nec ex persona monachi succederet monasterium, & ita intelligit Covarr. lib. 1. resolutionum. cap. 19. num. 11. vers. quartum verum, & c.

Nec ibi Covarr. d. numer. 11. contra hanc communem loquitur, sed solum inquit, testatores posse prohibere, ne majoratus bona ad monachos, seu moniales, aut clericos deveniant; quia talis clausula non tam contradicit religioni, quam favet familiæ conservati: & ad hoc probandum subjicit, quòd majoratus non conveniunt monachis, nec clericis.

Sed etiam Anton. de Padilha in d. l. cum acutissimi. Cabedo Pars I.

C. de fideicommiss. nu. 44. loquitur secundum Decij consilia, quando monasterium in perpetuum voluisset succedere; quia tunc extingueretur nomen, & familia testantium. Quo modo etiam videtur loqui Iason in d. l. Gallus. §. & quid si tantum, numer. 42. licet non loquatur in majoribus, aut bonis vinculis, si bene legatur.

Sic etiam potest responderi ad illud, quòd ex adverso allegatur de Francisco Mantica lib. 8. de conjecturis. cap. 12. ex num. 25 quia loquitur in quæstione, utrum acquiratur monasterio majoratus successio, supposito quòd non potest in illo conservari familia instituentis: ex quo intelligitur, quòd disputatio ibi erat, an monasterium sibi acquirere posset bona majoratus in perpetuum, quo casu, potest procedere contraria pars negativa, quam primo loco posuimus.

Et similiter procedit, quòd adducitur de Menchaca, quia loquitur prout Mantica, & non negat moniali successionem majoratus in vita, quando voluntas testantis non refragatur, nec majoratus habet annexam jurisdictionem, aut dignitatem.

Nec Molina ubi supra, ex contrario allegatus aliud dicit, nisi quòd opinio ista affirmativa non sustinebitur, ubi institutionis natura repugnaverit, quòd etiam fatentur, qui eandem opinionem sequuntur; quia scilicet ubi intervenit talis prohibitio expressa vel tacita, monasterium non succedet.

Et tandem sic respondent ad locum Ripæ supra allegati, lib. responforum, respons. 13. num. 16. & 17. quòd loquitur, ubi filius clericus vellet succedere in perpetuum, contra testantis voluntatem: & Ripam citat Pelaes ubi supra, contra communem; sed ipse ab ea non discedit.

Cujus caput tribuitur Bart. in l. cum pater §. hereditatem, O. 1. D. de legat. 2. ubi in terminis dicit, quòd dies fideicommissi non cedit in ingrediente monasterium, nisi à die mortis: unde concluditur, quòd quamdiu ingressus vivit, monasterium justè possidet bona subiecta fideicommissi.

Et ita ex præfata dinumeratione apparet, pro parte ista affirmativa stare quatuordecim Doctores, quorum unus est Bart. pro alia verò decem tantum; & secundum magis communem esse judicandum, præsertim quando pro se Bartolum habet juxta Ordin. lib. 2. titul. 5. §. 1. quòd notandum maximè est.

## DECISIO CXXXIV.

An executio fieri possit in prædio emphyteutico?

## SUMMÆ.

1. Executio fieri non potest in emphyteusi nominationis, nisi vivente domino: quòd si ante finitam executionem moriatur, victor non poterit illam proseguere.  
Emphyteuta, qui emphyteusim pignori dedit, in persona creditoris non durabit plus pignus, quam duret emphyteusis in persona debitoris. Ibidem.

2. Nominatus in emphyteusi, ac simul heres institutus, si adeat hereditatem, tenetur ad debita hereditaria exolvenda de bonis suis.  
Qui simpliciter hereditatem adivit, tenetur debita defuncti exolvere, & factum ejus approbare, etiam si ex hoc plus amittat, quam ex testamento consequatur. Ibid.
3. Filius heres tenetur alienationem, aut obligationem emphyteusis à patre factam approbare, cujus hereditatem adivit.
4. Confecto inventario, heres non tenetur ultra quantitatem bonorum, quæ ex hereditate capit: quod si inventarium non fecerit, tenetur pro quota.  
Heres tenetur ultra vires hereditarias si minus sit in hereditate, quam in ære alieno, quod exolvit. Ibidem.
5. Filius qui per solutionem debiti se immiscuit paternæ hereditati, tenetur de bonis propriisolvere, etiam de emphyteusi, in qua fuit nominatus: scilicet si beneficio inventarij usus fuerit.  
Filius potest pro parte paternam hereditatem acceptare, & pro parte repudiare. Ibid.  
Pretium emphyteusis emptæ, & meliorationes, quas pater fecit, veniunt in collationem, & de illis debita sunt solvenda. Ibid.

**A**N executio possit fieri in prædio emphyteutico, multoties dubitatum fuit in senatu. Et dicendum, quod si emphyteusis nominationis est, hoc est, in qua sunt nominandi successores, puta secunda, vel tertia persona, tunc non fit executio, nisi vivente adhuc condemnato, per text. in §. ultimo. tit. 5. lib. 75. Ordin. Quod si ante finitam executionem, is moriatur, victor non poterit illam prosequi, quia resolutum est jus ipsius creditoris, arg. text. in l. lex vestigali. D. de pignoribus. sicuti dicimus de resolutione juris hypothecæ, aut pignoris, & in terminis tradit Ifern. in cap. 1. num. 5. de investit. de re alien. fact. & notabiliter Angel. in l. 1. C. si pignus pignori datum sit, in fin. inquit, quod si emphyteuta obligavit rem emphyteuticam in persona creditoris, non durabit plus pignus, quam duret emphyteusis in persona debitoris obligantis, & dicit pro hoc esse casum expressum in d. l. vestigali. & in terminis; quod non possit fieri talis executio in emphyteusi nominationis, mortuo emphyteuta debitore, tenet pulchrè Gamm. decis. 5. à principio, usque ad numer. 7. in fine. & ibi ampliatur tripliciter.

2. Primum, etsi nominatus in emphyteusi sit heres nominantis, ut ibi, & per eum, numer. 1. de quo tamen dubitari potest, quia ubi quis in emphyteusi ab emphyteuta nominatur, & simul heres ab eo instituitur, & ipse adit hereditatem, tenetur quidem ad debita hereditaria exolvenda de bonis suis; quia adeundo hereditatem cum defuncti creditoribus, sicuti cum cæteris legatariis, & fideicommissariis, quasi contrahere intelligitur, atque exinde se obligare ad ea præstanda, & adimplenda, ad quæ defunctus tenebatur, cujus factum, & conventionem tenetur approbare, & adimplere, & probat text. in §. heres quoque Instit. de obligat. qua ex quasi contractu nasc. voluntatem enim defuncti consensu per additionem confirmavit. l. si ab eo. C. de liberal. causa.

Unde amplius infirmare non potest, sed magis pro portione hereditaria sustinere, vulgaris l. cum à matre C. de rei vendicat. l. venditrici. C. de rebus alienis non alienand. l. ex qua persona. D. de regul. jur. cum similibus. Adeoque id procedit, ut adita hereditate simpliciter, teneatur is heres debita defuncti exolvere, & ejus factum præstare, etiam si ex hoc plus amittat, quam ex testamento consequatur. Intelligitur enim hujusmodi lucrum qualecumque sit, cum eo damno compensare voluisse, ideoque sibi imputare debet, d. l. unum ex familia. §. sed si uno, & §. si duos. de legat. 2. & hoc est quod d. l. cum à matre. dixit (pro portione hereditaria) ut in totum is teneatur, si in totum sit heres; alioqui pro portione hereditaria, id est, pro parte, si pro parte sit hæres. l. 1. C. cert. petat.

Hinc est, quod is hæres tenetur alienationem aut obligationem emphyteusis sibi debitæ à patre factam approbare, cujus hereditatem adivit, ex Roman. conf. 18. Alexand. conf. 3. col. 2. lib. 3. & melius Gozadinus, conf. 25. in hac causa. num. 21. colum. penult. & Corneus, qui plenius loquitur conf. 84. Videtur prima facie, col. 2. lib. 2. num. 7. ubi defendit testatorem posse rem emphyteuticam, alioqui Titio heredi debitam, ex vi concessionis seu institutionis alij legare, heredemque omnino post aditam hereditatem legatario teneri rem legatam præstare.

Heres namque confecto inventario, tenetur tantum pro quantitate bonorum, quæ cepit ex hereditate: qui autem non facit inventarium, tenetur pro quota, id est, pro tertia, vel quarta bonorum, quæ capit ex hereditate; vel in totum si totam capit: etiam si minus sit in hereditate, quam in ære alieno defuncti, quod exolvit, vel exolvere tenetur; quia tunc tenetur ultra vires hereditarias.

Itaque si iste heres solvendo debita, immiscuit se paternæ hereditati. l. 1. C. de jure deliber. tenetur etiam de propriis bonisolvere, & ita emphyteusi ipsa, in qua fuit nominatus.

Secus si usus fuit beneficio inventarij, & nihil aliud fuit consecutus ex paternæ hereditate, quam emphyteusim; quia tunc cum illam non capiat à patre, sed à primo concedente. d. l. unum ex familia. §. si de Falcidia, & l. eum qui. D. de interd. & relegat. non tenebitur emphyteusim dare in solutum, aut de eaolvere, quod etiam significat Ord. lib. 4. tit. 77. §. 32. Pro quo facit, quod filius potest acceptare pro parte, & pro parte repudiare paternam hereditatem, secundum Gamm. d. decis. 5. numer. 4. Val. de jur. emphyt. quest. num. 6. 7. & 8. Cal. de nom. quest. 12. à num. 49. Covarruv. 2. var. cap. 18. versic. quinta. Fallit nisi emphyteusim pater emisset, vel meliorasset; nam tale pretium, & melioratio venit in collationem, & ideo de eo prius sunt solvenda debita. Ita senatus noster judicavit secundum Gamm. ubi supra num. 4.

## DECISIO CXXXV.

Legitimus filius spurius à patre utrum succedat fratribus & sororibus uterinis, & è converso? Et an possit nepos, ex filia spuria, institui ab avo in testamento?

S U M M Æ.

1. Proponitur casus decisionis.
2. Neptis ex filia spuria, potest institui ab avo in testamento.
3. Fallit tamen si constet quod avus contemplatione filia spuria neptem instituit.
4. Donatio qua summam tercentorum ducatorum excedit, absque insinuatione valet, & in excessu caret effectu, ac si facta non esset.
5. Soror non legitima succedit de jure Regio alteri fratri legitimo una cum aliis sororibus legitimatis.
6. Donatio causa dotis, alimentorum, vel alterius pie causa, licet summam excedat, absque insinuatione valet.
7. Bona fidei possessor, & qui erravit in jure ad fructuum restitutionem non tenetur, nisi a tempore litis contestata.

**C**lericus quidam tres filias, & filium unum habuit, quem & filias duas legitimavit per Principem, alteram filiam non legitimavit: filio donationem inter vivos fecit certorum bonorum, quæ illi tradidit statim, is filius antequam matrimonium contraheret, è vita decessit: sorores illæ duæ, quæ legitimatæ erant tamquam heredes fratris præmortui, bona ejus dividerunt inter se, non admittentes ad partitionem sororem alteram, quæ legitimata non erat: quæ cum uxorata esset, è vita decessit relicta filia, cui avus clericus postea testamento suo residuum bonorum reliquit, adimpletis prius iis, quæ in eodem testamento legaverat, & disposuerat.

Hæc consobrina thias convenit dicens, quod etsi illa filia esset filia spuria, & non legitimata, nihilominus legitima erat, & poterat ab avo hæres in testamento institui in residuo bonorum suorum, ut fuerat.

Et quod donatio facta filio per clericum avum hujus actricis erat invalida, quia excedebat summam tercentorum ducatorum, & non fuerat insinuata, & perinde haberi debet, ac si facta non fuisset, & ita illa bona perinde judicari debebant, ac si essent ejusdem avi, & ad illam pertinerent, tamquam residuum bonorum avi, & quod in tercentis ducatis, in quibus donatio valebat, mater illius etiam si legitima non fuisset, portionem suam habere debebat, ex eo quia omnes filia erant unius matris.

Quæsitum fuit circa suprapositam speciem de multis.

In primis an hæc neptis ex filia spuria, poterat ab avo in testamento institui? Et dicendum, quod sic: siquidem avus nullum alium legitimum descendentem habebat. Ita glossa & DD. per illum text. in l. fin. ibi, nulla legitima sobole subsistente. C. de natural. lib. Dec. conf. 462. visa legitimatio. numer. 17. qui refert hanc esse magis communem sententiam.

Hoc tamen limitatur nisi constiterit, quod avus neptem instituit contemplatione suæ filia spuria, ut per Dec. ubi supra num. 20.

Secundò quærebatur, an donatio valida foret, Cabedo Pars I.

quæ insinuatione carebat; & dicendum, quod usque ad summam tercentorum ducatorum valet: in excessu verò non valet, & caret effectu, ac si valida non esset. Ord. lib. 4. tit. 54. in principio. l. sanctimus. cum Auth. sequenti. & l. si quis argentum. §. sed & si, C. de donationibus.

Tertio quærebatur, si non valet donatio in excessu, quid faciendum erat de bonis excedentibus illam summam? Dicendum, quod perinde haberi debent, ac si pater numquam à se illa bona dimitteret, nec filio donasset: & ex illis debet exequi testamentum patris, & residuum dari nepti; cui relicta per avum fuerunt.

Quartò, si in tercentis ducatis, in quibus donatio valet, poterat soror illa non legitimata succedere? & dicendum, quod sic: cum filia esset uniusmet matris, ex Ord. lib. 4. tit. 81. quæ in hoc à jure communi deviat, ut in d. l. fin. & in §. novissimè, instituit. ad senat. consult. Orficianum. per glossam in Authent. si qua illustris. C. eodem. Dec. conf. 311. ex quo portio matris non legitimatæ pertinet ad filiam neptem clerici.

Et idem dicendum est casu, quo donatio valuisset in totum, ut poterat valere, si causa dotis fuisset facta, aut alimentorum, aut alterius causæ piæ, ex d. Ord. lib. 4. tit. 54. & juribus supra allegatis. quia tunc tres sunt faciendæ portiones, ex omnibus bonis contentis in donatione, & una dari dictæ consobrinae, & aliæ duæ ejusdem thias legitimatis.

Consobrina tamen videtur quod non habeat fructus suæ portionis, nisi à tempore litis contestatæ; quia videtur, quod thias ejusdem, usque ad illud tempus, bona fide bona possederunt, visa partitione inter illas facta, & cum legitimatæ essent, & ob id justam causam habuerunt dubitandi.

DECISIO CXXXVI.

An testator prohibere possit, ne uxor, rogata restituere post mortem suam bona mariti, heredibus ejusdem mariti, inventarium faciat?

S U M M Æ.

1. Uxor cogi potest, ut inventarium faciat etiam si testator expressim vetuerit ne id faciat.
2. Cautio de utendo boni viri arbitrio, à testatore remitti nequit.
3. Testator remittens onus reddenda rationis, non censetur remittere dolam in ea reddenda. Heres qui tenetur restituere, & sic rationem reddere, si inventarium non fecerit, in dolo videtur esse. Ibidem. Idem dicendum est in satisfactione legatariorum. Ibidem. Idem, & à fortiori si heres contra formam statuti requirentis inventarium, illud facere recuset. Ibidem.
4. Responsio, & intellectus ad l. fin. C. arbitrium tutela.
5. Responsio, & intellectus ad l. fin. in primo responso. D. ut legatorum, seu fideicommissorum nomine caveat.

6. Testatorem non posse in præjudicium legatariorum remittere confectioem inventarij, quomodo intelligatur.
7. Licet testator à successione removeat heredes, si uxorem ad inventarium coegerint, si contra fecerint, non ob id à successione submovebuntur.
8. Licet testator possit confectioem inventarij tutori remittere; ad illud tamen compellatur, si iudex videat id magis pupillo expedire.

**U**Xor rogata à marito, ut bona sua in quibus illam heredem instituit, post mortem ipsius heredibus restituat: utrum ab eisdem cogi possit, ut inventarium faciat, etiamsi testator expressum vetuerit, ne ad id cogereetur, quæstionis fuit.

1. Et placuit, ut cogi nihilominus posset; nam tale inventarium est veluti quædam cautio de utendo boni viri arbitrio, quæ idèd fit, ut inde possit apparere, quatenus heres rem pejorem fecerit, ut tantumdem fideicommissario solvat, toties videlicet, quoties damnum dederit. *l. 1. versic. illud, & versicul. Rectè autem.* ubi glossa verb. sapius. *D. de usufruct. quemadmodum caveat.*
2. Talis autem deterioratio apparere non potest, nisi facta rerum æstimatione, & descripta, *d. versic. rectè cum gloss. verb. intestatum.* & eo modo præstatatur dicta cautio de utendo boni viri arbitrio; sed talis cautio remitti nequit à testatore, *l. scire. C. ut in possessionem legat. & c.* ergo nec tale inventarium: quo ferè argumento id probat Alexand. *conf. 59. num. 7. lib. 3.*
3. Præterea, licet testator remittat onus reddendæ rationis, non tamen videtur remittere dolum in ea reddenda. *l. cum tale. §. 1. D. de condition. & demonstration.* Heres autem rogatus restituere, rationem reddere tenetur, eorum scilicet, quæ accepit, ut fideliter restituat: & idèd tenetur inventarium facere, sicuti quilibet, qui rationem reddere debet, arg. *l. tutor. qui repertorium. D. de administrat. tutor. l. 1. §. officio. D. de tutel. & rationibus distrahend. & idèd in dolo videbitur esse, si inventarium non faciat, quia præsumitur id facere, ut malam reddat rationem, cum bona vix reddi possit, non confecto inventario: ergo talis dolus hic remissus non videtur, etiamsi testator, & inventarium, & rationes vetuerit. Quo argumento in legatariis, id tenet Paul. in *l. cum tale, §. 1. colum. 2.* ubi ita dicit se consuluisse, & antè sensit ibi Bald. in *fin. D. de condition. & demonstr.* & multò magis heres in dolo videbitur, si contra formam statuti requirentis inventarium illud facere recuset. *Ang. consil. 175. versicul. Dico autem.**
4. Nec obstat *l. fin. §. fin. C. arbitrium tutela.* quia ibi testator vetuit fieri inventarium, in utilitatem heredis sui instituti, quia fortè illius confectio esset illi damnosa, quia sic denudaret paupertatem, vel divitiæ aliorum submitterentur invidiæ. *l. 2. C. quando, & quibus quarta pars debetur. lib. 10. ex Ioann. Andr. ad Specul. tit. de tutore. §. generaliter. num. 10.* nec ibi erant hereditarij creditores, aut fideicommissarij, quibus heres teneretur hereditatem restituere, quo casu, cautio de utendo boni viri arbitrio, testamento non potest remitti, *dict. l. scire. C. ut in possessionem legatorum, & c.*

Non etiam obstat text. *difficilis in l. fin. in primo responso. D. ut legatar. seu fideicommiss. nomine caveat.* dum ibi heredi censetur remissa cautio de fideicommissio restituendo, etiamsi heres dissipet; quia non tollit ille text. quin tunc possit cogi, cavere de utendo boni viri arbitrio, juxta *d. l. 1. versic. illud, & versicul. habet autem. D. usufructarius quemadmodum caveat.* Dupliciter enim cavere debet heres; primò de fideicommissio restituendo; secundo de utendo boni viri arbitrio, & prima cautio bene remittitur testamento. *l. 2. l. scire. C. ut in possess. legat. l. cum tale. §. 1. D. de condit. & demonstr. l. licet, & d. l. fin. D. ut legatorum seu fideicommiss. nomine caveat. Authent. de restitut. fideicommiss. §. unde & cautionem, collat. 8.* Secunda verò cautio minimè remittitur, *dict. l. scire in fine.*

Vel responderi potest ad *d. l. fin.* quòd ibi heres si dissipet, statim cogetur restituere, vel fiet sequestratio, secundum glossam ibidem.

Et in hunc modum accipio, quod plerique dixerunt, testatorem in præjudicium legatariorum remittere non posse confectioem inventarij, videlicet, quominus heres teneatur cavere de utendo secundum boni viri arbitrium. Bald. & Paul. in *d. l. cum tale. §. 1. Alexand. consil. 59. numer. 7. lib. 3.* Franciscus Porcelinus de inventario. *cap. 1. num. 15.* quamvis idem Paul. & Alexand. in *l. nemo potest. D. de legat. 1. Dec. consil. 418. numer. 14.* aliud velint.

Postremò quamvis testator à successione removeat heredes, qui uxorem ad inventarium coegerint, vel aliter contra testamentum fecerint, tamen non ob id illi ab hereditatis successione submovebuntur. text. optimus in *l. licet. D. ut legat. seu fideicommiss. nomine caveat.*

Et huc pertinet, quòd etsi testator possit confectioem inventarij remittere tutori, *l. fin. §. illo. C. arbitrium tutela.* tamen tutor ad illud compellatur, si iudex pupillo magis id expedire videat. Bart. in *d. l. fin. num. 4. C. de arbitr. tutela.* Bart. in *l. in confirmando. D. de confirmando tutor.* sequitur Franciscus de Porcel. in tractatu de inventario. *cap. 1. numer. 14. volum. 7. tractat.* Quod de facto vidi sic iudicatum, in processu oppidi de Borba, anno 1565.

## DECISIO CXXXVII.

Utrum tutor in causa sui pupilli deponere teneatur ad articulos?

### S U M M Æ.

1. Tutor tenetur deponere in causa sui pupilli, secundum aliquos.
2. Actor potest eligere, sive tutorem, sive pupillum ad deponendum.
3. Contrarium tamen, quòd pupillus deponere tenetur, iudicatum fuit: & ita praxis observat cum distinctione, de qua hic remissivè.

**H**Oc verbum, deponere, seu, depoimento, usitatum est apud nos. Circa quam materiam dubitatum fuit in senatu in mense Maij, anno 1590.

An tutor pupilli, in causa quadam civili, in qua ipse pupillus conveniebatur, deponere teneretur ad articulos; an pupillus id teneretur facere?

- 1 Et dicebant aliqui senatores, quod tutor ad id tenebatur, ex doctrina Bart. in l. quoties. § si tutor. D. de noxalibus.
- 2 Idem ex eo, quia procurator, qui est dominus litis, tenetur etiam deponere, per text. in l. non solum, in principio. D. de procurator. cap. 1. de confess. lib. 6. Affliet. decis. 92. dum tamen actor eligat unum ex his duobus ad deponendum sive tutorem, sive pupillum.
- 3 Contrarium tamen iudicatum fuit, ex eo, quia testificati sunt senatores antiqui, numquam in practica id vidisse, scilicet tutorem deponere, sed pupillum id debere facere. Quod ego admitto; cum distinctione tamen, de qua per Rebuff. ad l. Gal. tom. 3. tit. de responsionibus per credit. vel non. in princip. num. 7. Ad quod videnda est Ord. nostra lib. 3. tit. 29. § 4. secundum quam practica illa intelligenda est.

## DECISIO CXXXVIII.

Emphyteusim, quam emphyteuta unus possidet, utrum dominus directus possit interim alij emphyteuticare, ut habeat post illius possessoris mortem, vel promittere de emphyteuticando post illud tempus?

## SUMMÆ.

1. Concessio feudi facta alij in vita possidentis ut post ejus mortem habeat effectum, valida est.
2. Responsio ad l. fin. C. de pact.
3. Promissio adversus bonos mores, & jus gentium non valet.  
Promissio de emphyteuticando alij, vivente adhuc emphyteuta, inutilis est. Ibid.
4. Non valet argumentum de feudo ad emphyteusim, ubi consuetudo, aut constitutio feudi discrepat à jure communi.
5. Promissionem contra jus resistens si quis non adimpleat, ad interesse non tenetur: secus si à principio valida fuit, quia in illa succedit obligatio ad interesse.

**E**T pro parte affirmativa, quod possit, & valeat talis promissio, allegatur text. in cap. 1. § moribus. si de feudo defuncti contentio sit. & ibi Ifern. Bald. & alij, concludentes, quod valet concessio feudi facta alij in vita possidentis, ut post ejus mortem habeat effectum, & ibi inquit text. secus esse in personis Ecclesiasticis, ne auferatur Prælati successoribus potestas conferendi beneficia, quæ suo tempore vacare contigerint, ad idem text. in cap. 2. de feudo dato in vicem leg. commissoria. & in cap. 1. qui successores teneantur.

2 Nec obstat. l. fin. C. de pact. dum probat, quod non valet pactum factum de hereditate viventis, quia ad hoc respondet Bald. in d. § moribus. quod procedit in hereditate aliena, scilicet, illius viventis, quia dum vivit non convenit de ea pacisci, ne quis sit

sollicitus de hereditate viventis. Ceterum quando dominus feudi, vel emphyteusis, eadem ratione, concedit alij feudum, vel emphyteusim, quam alius possidet ad vitam dumtaxat, non videtur pacisci de alieno, sed de suo, & in tempus in quo potest disponere ad libitum, videlicet, post mortem possidentis, quod jure fieri potest per text. in l. in concedendo, & l. in diem. D. de aqua pluvia. arcend. Et idem voluit Ifern. in d. cap. 1. qui successores teneant. & idem inquit etiam text. d. § moribus. quod ad ejusmodi concessionem non est necessarius consensus feudatarij possidentis. Idem tenet ipse Bald. in d. cap. 2. de feudo dato in vicem leg. commissor. ubi arguit ad partes, & postea dicit, quod hæc est ipsa veritas, & quod istud non potest dici pactum de futura successione, sed quoddam pactum collatum in defectum juris tertij; quod pactum habet in se juris ordinem, & est de jure validum, ut ibi per eum; & allegat inter alia bonum simile, de eo cui dedi usum fructum aliqujus fundi, quod nihilominus possum promittere eundem fundum alij cum vacaverit, & adjicere quot substitutiones, & conditiones voluero, ut in l. ut hereditibus. D. de legat. 2. quia in re propria quilibet est moderator, & arbiter. l. in re mandata. D. mandati.

Nec dici potest dicta jura loqui in feudalibus, nec trahenda ad alios casus: nam oppositum in terminis concludit Bald. in d. cap. 2. de feudo dato in vicem leg. commissor. & Ifern. in d. cap. 1. qui successores teneant. ubi quærit utrum ille text. locum habeat in aliis non feudalibus; & licet videatur repugnare cap. 2. de concess. præbenda. lib. 6. tamen concludit oppositum, & quod d. cap. 2. habeat locum dumtaxat in beneficiis Ecclesiasticis, quia communiter petuntur per importunitatem.

Sed in contrarium facit, quod talis promissio sit 3 contra bonos mores, quia datur proxima occasio desiderandi mortem proximi, in ejus locum quis est successurus, d. cap. 2. & est text. in l. quidam in jure. § fin. D. de donationibus, ibi, quoniam adversus bonos mores, & jus gentium festinasset. & etiam facit l. 2. § fin. D. quibus, ut indignis. quæ occasio cum datur, ubi alij promittitur emphyteusis, quam alius possidet, sequitur quod eodem modo talis promissio repugnat juri naturali, quo argumento talem promissionem non valere, tenet in expresso Curt. Junior in d. l. fin. num. 22. C. de pact.

Nec obstat d. § moribus. quia loquitur in feudis, 4 & non valet argumentum de feudo ad emphyteusim, ubi constitutio, aut consuetudo feudi, discrepat à jure communi, quod hic datur, ut per Vaz. de jure emphyteut. qu. 39. num. 19.

Et ita fuit pro hac parte iudicatum in processu Ioannis Vieira, Scriba Antonio Roderico, an. 1577. mense Augusti.

Et fuit conclusum non valere talem promissionem, adeo quod nec ad interesse teneatur dominus directus si illam non adimpleat, quia non valet jure resistente: secus si valeret, quia tunc promissio de emphyteuticando, est promissio facti, in qua succedit obligatio ad interesse, ut est doctrina Ioann. Imol. in cap. cum contingat. de jurejurando. Doctor. in l. 4. § si is, qui. D. de verbor. obligat.

## DECISIO CXXXIX.

An chirographum clerici valeat tamquam publica scriptura ?

## S U M M Æ.

1. Chirographum equitum, qui sunt confirmati, valet tamquam publica scriptura.
2. Quod est certis personis concessum, aliis videtur esse prohibitum.
3. Privilegium concessum Abbatibus benedictis, simplices Abbates non includit.
4. Emphyteusis Ecclesiastica requirit publicam scripturam.
5. Equites confirmati à militibus differunt.

**C**ontroversum fuit in senatu, An chirographum cujusdam clerici Abbatis cujusdam Ecclesiæ, in quo T. prædium quoddam Ecclesiæ in emphyteusim concesserat, valeret tamquam publica scriptura ?

1. Pro parte affirmativa allegabatur, quod clericus est miles cælestis militiæ: at Ord. lib. 3. tit. 45. §. 14. concedit hoc privilegium chirographis equitum, qui sunt confirmati; ergo ad clericos extendenda est, ex reg. l. miles. in principio. ubi DD. D. de re. judicat.
2. In contrarium dicebatur, quod Ord. illa enumerat certas personas, quarum chirographis fides adhibetur, tamquam si esset publica scriptura; inter quas personas clericus non numeratur: ergo non debet in dispositione illius Ordinationis comprehendendi, arg. l. cum prator. D. de judiciis, tradunt Bart. & DD. in l. 1. D. de reg. jur.
3. Insuper si simplices Abbates Ecclesiarum includere voluisset Ord. illa, non diceret, *Abades bentos*, sed simpliciter, *Abades*, quod cum non fecerit, solum Abbatibus benedictis illud privilegium concedere voluit.
4. Et ita judicatum fuit, quod non valeret prædictum chirographum clerici Abbatis, tamquam publica scriptura: & ob id nec emphyteuticatio de prædio Ecclesiæ facta, in illo privato chirographo, cum scriptura publica necessaria sit. Ord. lib. 4. tit. 16. in princip. Alvar. Vaz, de jur. emphyt. quest. 7. num. 17.
5. Neque illud, quod clericus sit miles cælestis militiæ ad rem facit; quia tunc procederet argumentatio, si Ordinatio militibus privilegium illud concederet, glossa d. l. miles. quod ipsa non concedit, sed equitibus confirmatis; quod longè aliud est: est enim dignitas, l. unica, C. de equestr. dign. lib. 12. militia autem simplex, dignitas non est, notat glos. d. l. unica. facit & quod tradit Rebuff. ad ll. Gal. tom. 1. fol. 180. num. 6. Avendan. respons. 17. nu. 1. quod notandum est ad intellectum illius Ordinationis.

## DECISIO CXL.

An ad emphyteusim nominari possit alia persona, quam nominata in concessione ?

## S U M M Æ.

1. In materia restringibili non veniunt, nisi quæ verbis exprimuntur, nec licet arguere a pari, nec à minori ad majus. Potestas nominandi aliquam certam personam expressim nominatam, ad alteram personam extendi non debet. Ibidem. Verba restrictiva restringunt dispositionem etiam favorabilem. Ibidem.
2. Extensio de persona ad personam jure prohibetur, nec fieri potest etiam ex tacita & verisimili mente disponentis. Filiarum appellatione, nominibus propriis expressis, nepotes non comprehenduntur: licet filiorum appellatione, in ultimis voluntatibus, veniant nepotes. Ibidem.
3. Contractus non recipiunt interpretationem ampliativam, etiamsi sine ea promissio stare non possit. Casus contingens præter ordinationem contrahentium, etiam ex rationis majoritate, in dispositione minimè comprehenditur. Ibidem.
4. Nominatio fieri non potest in aliam personam, quam in nominatam, & expressam in contractu emphyteutico, etiamsi in illa major ratio, ac verisimilis mens contrahentis possit concurrere.
5. Decretum senatus in præsentis decisione.

**C**oncessum fuit molendinum cuidam Blanca Fialha sibi, & quod post mortem nominare posset alteram vitam, nempe, sororem Antoniam Fialha expressim nominatam, quæ soror Antonia obiit, vivente sorore Blanca.

Postea moriens Blanca ista, in secunda vita, in qua ex concessione, & facultate poterat nominare sororem Antoniam, nominavit maritum suum Anton, Carvalho. Quæsitum fuit, possetne id facere ?

Et quod non posset nominare, imò illa mortua molendinum reverti debere ad dominum directum, faciunt sequentia.

Quod in materia restringibili, non veniunt nisi quæ verbis exprimuntur, nec licitum est arguere à pari, nec à minori ad majus, etiam affirmative. cap. cum in illis in 2. respons. de præbendis. lib. 6. Hostiens. in cap. postulasti. de rescriptis. & idem probat text. in l. penultima. C. de legat. per quem dicit Bald. consil. 262. in fin. lib. 1. §. 456. lib. 5. quod ubi in aliqua dispositione sunt verba restrictiva, illa restringunt dispositionem illam etiam favorabilem: quæ quidem restrictio in proposita specie satis colligitur, quia non simpliciter fuit data potestas prædictæ Blanca Fialha nominandi, quem post ejus mortem voluisset, sed tantum, nominatim ac expressim, ut sororem suam Antoniam Fialha nominaret.

Ergo talis nominatio ad aliam personam extendi non debet, juxta notata per DD. in l. coheredi. §. cum filia. D. de vulg. & pupill. voluit Aymon. consil. 98. n. 6. & 7. & hoc regulare est, extensionem de persona ad personam jure prohibita esse. cap. sanè de privilegiis. Abb. cons. 57. col. penult. l. 1. Ias. in l. cum res. c. 3. n. 6. de leg. 1. Dec. cons. 85. col. 4. & cons. 291. col.



col. 3. *conf. 218. volum. 4.* & *Alexand. conf. 81. col. 1. ad finem.* ubi dicunt, quod extensio non fit de persona ad personam, etiam ex tacita, & verisimili mente disponentis: & ideo verbum filiarum nominibus propriis expressarum comprehendere non potest nepotes, & idem voluit *Aymon d. conf. 98. num. 13.* Licet aliàs in ultimis voluntatibus, appellatione filiorum veniant nepotes, *l. Gallus. §. instituens. D. de liberis & posthum.* *Bart. in l. liberorum. colum. 3. versicul. quid si appellatio filiorum. de verborum significat.* & *in l. filij. & in l. justa. eodem tit.* ergo à fortiori hoc dicendum est in contractibus. *Alexand. conf. 128. num. 12. volum. 1.* *Ias. consil. 115. colum. penult. volum. 1.* contractus enim sunt stricti iuris. *cap. cum dilecti. de donationibus. l. in testamentis. D. de regul. jur. l. quidquid astringenda. D. de verborum obligat.* & illi, qui se fundat in verbis, potest imputari, cur legem apertius non dixerit, *l. veteribus. D. de pact.*

3 Et ideo contractus non recipiunt interpretationem ampliativam, etiam si sine ea promissio stare non posset, ut consuluit *Bald. consil. 145. col. penult. lib. 3.* & casus contingens præter ordinationem contrahentium, etiam ex rationis majoritate in dispositione minimè comprehenditur, ut tenent DD. *in l. quod favore. colum. fin. C. de legibus. Anchar. consil. 356. colum. 3. versicul. hoc probat natura, & in versic. non obstat. Dec. consil. 63. num. 1. & sequenti.* Et ratio est manifesta, quoniam omissum quidquid est in contractibus, censetur omissum, ita quod altera partium, non potest interpretari, & dicere se hoc modo intellexisse, & non illo, ubi nihil dictum fuit, & ex verbis colligi non potest. *Bartol. in dist. l. quidquid astringenda, & in l. si cum dotem. in principio. D. soluto matrimonio. & in l. si extraneus, D. de conditionibus ob causam. Paris. consil. 117. nu. 6. lib. 1. & Roland. conf. 59. num. 25. lib. 3.*

4 Ex quibus planè concludendum est, nominationem in aliam personam factam, quàm in nominatam, & comprehensam in contractu emphyteutico, & extra ejus dispositionem, & intentionem concedentis nullam esse, etiam si major ratio concurrat in persona, quam defuncta *Blanca Fialha* nominavit, & concurreret etiam tacita, aut verisimilis mens disponentis.

5 Pro alia parte allegatæ fuerunt duæ decisiones nostri senatus ferè in eisdem terminis, de quibus per *Gamm. decis. 235. & decis. 283.* sed non obstantibus illis iudicatum fuit, non posse *Blancam* nominare maritum; sed quod molendinum ad dominum directum spectabat, & fuit magna varietas votorum in senatu, anno 1582. in processu inter *Domin. Petrum Coutinho, & Antonium Carvalho, oppidi S. Jacobi de Cacem.*

Tandem revisio petita fuit ab hac sententia & per Regem concessa, pendetque lis in instantia revisionis, ut audio.

S U M M Æ.

1. Ad officium decurionum spectat statuere circa pretium piscium, qui à mulionibus exportantur, quomodo, & quo tempore & loco sint vendendi.
2. Muliones antequam pisces exonerent ad vendendum, tenentur adire adiles, ut pretium taxent: quod si injustum eis visum fuerit, possunt appellare ad decuriones. Muliones servare tenentur pretium à decurionibus taxatum. Ibidem.
3. Sicut muliones possunt cogi ad vendendum pisces suos pro pretio taxato, ita & eos per triduum in macello habere, & postea exportare. Quod tamen intelligendum est, si publica necessitas interveniat: secus si tanta non sit, quod respublica his opus habeat. Ibidem.

**D**ecuriones sæpitis decreta faciunt super piscibus investis aliunde à mulionibus, & eorum pretio, & secundum quam formam sunt vendendi, quo tempore, & quo loco: de qua re muliones multoties ad senatum supplicantes conqueruntur: & ita in senatu solet hoc temperari.

Primùm statuunt, ut muliones, non alibi quàm in publico macello, seu platea, pisces advectos exonerent. Dictum fuit, id ita temperandum, ut muliones antequam jumenta exonerent, ad ædiles deferant, denuntiaturi utrùm velint ibi vendere; si nolint, statim extra oppidum exportent, & ejus limites, intra breve, sed congruum temporis spatium, si velint, tunc ædiles taxent pretium. Quod si iniquum videbitur ad decuriones appellent, juxta *Ordin. lib. 1. tit. 49. §. 19.* sin autem etiam decurionum pretium displiceat, illud nihilominus patiantur, & servant tamquam sententiam superioris, cujus jurisdictioni se sponte submiserunt, dum se ibi pisces suos velle vendere denuntiarunt, & venales exposuerunt, juxta ea, quæ resolvit *Covarr. lib. 3. resolut. cap. 14.*

Et in hac specie sicuti possunt cogi ad vendendum eo pretio, ita & pisces suos in macello, aut platea per triduum habere, & postea exportare, ut fit in aliquibus oppidis. Ceterùm id maximè admittendum, ubi civitas his opus habet, & est necessitas publica, ex *Alciat. lib. 1. de verbor. signific. colum. 28.* per *l. Annonam. D. de extraordinariis crim.* *Bartol. in l. 1. §. cura carnis, D. de offic. præfect. urb.* *Covarruv. ubi supra. numer. 6.* Quod si tanta non sit publica necessitas; æquius erit, ut mulionibus liceat statim pisces suos, quò velint, exportare, modò sit extra oppidum & limites: cessat enim tunc necessitas publica, & imminet incommodum, & damnum privatum, quo casu non licet decurionibus statuere, arg. eorum quæ tradit *Bart. in l. Ambitiosa. numer. 25. in fin. C. de decret. ab ordine faciendis.*

DECISIO CXLI.

An decuriones possint statuere circa pretium piscium, qui à mulionibus exportantur?

DECISIO CXLII.

Quomodo inducatur præventio jurisdictionis?



## S U M M Æ.

1. In casibus mixti fori, per solam citationem fit præventio jurisdictionis, & num. 4.
2. Ad hoc, ut locus sit præventioni, non requiritur, quod fiat inter easdem partes, sed satis est, quod sit eadem materia, & idem contractus, & idem jus.  
Si iudex secularis prius unum testamentarium citet, Ecclesiasticus non poterit reliquos testamentarios citare ad executionem ipsius testamenti. *Ibidem.*
3. Sententia lata contra unum correum, alteri correo nocet.
4. Per citationem nullam non inducitur præventio.
5. In casibus mixti fori, in quibus ad litem requiritur uxoris citatio, per solam citationem mariti inducitur præventio.
6. Præventio inducitur per capturam personalem.

**I**N senatu talis fuit excitata quæstio: Convenit quidam creditor debitoris sui fidejussorem, qui correum, atque in solidum debitorem se constituerat super quodam contractu, quem fidejussor adimplere negabat excipiendo, quod esset usurarius; & tandem creditor, tam in prima, quam in secunda instantia obtinuit, & in senatu contractum, ut validum, nec usurarium, adimpleri debere placuit. Postea cum adversus victum fidejussorem creditor sententiam exequeretur, atque ille dum excuteretur non esset solvendo, pro eo, quod minus solvit, principalem debitorem tentat convenire; qui antequam citaretur, eundem creditorem in iudicium Ecclesiasticum vocavit, super usuræ quæstione litigaturus; cumque creditor exciperet de jurisdictione præventa, & re iudicata in iudicio sæculari, debitorque replicaret illud actum fuisse inter alias partes; & iudex Ecclesiasticus se nihilominus competentem pronuntiaret; creditor ad iudicium Coronæ gravamen supplicando interposuit (ut moris est) & placuit in senatu præventam esse jurisdictionem, ideoque Ecclesiasticum iudicem inhibendum ne cognosceret, quia re vera sæcularis jurisdictionem prævenit cognoscendo de eodem contractu, & eadem usuræ quæstione, & diffiniendo illam diffinitiva sententia. Et satis est in casu mixti fori, prævenire jurisdictionem citando dumtaxat, ex *Ord. lib. 2. tit. 35. §. 5. ibi, citando primeiro os testamentarios. Extravag. p. 2. tit. 2. l. 13. §. 5. Octavianus de stylo curia l. 3. cap. 11.*

2. Nec requirunt hæc leges, quod præventio sit inter easdem partes, sed, quod sit eadem quæstio, & eadem materia, & idem contractus, & idem jus: & ideo verum est dicere, quod sæcularis prius citavit ad illam causam, licet citaverit aliam personam: pro qua re expendebatur, quod si sint plures executores testamentarij, & iudex sæcularis unum prius citet, & postea Ecclesiasticus velit alios citare ad executionem ejusdem testamenti, certè non poterit, quia jurisdictio à sæculari plane fuit præventa per unius citationem, quod satis significat text. *in d. §. 4. tit. 35.* Secundò adducebatur, quia si aliud diceretur, & iudici Ecclesiastico liceret de eadem causa, & usuræ quæstione cognoscere, sequeretur absur-

dum, quod possent super eadem causa, & quæstione sequi diversæ sententiæ in diversis tribunalibus, quod maximè est vitandum. text. *in l. singula, D. de except. rei judic.*

Allegabatur etiam, quod sententia lata contra unum ex correis, nocet alteri correo. text. *in l. fin. C. de duob. reis. stipuland. & promit. l. 3. §. 1. D. eod. at verò fidejussor hic fuit quasi quidam correo, quia se simul, & in solidum constituit debitorem.*

Et in materia illud est notandum, quod per solam citationem, ut diximus, fit præventio jurisdictionis. *cap. proposuisti. de for. competen. ubi glossa, Abb. & Alex. in l. si pluribus ubi Aretin. colum. 7. Ias. colum. 6. D. de legat. 1. Tursanus opinio. 128.*

Quod declarandum est, dummodo citatio sit valida, aliàs per citationem nullam non inducitur præventio. *Ord. lib. 2. tit. 35. §. 17.*

Et vidi decretum in senatu, quod in casibus mixti fori, in quibus ad litem requiritur citatio uxoris, per solam citationem mariti, præventio jurisdictionis inducitur. *Ord. d. lib. 2. tit. 35. §. 4. & lib. 3. tit. 49. §. 2. & vide Tursanum quæst. 97. Bossium tit. de foro competent. n. 103. in instrumeto quodam gravaminis à Vicario Ecclesiastico oppidi de Santarem, 22. die Junij, anni 1591. Scriba Augustino Rebello.*

Et per capturam personalem inducitur etiam præventio jurisdictionis. *Angel. in l. sanè si maris. D. de injuriis. Cæpol. de servitut. cap. 26. de mari. num. 21.*

## DECISIO CXLIII.

Per quæ verba censeatur institutus majoratus nominationis in perpetuum.

## S U M M Æ.

1. In bonis majoratus, quæ veniunt per nominationem, potest nominari ea persona, quam voluerit is, qui potestatem habet nominandi, etiamsi femina sit, & extet frater masculus, seu senior, seu junior.
2. Si facultas eligendi alicui actui cohareat, prout actus principalis transfertur in alium; ita etiam videtur translata facultas eligendi tali actui coharens.
3. Hoc non solum habet locum, quando actus principalis transfertur in aliquem heredem universalem, sed etiam quando transfertur in aliquem successorem particularem.
4. Forma, conditio, & voluntatis expressio, in institutione adjecta, censetur repetita in substitutionibus successive sequentibus.

**I**N causa filiorum Doctoris Andreæ Taveira contra Donam Lucretiam Soares, ea fuit in dubium revocata quæstio:

An ex verbis testamenti Beatricis Soares, quæ certa bona vinculavit in majoratu, & nominavit administratorem ad illum, Doctorem Didacum Taveira, & quod ipse moriens nominaret quem vellet ad dicta bona in majoratu sic vinculata, quæ obem fizesse, sunt verba institutionis; visa fuerit prædicta testatrix majoratum nominationis in perpetuum facere,

facere, aut solum facultatem nominandi, & eligendi concessisse prædicto Doctori Didaco Taveira prærenomato, & quod deinceps succederet in prædicto majoratu proximior consanguineus.

**I.** Et juris principium est in hac materia, quod in bonis majoratus, quæ veniunt per nominationem, potest nominari ea persona, quam voluerit is, qui potestatem nominandi habet, etiam si foemina sit, & extet frater masculus, seu senior, seu junior. Et foemina nominata succedet in tali bonorum administratione, cum electio libera sit. Gom. l. Taur. 40. numer. 61. Molin. de primogeniis. lib. 2. cap. 5. numer. 4. & 6. & probat à fortiori Ordin. nostra lib. 4. tit. 63. §. Esendo. Cum igitur dicta Dona Lucretia per nominationem ultimi administratoris succederet; ipsa succedere debuit in tali administratione.

Hoc supposito, pro parte contraria allegabatur: Quod is ordo succedendi per nominationem in his bonis majoratus solum datus erat primo nominato Didaco Taveira, & non aliis administratoribus: ergo in aliis servandum erat jus commune, quod disponit, ut in his bonis masculus foeminae præferatur. Extravag. l. 12. & 13. tit. 1. part. 6. Bartol. & DD. in l. si cognatus. D. de rebus dubiis.

Sed in favorem dictæ Donæ Lucretiæ respondebatur, quod in primæva institutione hujus majoratus, voluntas testatrix ea fuit, quod administratio hæc perpetuo duraret; ut per testes probabatur, qui interfuerunt testamento nuncupativo: & sic voluit, ut essent in his bonis perpetui administratores, & sic per mortem administratoris, qui succederet in tali administratione, successivè alter succederet in perpetuum, ea perpetuitate, quæ in rebus humanis considerari potest. l. eum debere. D. de servitutibus urban. prædiorum. l. proponebatur. D. de judiciis. Anch. conf. 27. num. 13.

Unde ex eo necessariò consequabatur, quod defuncta voluerit, ut non solum Didacus Taveira priori loco nominatus potestatem haberet nominandi administratorem, post mortem suam, que o bem fixe se; sed etiam, quod nominatus per illum, eandem potestatem haberet nominandi, & sic successivè omnes alij administratores, qui in his bonis vincularis succederent.

Quod probatur ex text. in l. si stipulatus fuerim. in principio. D. de verbor. oblig. ubi probatur, quod si alicui actui cohæreat facultas eligendi, pro ut actus principalis transfertur in alium, ita etiam videtur translata facultas eligendi, tali actui cohærens, & ibi notat Bart. numer. 3. inquit, quod facultas eligendi, in prædicto casu, pertinet ad executionem actus principalis, & juris præambuli, unde sicut actus principalis transit ad hæredem, l. uni. C. ut actiones ab hered. & contra hered. ita etiam transit facultas eligendi juri illi principali cohærens, cap. si super gratia. de officio delegat. lib. 6. Bart. sequitur Paul. ibi, ad finem. resolvens, quod quando facultas eligendi competit pro executione juris transmissibilis, sicut jus transmittitur, ita & facultas eligendi. l. servus si heredi. D. de statulib. & idem etiam tradit Ias. ibidem num. 3.

**2.** Sic igitur & in nostro casu, cum testatrix voluerit, quod jus administrandi majoratum successivè de uno administratore ad alium veniret, voluit etiam

tacitè, quod potestas nominandi administratorem transferretur etiam successivè cum jure administrandi, cui cohærebat, quod ferè in terminis tradit Panor. conf. 80. num. 5. lib. 2.

Quod non solum locum habet, quando actus principalis transfertur in heredem universalem (ut loquuntur DD. supra allegati) sed etiam, quando actus principalis transfertur in aliquem successorum particularem: quia etiam hoc casu, tacitè facultas eligendi actui principali cohærens videtur translata, ut est text. in l. si sic legatum. §. fin. D. de legat. 1. & ibi Bart. numer. 1. Ias. numer. 2. Paul. in l. si stipulatus fuerim. numer. 2. & ibi Ias. num. 1. ad fin. D. de verbor. oblig. quod propriè militat in nostro casu.

Secunda ratio, quæ allegabatur in favorem nominationis factæ de dicta Dona Lucretia erat, quia in hac materia, forma, conditio, & expressio voluntatis factæ in institutione prima, censetur repetita in substitutionibus successivis sequentibus, ita ut prædictæ substitutiones successivæ, eadem forma, & modo, regulari debeant lib. 1. cum ibi notatis. C. de impuber. & alius substit. tradit Gam. decis. 354. num. 4. & decis. 100. num. 9. ergo quemadmodum testatrix declaravit, quod Didacus Taveira nominaret post ejus mortem, id voluit etiam, quod observaretur in sequentibus administratoribus. tradit Anchar. d. conf. 27. numer. 10. facit & reg. text. in l. 1. ad fin. C. de imponenda lucrative descriptione. lib. 10. optimus text. in l. quoties 34 D. de usufruct. & ibi Bart. cap. 1. de feudo non habente propriam naturam, in feudis.

Et sic judicatum fuit in senatu, quod inspectis verbis testamenti, & voluntate testatrix, is majoratus per nominationem in perpetuum de uno administratore ad alium veniret, anno 1583.

## DECISIO CXLIV.

An in sententia revisionis adjudicandi sint fructus, à tempore litis contestatæ?

## SUMMÆ.

1. In judicio revisorio inducitur litis contestatio per supplicationem Principi oblatam, seu in mensa palatii distributam.
2. In sententia revisionis fructus adjudicandi sunt victori à tempore litis contestatæ, secundum aliquos.
3. Contrarium tamen judicatum fuit, nempe, quod fructus non debentur victori; nisi à tempore possessionis adeptæ. In restitutione gratiæ fructus non veniunt. ibid.

**D**ubitatum fuit in senatu, An in sententia lata in instantia revisionis, fructus adjudicandi essent victori, à tempore litis contestatæ, in prædicta instantia revisionis, quæ inducitur per supplicationem Principi oblatam, seu in mensa palatii distributam, juxta tit. quando libellus Principi datus litis contestat. faciat.

Et aliqui dicebant, quod sic, moti auctoritate Rebuff. ad ll. Gallic. tom. 1. tit. de supplicationibus, in principio. num. 24. ubi sic in Gallia fieri testatur.

Con-

3 Contrarium tamen iudicatum fuit, nempe, quòd fructus non deberentur victori, nisi à tempore possessionis adeptæ, vigore prædictæ sententiæ latæ, eò quòd sententia lata in revisorio iudicio habet se ad instar restitutionis gratiæ. Ordin. lib. 3. tit. 78. §. 1. Vaz. consult. §. 1. num. 5. & num. 49. in qua restitutione gratiæ fructus non veniunt. Authent. idem est de Nestorianis. C. de hereticis. Covarr. qui alios refert, variarum. cap. 3. num. 15. & sæpè in senatu ita iudicatum fuisse testificati sunt plures senatores antiqui.

Et de hac materia revisionis videndus est Hispanus Suares in pract. tom. 1. part. 7. cap. unic. per totum. ubi latè Vaz. d. consultat. §. 1. qui plures allegat.

### DECISIO CXLV.

Alimentorum legatum an transmittatur ad hæredes alimentarij? Et quid si relinquatur filio spurio?

#### S U M M Æ.

1. Legatum alimentorum non transmittitur, sed redit ad heredes illius, qui donavit.
2. Obligatio alimentorum, finitur morte alimentarij.
3. Proprietas rei non potest relinqui filiis spuris.
4. In legato, vel donatione alimentorum, non est locus juri accrescendi.
5. Limitatur, nisi res certa legata sit pro alimentis; quia tunc, & habet locum jus accrescendi, & legatum transmittitur ad heredes.  
Prædicta limitatio procedit si talis res relinquatur personæ, cui ipsius rei proprietas legari potest; secus si relicta sit spurio, vel personæ, cui proprietas relinqui jure prohibetur. Ibid.
6. Sublimitatur etiam, si ex fructibus rei legata filius ali possit, quia tunc ad heredes non transit; secus si tam modica sit, ut nec fructus, nec pretium, etiam si res venderetur, ad alimenta sufficeret.
7. Quod tamen non caret dubio, si proprietas tempore mortis filij, aut filia, apud illos inveniatur.
8. Comprobata fuit limitatio supradicta decreto senatu.

1 **L**egatum alimentorum non transmittitur ad heredes alimentarij, sed redit ad hæredes ejus, qui donavit, vel legavit.

2 Non enim transmittitur ratione alimentorum, quia morte finiuntur. l. cum hi. §. si uni. D. transact. l. dominus. §. fin. D. de usufruct.

3 Nec ratione proprietatis, quia illa filiis spuris à patre relinqui non potest. §. fin. in Authent. quibus modis naturales efficiantur sui. Auth. ex complexu ubi DD. C. de incest. nuptiis. ita Bald. in l. eam quam. numer. 41. C. de fideicommiss. Bart. Bald. & Salic. in l. hereditas. C. de iis quibus ut indignis.

4 Et pari ratione in tali legato, aut donatione, non est locus juri accrescendi, secundum gloss. fin. in d. l. Dominus. §. 1. D. de usufruct. Ex quo text. id Bald. & Angel. ibid. inferunt: inquirunt namque, tale legatum personæ cohæret; & est naturaliter

à jure taxatum, ideoque augmentum non recipit.

Et quamquam traditum sit hoc limitari, nisi relinquatur certa res, puta, fundus, aut domus pro alimentis; quia tunc habet locum jus accrescendi Bartol. in l. libertis. D. de alimentis, & cibis legat. & est legatum transmissibile ad heredes, secundum Ias. Oros. Bart. & communem, in l. cum hi. §. si uni. num. 5. contra gloss. ibidem. D. de transact. Tamen ista traditio, & limitatio procedit, ubi relinquatur personæ, cui rei ipsius proprietas legari poterit, ut Bald. Paul. & alij notarunt, in d. §. si uni. dicentes, fundum ad alimenta legatum ei, cui proprietas legari poterat, ad heredes legatarij transire. Quam opinionem, uti communem sequitur post Paul. de Montepico, Thom. Ferr. & alios, Covarr. de sponsalibus. 2. part. cap. 8. §. 6. num. 15. Secus verò si relinquatur spurio, vel personæ, cui proprietas relinqui jure prohibetur, nec est capax relicti, nisi nomine alimentorum; quia tunc non censetur relicta proprietas: & idè non transmittitur, nec est locus juri accrescendi, secundum Bal. in d. l. eam quam. Angel. in d. §. si uni. ubi Ias. num. 5. latè Dec. conf. 311. in casu. col. 2. num. 4. Covarr. d. num. 15. in princ. Palat. in cap. per vestras. §. 24. & num. 4. & 5. & Bart. per illum text. in l. 1. C. de natur. liberis.

6 Ceterum, hoc ita demum procedit, si ex fructibus rei ad alimenta designatæ, possit filius ali; quia tunc redditus tantum, non etiam proprietas censetur relicta, & idè ad heredes legatarij non transit: secus verò si res erat tam modici valoris, ut nec fructus, nec pretium, si proprietas venderetur, ad alimenta congrua sufficeret; vel saltem non excederet valor quantitatem alimentis necessariam; quia tunc sicuti posset alienari, & pretium in alimenta consumi, argum. l. libertis. D. de aliment. & cib. legat. & d. §. si uni. ita etiam posset ad heredes alimentarij transmitti. Ita Suares in legib. fori. lib. 3. l. 1. tit. 6. fol. mihi 92. vers. advertendum. Sic limitans dictum Baldi in d. l. eam quam. nec ab eo discedit Covarr. ubi supra. à numer. 15. & idem probasse Palat. d. §. 24. num. 8. post Baptistam, quem citat in l. si qua illustris. C. ad senat. consult. Orsicianum.

7 Quæ tamen limitatio non caret dubio: cum enim inveniatur proprietas tempore mortis filij, seu filia spuria apud illos, juxta regulam supra positam, ad heredes transmitti non debet.

Et in priori casu ita decisum fuit in senatu in processu quodam oppidi de Fronteira, Scriba Antonio Roderico, anno 1576. & in processu Hieronymi da Conha contra Canonicos regulares sancti Vincentij: licet in hoc secundo casu pendeat processus in instantia revisionis, & ad materiam videndus est latè doctissimus Barb. in rub. 4. part. nu. 17. & aliis. D. soluto matrimonio.

8 Postea audivi in prædicta causa revisionis iudicatum fuisse pro Canonicis, & revocatam sententiam priorem, comprobatamque fuisse limitationem illam supra positam.

### DECISIO CXLVI.

Alienatio rei hereditariæ prohibitæ alienari facta ab eo, cui tantum de aut plus ex hereditate relinquatur, utrum valeat.

#### S U M M Æ.

## S U M M Æ.

1. Alienatio rei subjecta restitutioni, ipso jure prohibetur.

Gravatus restituere post mortem, manente tamen apud illum tertia bonorum, potest alienare rem aliquam irrevocabiliter, & postea computabitur in suam partem. Ibidem.

Filius gravatus restituere post mortem, potest alienare usque ad quantitatem suæ legitimæ. Ibidem. Vbi sunt bona pro indiviso, valet alienatio facta ab herede usque ad quartam. Ibidem.

2. Hoc fallit si alienaverit rem pretiosorem, vel elegerit quartam in singulis rebus hereditatis.

Si fideicommissarius in nihilo defraudetur, non revocabitur alienatio, & in portione heredis imputabitur alienatum. Ibidem.

3. Alienatio non revocatur, etiamsi indivisa adhuc hereditate, & coheredibus non consentientibus, alius coheres rem alienaverit; sed ab eo repetitur pretium inter coheredes dividendum.

Alienatio facta ab herede gravato restituere, si justam habuit ignorantiam, non revocatur, sed pretium restituere tenetur. Ibidem.

Hæc non habent locum, si fideicommissum sit particulare, vel speciale. Ibidem.

**A**lienatio censetur prohibita, quando res subjacet restitutioni. In qua specie nota, quod aut fideicommissum relinquatur in quota sive in certa parte hereditatis, puta, si quis relinquat mihi tertiam bonorum suorum, & gravetur de restituenda post mortem meam; tunc potest gravatus alienare aliquam rem irrevocabiliter, & postea computabitur in suam partem, & ita detrahetur ex omnibus bonis tertia. Ita in terminis Paul. in l. fin. §. sed quia nostra. num. 6. C. communia delegat. ubi dicit, quod bona à gravato alienata computabuntur in quartam Trebellianicam illi debitam, non autem revocabitur alienatio. Idem firmat Ias. ibi. num. 4. ubi dicit, quod pari, vel majori ratione possunt filij alienare usque ad suam legitimam, quia cum fideicommissum sit onus, l. coheredi. §. cum filia. D. de vulg. & pupil. ipso jure detrahitur à legitima, & idè usque ad quantitatem legitimæ potuit filius alienare. Item ibi etiam Ang. colum. 1. inquit, quod si bona sunt pro indiviso, tenet alienatio usque ad quartam, quia quarta detrahitur ipso jure; unde illa est alienantis, & non alterius.

2 Fallit, nisi elegerit rem pretiosorem, vel in singulis rebus elegerit quartam, quia præsumitur id fecisse ad corruptionem patrimonij, quia non debent dividi singulæ res patrimonij, ne patrimonium corrumpatur. l. 2. C. quando & quibus quarta pars debetur. libr. 10. Denique dicit Angel, quod si fideicommissarius in nullo fraudatur, tunc imputatur alienatum heredi in suam portionem, nec revocatur alienatio, allegat l. amplius. §. in bonorum. D. de legat. 1. & sic intelligitur §. res qua legis. Marcel. C. ad Trebellian.

3 Facit, quia ubi hereditas jacet indivisa, si heres suo nomine rem aliquam hereditariam alienat, non revocatur alienatio, etiamsi alij heredes non consenserint; sed repetitur pretium ab eo, ut conferat.

Cabedo Pars I.

inter heredes dividendum. text. est in l. in familia. & ibi gloss. magna in fine C. famil. ereisc. quam ibi Paul. commendat, & reputat multum singularem. Et ea mihi videtur ratio, quia alienans juxta ignorantia putavit postea sibi posse eam rem obvenire, & facit optimè text. in l. fin. Paragrapho fin. D. de legat. 2. ubi si gravatus restituere hereditatem alienavit aliquam rem, quia justè id ignoravit, non revocatur rem alienatam, sed pretium restituit. Ita is qui gravatur restituere tertiam, quia ignorat quæ res assignabuntur tertiæ aut sibi, idè interim rem alienatam non revocat is cui restituere rogatur, sed computabitur in suam partem. Secus si fideicommissum sit particulare, l. fin. §. fin. autem. C. communia. de legat. l. peto. §. prædium. D. de legat. 2. Quod in facto judicatum vidi in processu quodam oppidi de Almada.

## D E C I S I O CXLVII.

An mortuus in bello, per gloriam vivere intelligatur, ad hoc, ut filius patruo præferatur in successione majoratus?

## S U M M Æ.

1. Antiquitus quæstio præsens decisa fuit pro nepote contra patruum.
2. Si quis moriatur in bello pro defensione reipubl. vivere per gloriam intelligitur. & num. 4.
3. Pro nepote contra patruum judicatum fuit in altero processu.
5. Quid si ex vulneribus in prælio acceptis?
6. Quid si captus ab hostibus in captivitate moriatur?

**H**æc quæstio antiquis temporibus non semel decisa fuit coram Rege, & in senatu, pro nepote contra patruum, ut testatur Gam. decis. 307. ubi latè de hac materia.

Si enim quis moritur in bello, vivo patre, pro defensione reipublicæ, & filium relinquat, & fratrem, utique vivere per gloriam intelligitur, ad hoc, ut filius eius patruum excludat à successione majoratus.

Id etiam judicatum fuit, meo tempore, in causa Doni Iacobi da Sylveira, contra Dn. Alvarum da Sylveira eius patruum: probabatur namque Dn. Ioannem da Sylveira patrem prædicti Doni Iacobi da Sylveira, in bello illo Africano (in quo & Rex Sebastianus mortuus fuit) pugnando cecidisse casu, quo per gloriam vivere censetur. l. ultim. D. de vacatione munerum. l. Bello amissi. D. de excusat. tutorum, principium in versic. sed in bello. Institut. eod. titul. Qui pro republica ceciderunt (inquit Iustinian.) in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. Albert. d. l. bello amissi. Ordinatio nostra lib. 1. titul. 67. §. 31.

Sed si moriatur in castris, ex vulneribus in prælio 4 acceptis; non vidi decifum.

Et videtur quod idem dicendum sit, arg. text. in l. 1. §. ex incendio. D. de incendio, ruina, naufrag. juncta l. huic Scriptura. D. ad l. Aquiliam. Angel. & glossa in l. milites. D. de militar. testam. Quod intelligendum est, quando statim ex vulneribus acceptis in prælio

mortuus fuit; tunc enim videtur in prælio cecidisse: secus si ex intervallo, *cap. 2.* ubi gloss. & DD. *de clerico percussore.* & ex verbis text. in *d. l. bello amissi.* Quando tamen casus occurrerit cogitandum erit, & videndus est Alvar. Vaz. *consult. 104. n. 17.* Lusitanus Ferdinandus Paes in *tract. de excusationibus tutor. à num. 39. cum sequentibus.*

6 Quando autem in bello ab hostibus capiuntur, & in captivitate moriuntur, vidi in facto agitatum, an nepos patruo præferri deberet, inter Donum Ferdinandum da Sylva, & Donum Michaëlem da Sylva eius patruum, civitatis Eluensis: & iudicatum fuit pro patruo, & quòd illo casu non poterat induci ratio legis, *Bello amissi*, ut per gloriam vivere intelligeretur, qui non in bello, sed in captivitate mortuus fuerat, & quamquam allegata fuit *Ordin. lib. 1. tit. 67. §. 31.* ibi, *se cada hum delles morrerão em auto de guerra*, tamen ea non obstante, pro patruo lata fuit sententia: & responsum Ordinationi, quòd loquebatur in altero casu diverso, ut ex illa videre licet. In nova tamen legum hujus regni recopilatione hi duo casus decisi sunt. Et vide de hac questione fratrem meum Gondicallum Mendez de Vaz cancellos, in *suis questionibus, lib. 3. c. 3. n. 23.* Vaz *consult. 148. per totam.*

### DECISIO CXLVIII.

An alimenta sint iterùm assignanda filio, qui omnia consumpsit?

#### S U M M Æ.

1. Pater tenetur iterùm dotare filiam, quando dos eius culpa amissa est.
2. Quamvis filius consumat omnia alimenta sibi à patre assignata; tamen ob miserationem, tenetur pater aliquam quantitatem nimis moderatam pro alimentis, iterùm filio assignare, ne fame pereat.
3. Idem dicendum est, quando filius à principio habuit, unde se alere posset, & culpa sua omnia amisit.

**D**ubium fuit in senatu, An filio, cui semel alimenta à patre assignata fuerunt, & culpa sua omnia amisit, teneatur pater, aut mater (quo casu & ipsa filium alere tenetur) eidem iterùm alimenta præstare.

1 Et quamvis in dote teneant plures Doctores, & sit communis opinio, quòd non teneatur pater iterùm dotare filiam, quando dos eius culpa amissa est, ut tenet Bart. in *l. si cum dote. §. 1. n. 2. D. solut. matrimon.* ubi Alexand. *num. 6.* Bald. in *Aurhent. quod locum. num. 4. C. de collat.* refert plures Molin. *de primogeniis, libro 2. cap. 16. num. 27.* valeatque argumentum de dote ad alimenta. Abb. in *cap. cum haberet. num. 5.* Bartol. in *l. ult. num. 7. D. de iis quibus ut indig. Suar. in l. quoniam. 2. limit. num. 3. C. de inoffic. testam.* ac proinde in alimentis idem videbatur dicendum.

2 Tamen aliqui Doctores tenuerunt, quòd quamvis filius consumat totam quantitatem sibi assignatam à patre pro alimentis, teneatur tamen pater iterùm illi, ob miserationem, aliquam quantitatem

nimis moderatam pro alimentis filio assignare, ne fame pereat. ita Bald. in *l. 1. §. jus naturale. D. de justitia, & jure. n. 7.* Molin. *ubi supra, cap. 6. num. 4.* Quòd illi æquum, & probabile videtur, & alios refert Doctores, & sic iudicatum fuit.

Et idem dicendum est, si filius à principio habuit unde se alere posset, & culpa sua omnia amisit: & in hoc secundo casu, majori ratione, cum pater numquam ei alimenta præstiterit, ut quia habebat unde se alere posset. Et vide doctissimum Barbofam in *l. 1. 4. p. per totam. D. soluto matrimonio.*

### DECISIO CXLIX.

An successor in beneficio, seu commenda teneatur solvere pensionem à prædecessore debitam?

#### S U M M Æ.

1. Successor in commenda, seu beneficio tenetur solvere pensionem à prædecessore debitam.
2. Fundus ex quo alimenta præstantur, favore alimentorum, censetur tacitè hypothecatus.
3. Beneficium, seu commenda, ex qua pensio solvitur, censetur tacitè hypothecata pro debitis pensionibus.
4. Idem in emphyteusi dicendum est.
5. Successor in beneficio, seu commenda, & novus emphyteuta potest agere adversus heredes prædecessoris, qui pensionem solvere tenebantur.

**I**nter Donam Helenam de Elencaastro commendatariam monasterij de Sanctos, extra muros civitatis Olyssipponensis, & Donum Lucam à Portugalia lis fuit, An successor in commenda, teneretur solvere pensionem debitam à prædecessore commendatario?

Et decisum fuit, successorem teneri solvere pensionem debitam à prædecessore.

Nam pensio Ecclesiastica vicem alimentorum subit. Roman. *conf. 388.* unde quemadmodum fundus, quo alimenta præstanda sunt favore prædictorum alimentorum tacitè hypothecatus censetur, *l. 2. ad finem. D. de aliment. & cib. legat. glossa 2. in l. Lucius. C. eod. tit. gloss. fin. in l. ult. §. fin. D. de contrahend. emptione.* Covarr. in *cap. Raynutius. §. 10. n. 9. ad fin. de testament.*

Ita etiam beneficium, seu commenda, ex qua pensio solvitur, censetur tacitè hypothecata, ut ita tamquam onus reale in ipso beneficio constitutum possit successor pro præteritis pensionibus convenire, & tale onus reale transeat ad quemlibet possessorem. *Gig. de pensionibus. q. 44. & q. 43.* & in decimis tenet Abb. in *cap. Pastoralis. num. 5. de decimis. Capic. decis. 20. ex num. 26.*

Similiter etiam in emphyteusi receptum est, posse dominum directum pro præteritis pensionibus novum emphyteutam convenire, *l. Imperatores D. de public.*

Poterit tamen successor in beneficio, seu commenda, & novus emphyteuta agere adversus heredes prædecessoris, qui pensionem solvere tenebantur. Et sic iudicatum fuit cum tali reserva, anno 1585.

## DECISIO CL.

Ancilla nubens, an bona mariti hominis liberi communicet?

## S U M M Æ.

1. Ancilla nubens homini libero, bona eius non communicat.
2. Servi pro nullis habentur, & cum illis nulla actio vel obligatio civilis esse potest.
3. Servus quidquid acquirit, domino acquirit. Mulier quinquagenaria nubens non communicat marito ultra tertiam bonorum suorum, & e converso. Ibidem.
4. Obligatio proveniens à jure civili non cadit in servum activè, nec passivè.
5. Bonorum communicatio inter conjuges, in favorem matrimonij introducta fuit.
6. Vxor non potest, invito marito, bona immobilia alienare.

**A**ncilla nubens libero, an bona mariti communicet juxta Ordin. lib. 4. tit. 7. in princip. fuit in senatu controversa quæstio: & decisum, quòd non communicabat; ex eo, quia jure civili, servi pro nullis habentur. l. quod attinet. D. de reg. jur. & idèd cum servis nulla actio est, l. cum servis. D. eod. nullum iudicium, nulla obligatio, l. servi. D. de actionibus, & obligat.

Præterea, servus quidquid acquirit, domino acquirit, l. placet. D. de acquirenda hered. §. item nobis, instituit per quas personas nob. acq. unde si ancilla nubat, nihil de suo communicat marito: ergo nec illi de suis bonis debet maritus quidquam communicare: æqualis enim debet esse societas, non leonina. Facit optimè exemplum de muliere quinquagenaria nubente, quæ non communicat cum marito, nisi tertiam partem suorum bonorum, Ordin. libro 4. tit. 75. §. fin. & idcirco ob æqualitatem servandam, pariter maritus non communicat illi de suis bonis nisi alteram tertiam partem, ut in terminis probat Chassan. in consuetudinibus Burgund. rubric 4. §. 8. in fin. fol. 171. Iaf. l. 1. num. 42. D. soluto matrimon. secundum quos ita iudicatum fuisse in senatu testatur Gam. decis. 320. & diximus dec. 114. num. 3. & 17.

Præterea ista bonorum societas inter conjuges fuit introducta de jure civili; cuius juris obligatio non cadit in servum activè, nec passivè, d. l. servi. D. de actionibus. & oblig. bonus text. l. cum servus. D. de peculio. annotat Bart. in l. frater a fratre. D. de condit. indebiti. ergo ancilla nec potest bona sua obligare marito, & eius bona sibi per conjugij communicationem acquirere.

Accedit, quòd lex introducens hanc communicationem, ita id statuit, ut nihilominus bona maneat communia in utriusque conjugis dominio, in favorem matrimonij, non autem, ut alij acquirantur: ergo non videtur permitti ancillæ nubenti ita bona mariti communicare, ut non sibi sed domino acquirantur: hoc enim est nedum contra verba, sed multò magis contra legis mentem. l. non dubium. C. de legibus.

Postremò lex non permittit uxori bona præferre.  
Cabeo Pars I.

immobilia, sine consensu viri alienare, cum non habeat rerum administrationem: ceterum si ancillæ nubenti liceret ita communicare, sequeretur, quòd posset mariti bona, eo invito, alienare, & in dominum transferre: quod non est dicendum, arg. reg. cum quid una via de reg. jur. lib. 4. Et ita fuit iudicatum in processu Natariæ Lopez, contra Galporem Nunes, civitatis Eborenensis, 12. die Martij, anno 1571.

## DECISIO CLI.

An decuriones possint statuta facere, quibus privatorum hominum pascua, etiam ipsis dominis prohibeant?

## S U M M Æ.

1. Decuriones non possunt statuta facere, quibus privatorum hominum pascua, etiam ipsis dominis prohibeant.
2. Herbam alieni prædij depascere invito domino non licet, nec ei liberè usum prati sui impedire.
3. Qui herbam prædij alieni, invito domino, depascit, tenetur actione l. Aquilia, & de pastu pecoris.
4. Equum in prato alieno pabulare non licet, nisi causa necessitatis. Dominus agri potest repellere venientes ad pascendum, eo invito, vi etiam armata. Ibidem.
5. Decuriones possunt statuere, ne quis suis pascuis utatur, etiam impositis mulctis: secus in pascuis privatorum dominorum.
6. Princeps non potest rem invito domino auferre, nec illi liberum usum prohibere: secus si id faciat causa necessitatis.
7. Decuriones non possunt statuere contra id, quod nobis jure communi licitum est, nec prohibere, ne quis re sua liberè utatur: secus si id faciant causa publica utilitatis. Utilitas publica præferenda est utilitati privata. Ibidem.
8. Decuriones possunt statuere ut nemini liceat, intra certos limites, ultra præscriptum animalium numerum depascere, ne inde publicum, & commune damnum oriatur.
9. Intelligitur Ordinatio lib. 5. tit. III. §. 3. Ordinatio prædicta non habet locum in privilegiis inclusis in corpore juris, sed in privilegiis imperatis. Ibidem. Refertur decretum senatus. Ibidem.

**D**ecuriones an possint statuta facere, quibus privatorum hominum pascua, etiam ipsis dominis prohibeant, quæstionis est.

Et videtur, quòd non. Quod ita ostenditur. Pratum, & herba prædij mei, mea est, juxta rationem l. adeo. §. fin. l. qua ratione. D. de acquirendo rerum dominio. l. solum. §. 1. D. de rei vindicat. l. 1. 2. & 3. C. de pascuis public. & privat. lib. 11. ubi probatur, posse privatos jure communi habere prata, quorum herbam aliis vendant, & notat gloss. d. l. 1. verb. privata. l. pratum. & ibi gloss. D. de verbor. significat. Tamen me invito, herbam prædij mei nemo potest depascere, nec mihi impedire liberum usum prati mei, ita Bertrand. cons. 1. num. 16.

lib. 3. & latè probat Antibol. de muneribus. §. 4. numero 192. cum sequentibus.

3 Accedit in confirmationem, quòd si quis, me invito id faciat, tenebitur mihi l. Aquilia. l. fin. C. ad l. Aquilian. l. quintus. cum l. sequent. D. eod. & etiam a cione de pastu pecoris, secundum gloss. d. l. fin. & est l. qui servandarum. §. fin. D. de prescript. verbis; & aliæ ll. quas super rebus rusticis tulit Imperator, & congesit Constantinus Harmenopolus in epitome juris civilis, lib. 6. cap. 5. de damno. & extat l. 12. Tabul. 14. de pastu pecoris.

4 Hinc est, quòd in prato alieno non licet pabulare equum, nisi causa necessitatis, & ob favorem viatorum. Bald. in cap. 1. §. ultim. de pace tenenda. & ibi notant alij Doctores, Alberic. in d. l. fin. Cepol. de servitut. jur. pascen. num. 7. & 8. versic. & quia regula communis est in contrarium. Hinc est, quòd etiam quando agri mei vacant à semine, etiam tunc eorum herba mea est, & nemo illa me invito utetur, ut latè disputando tenuit contra multos Covar. practicarum questionum, cap. 27. adè ut possit dominus alios extraneos venientes ad pascendum vi etiam armata licitè repellere. Chassan. in consuetud. Burgundia, rubr. 13. §. 5. num. 17. versic. advertite.

5 Hinc etiam est (quod ad nostrum propositum facit) quòd decuriones licet possint statuere, ne quis utatur suis pascuis, etiam impositis mulctis, ex Antibol. ubi supra, num. 198. non tamen id possunt statuere in pascuis privatorum dominorum, ut est Glossa singularis in d. l. 1. C. de pascuis public. lib. 11. & probat Antibol. ubi supra. & facit text. in d. l. 2. & 3. C. eod. tit.

6 Et facit, quia res mea sine facto meo à me avelli non potest, l. id quod nostrum. D. de reg. jur. ubi latè Dec. & alij: & nec etiam Princeps, me invito, potest mihi auferre rem meam (salva justitia) nec eius liberum usum prohibere; quòd si id faciat causa necessitatis, etiam tunc mihi solvere tenetur, quod mea interest. l. venditor. §. si constat. D. communi pradiorum. l. Lucius. D. de evictionib. de quo per Bartol. in præmio Digest. colum. 3. latè Iaf. num. 36. & 39. in l. Barbarius. de offic. pratoris.

7 Hinc est, quòd decuriones non possunt statuere contra id, quòd nobis jure communi licitum est, ut ne quis re sua liberè utatur, quòd limita, ut ibidem, videlicet causa necessitatis, ut succurratur publicæ utilitati; quæ cum major sit, præferenda est privatæ, & minori. cap. bona. de postul. pralat. ubi glossa verb. communem, Abb. & Imol. ibidem, Dec. in cap. 3. de præbend. & cons. 244. colum. 3. & diximus decis. 74. num. 6.

8 Unde decuriones possunt statuere, ut intra certos limites nemini liceat ultra præscriptum animalium numerum depascere, ne inde publicum, & commune damnum oriatur. tradit Lucas de Penna, & Rebuff. in l. 1. C. de pascuis public. libro 11. Chassanæus in consuetud. Burgundia, rubr. 13. §. 5. num. 6. & Ordinatio libro 1. tit. 46. §. 21. & lib. 5. tit. 111. §. 4.

9 Circa quam Ordin. d. lib. 5. tit. 111. §. 3. illud obiter advertendum est, dubitatum fuisse in senatu, an ista Ordinatio procedat in privilegiis inclusis in corpore juris, ut sunt privilegia senatorum, quorum pascua lex vetita esse statuit, juxta extravag. part. 2. tit. 6. l. 4. & decisum fuit, quòd non habebat locum

in privilegiis, quæ ipso jure alicui conceduntur, & quæ sunt clausa in corpore juris, ut colligitur per argum. ex l. 3. D. quod quisque juris. Bartol. in l. quod favore. C. de legibus. glossa in l. non eo minus. C. de procurat. qualia sunt privilegia senatorum. Glossa in Authentic. qua in provincia. C. ubi de crimine agi oportet. & pro hac parte judicavit senatus in instrumento gravaminis senatoris Balthazaris de Afonsecã, qui conquestus fuit à decurionibus civitatis Portalegrensis, anno 1566.

Sed quòd solùm habet locum hæc Ordinatio in personis, quæ talia privilegia impetrarunt per se vel antecessores, tunc enim habet locum æquitas edi cti: Quod quisque juris, &c. l. 3. D. eod. & hoc sentire videtur Ordinatio hæc ibi, per nosas cartas & privilegios. ubi de privilegiis istis impetratis planè sentit.

## DECISIO CLII.

An quis possit ædificium suum prope monasterium religiosorum altius tollere?

### S U M M Æ.

1. Limitatur regul. l. altius. C. de servitut. & aqua. & Ordin. lib. 1. tit. 49. §. 26.
2. Edificans aliquid prope monasterium, quod sibi non prodest, Ecclesia verò nocet, presumitur id facere cum amulatione, & potest prohiberi ne altius ædificium tollat. Idem erga privatos observandum est. Ibidem. Hoc etiam procedit quando ex novo ædificio gravissimam præjudicium imminet monasterio, etiamsi non fiat ad amulationem. Ibidem. Vbi ædificium nocet Ecclesia, potest cogi dominus ædificij vendere servitutem altius non tollendi. Ibidem.
3. Refertur senatus decretum antiquum.

VIdi quæstionem hanc in facto valdè controversam inter quemdam, & religiosos cujusdam monasterij: volebat namque T. ædificium suum altius tollere, & fenestras aperire, ex quibus religiosos intra proprias domos videre posset.

Et in favorem suum allegabat l. altius cum materia. C. de servitutibus & aqua. & Ordinationem nostram lib. 1. tit. 49. §. 26.

Attamen dicendum est, d. l. altius. & Ordinationem supradictam, non procedere in ædificiis, quæ sunt prope aliqua monasteria monialium, seu monachorum. Nam etsi liceat cuilibet suum ædificium altius tollere. d. l. altius l. ultim. Paragrapho pen. D. eod. l. Proculus D. de damno infect. l. cum eo l. Imperatores. D. de servitutibus urbanorum præd. l. nullus, & l. domum. D. de regul. jur. tamen jure prohibetur privatum ædificium ita altius tolli, ut ex eo videri possint religiosi, seu religiosæ intra proprias domos religiosè habitantes, ut placuit Saliceto, post Petrum, & Cyn. in d. l. altius. quia favore religionis privatus uti non potest jure suo, quod habet ad tollendum altius domum suam, & aperiendas fenestras, & lumina prospectui opportuna. ita tradit Covarr. lib. 3. variarum. cap. 4. num. 8. vers. nam etsi licitum est.

Qui



2 Qui tamen id ita accipiendum intelligit, ut quoties quis prope monasteria ædificans aliquid construxerit, quod sibi non profit, Ecclesiæ verò aut monasterio noceat, prohibendus sit ita altius ædificium tollere, cum præsumatur id facere ad alterius injuriam, gravamen, & æmulationem, quod etiam erga privatos observandum putat ex Simon. Petro, & Salicet. in d. l. altius. Angel. & Paul. in d. l. cum eo. Ias. in l. ex hoc jure. D. de justit. & jure. Cæpol. de servitut. urb. prædiorum. cap. 39. Dec. in l. nullus, & in d. l. domum. D. de regul. jur. Hippolyt. singulari 154. quod & alio casu ex Cyni opinione id admittit, nempe, quoties ex novo ædificio gravissimum imminet monasterio præjudicium, etiam si non fiat ad æmulationem; idque propter publicam utilitatem, quæ à religiosis domibus provenit, ad quod etiam videndus est Ant. Gomez. l. 46. Taur. n. 6. ubi n. 9. ait, quòd ubi ædificium nocet Ecclesiæ, aut monasterio, compelli potest dominus ædificij vendere servitutem altius non tollendi, quod ibi bene comprobatur, & vide de materia, quæ diximus decis. 105.

Illud hinc obiter advertendum duxi, olim in senatu civilium causarum (ut vidi in antiquis quibusdam decretis illius senatus) judicatum fuisse.

3 *Que o conhecimento das causas sobre os ares dos adros das Igrejas, & sobre as sacadas, & aberturas das janelas, & portas pera os ditos adros pertencia à Camara, & Almo taceis da cidade, & não ao juiz Ecclesiastico, & foi esta determinação dada entre os clérigos de S. Mame de da cidade de Lisboa, & Diogo Fernandez escrivião dante os iuizes do civil.*

Decretum hoc est in lib. 1. Esphera, fol. 295. & est etiam eadem sententia transcripta in libro quodam Curie civitatis Olyssipponensis, qui vocatur, dos regimentos, fol. 26.

Fuerunt autem Judices, qui tulerunt hanc sententiam Georg. Cotta. & Iacobus da Graam, expeditores gravaminum prædicti senatus civilium causarum anno 1533. quod notandum est ad prædictam Ordin. lib. 1. tit. 49. §. 26. & alius. & ad Ordin. lib. 2. tit. 1. §. 8. de quibus in 2. p. decisionum agemus.

### DECISIO CLIII.

Per quæ verba censeatur celebratus contractus emphyteuticus, aut censualis.

#### S U M M Æ.

1. Contractus non censeatur emphyteuticus, quando in eo non fuit adjecta clausula, quòd fundus non possit vendi irrequisito domino, & absque eo quod laudemium illi solvatur.  
Per verbum hoc (de foro) simpliciter prolatum in venditione, non inducitur contractus emphyteuticus, sed censualis tantum. Ibidem.
2. Quando verba ponuntur in contractu, quæ trahi possunt ad varias species contractuum, non debemus interpretari contractus secundum vocabula in eo apposita, sed potius secundum naturam ipsius contractus.
3. Refertur decretum senatus.

VIdi multoties in senatu controversum. Cum quidam venderet in fundo certas tritici mensuras,

Cabedo Pars I.

usus fuit verbo hoc, quòd vendebat illas, de foro; cum tamen in prædicta Scriptura nullum verbum esset, quòd dominus requireretur, si venditus fundus esset, nec laudemium illi solveretur.

Dubitabatur, an per verbum illud, de foro, induceretur contractus emphyteuticus, an censualis.

Dixi, quòd si nulla alia verba adjicerentur, per quæ declararetur, ut non possit vendi fundus absque eo quòd requireretur is, qui emit illas tritici mensuras, & laudemium illi solveretur, ut solet fieri in contractibus emphyteuticis, sed simpliciter dictum esset, quòd vendebat illas tritici mensuras, de foro, contractus judicari debebat censualis, & obligatio realis in fundo, & non emphyteuticus.

Cum enim in contractu ponuntur verba, quæ possunt trahi ad varias species contractuum, non debemus contractum interpretari secundum vocabula apposita, sed potius secundum naturam ipsius contractus, ita notabiliter Abb. in cap. constitutus, num. 22. de relig. domibus. Roman. in leg. interdum, §. ex naufragio. D. de acquirenda possess. Corcetus in singularib. verb. contractus. Iason. in l. in conventionalib. in fin. D. de verborum obligat. tradit Lusitanus noster Vaz de jure emphyteutico, quaest. 32. per totam, & num. 35. & sic tenendum est.

Et judicium fuit in processu oppidi de Moura, cujusdam Lupi Pymenta, & aliorum: faciunt tradita per DD. ad l. ult. D. de contrahend. emptione.

### DECISIO CLIV.

An maritus, non solvendo pensiones, præjudicet uxori in emphyteusi dotali?

#### S U M M Æ.

1. Maritus dicitur dominus rerum dotalium.
2. Emphyteuta perdit emphyteusim, ob non solutas pensiones, & res emphyteutica ad dominum revertitur.
3. Maritus non solvendo pensiones non præjudicat uxori in emphyteusi dotali; & sic judicatum fuit.
4. Delictum mariti uxori præjudicare non potest.
5. Si pater non solvat canonem pro emphyteusi filij, non ideo filius privari debet sua emphyteusi, nec incidit in commissum.  
Intelligitur dictum Alexandri, qui contrarium tenet. Ibidem.
6. Sententia lata contra maritum, super amissione emphyteusis dotalis, uxori non præjudicat.
7. Dominium mariti circa res dotales dicitur imaginarium, uxoris autem verum, & proprium est.

Quæstio hæc in senatu fuit valde controversa: An maritus non solvendo pensiones præjudicet uxori in emphyteusi dotali?

Et videbatur dicendum, maritum tali casu uxori præjudicare.

Primò, quia maritus est dominus rerum dotalium, l. doce ancillam. C. de rei vindicatione. ergo in eo, quòd tamquam dominus facit, potest uxori præjudicare; cum dici posset cum, qui dominus est, non solviffe.

2. Secundò, quia ex non solutis pensionibus peccatur contra legem contractus emphyteutici, ex cuius forma res emphyteutica ad dominum revertitur non soluta pensione: ergo ex tali inobstantia contractus præjudicare potest maritus uxori, secundum pactioem initam, quæ servanda est, l. i. C. de jure emphyteutico.
3. Et hanc sententiam tenuit Speculator in titul. de locato, §. nunc aliqua. quæst. 111. num. 136. Garcia de expensis. cap. 13. num. 28. Aurelius Corbulus de causa privation. emphyt. ob non solutum canonem, ampliat. 22. pag. 381. Afflict. de capit. Corrad. §. item si clericus, num. 20.
4. Contrarium tamen judicavit senatus noster, ann. 1600. 30. die Augusti, in causa procuratoris insignis monasterij Divi Bernardi Alcobaciensis, contra Franciscum Lopez Pymenta, & eius uxorem, oppidi de Torres novas.
5. Ex eo, quia maritus non solvendo pensiones delinquit, & delinquendo uxori præjudicare non potest. l. si quis posthac. C. de bonis præscriptorum. in principio. l. 2. C. ne uxor pro marito. Palat. in repet. rubr. §. 66. num. 22. Matienç. libro 5. titul. 9. l. 10. gloss. 2. num. 2.
6. Sic etiam pater non solvendo canonem pro emphyteusi filij, non privat filium sua emphyteusi, nec filius incidit in commissum. Iaf. in l. 2. n. 192. C. de jure emphyteutico. Et quamvis Alexand. conf. 120. num. 3. libr. 5. contrarium teneat communem dicens, id intelligitur, quando pater est primus acquirens, ut per Iaf. loco supra citato, tenet Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 41. num. 9. qui videndus est. Non verò, quando filius aliunde, quàm à patre, emphyteusim habuit: tunc enim pater ei præjudicare non potest.
7. Et ita, quòd maritus non possit præjudicare uxori in emphyteusi dotali non solvendo canonem, tenet Bald. conf. 476. libr. 4. sequitur Menoch. de arbitrariis libro 2. centur. 1. casu 39. num. 22. & id ampliat, ut nec sententia lata contra virum uxori præjudicet. Paul. Castrensis conf. 248. col. 3. lib. 2.
8. Non obstant in contrarium adducta. Ad primum namque dicendum est quòd licet maritus dicatur dominus rei dotalis, dominium illud imaginarium dicitur: at dominium uxoris est verè dominium. l. in rebus. C. de jure dotium. quam ita interpretatur Corrad. lib. 5. Miscellan. cap. 14. tradit Menoch. qui alios refert, ubi proximè num. 19. quamvis administratio ad maritum spectet.
9. Ad secundum respondendum est, legem contractus servandam esse, quando uxor, quæ verè domina est, non solverit; non verò, quando maritus non solvit, qui dominus verè non est, ut per Garciam ubi supra, num. 33.

DECISIO CLV.

An in renovatione emphyteusis veniant fructus, à tempore litis contestatæ?

S U M M Æ.

1. Per litis contestationem efficitur quis mala fidei possessor, ac proinde tenetur ad fructuum restitutionem.

2. Possessor tenetur restituere omnia, quæ habiturus esset petitor, si tempore litis contestatæ restitutio fieret.
3. Restitutio fructuum solum habet locum in actionibus bona fidei, vel quando petitur id, quod aliquando meum fuit actione aliqua reali, vel personali, seu officio judicis.
4. Qui agit ad renovationem emphyteusis, officio judicis videtur agere. Officium judicis non præsupponit obligationem verè, & propriè, præsupponit tamen quasi obligationem. Ibidem. Officium judicis datur instar realis actionis, & qui tenetur officio judicis, realiter tenetur. Ibidem. Iudicis officium dicitur in rem scriptum, maximè quando datur adversus singularem, possessorem. Ibidem.
5. Quando datur officium judicis, fructus in eo veniunt, sicut in omnibus aliis actionibus stricti juris.
6. Quando petitur id quod fuit alicujus, etiam in actionibus stricti juris, veniunt fructus à tempore mora.
7. In actionibus bona fidei veniunt fructus à tempore mora extrajudicialis, minimè verò in actionibus stricti juris: secus si in istis petatur quod fuit alicujus.
8. Fructus veniunt in omni actione à tempore litis contestatæ.
9. Victor in causa super possessorio non tenetur ad fructuum restitutionem, nisi post litem contestatam in petitorio.

**M**ortuo Antonio Mendez do Rio senatore senatus supplicationis, qui erat tertia vita in emphyteusi, cujus directus dominus erat monasterium S. Vincentij Canonicorum regularium Divi Augustini, civitatis Olyssipponensis: Canonici possessionem apprehenderunt actualem.

Egit Gregorius Mendez do Rio filius prædicti Antonij Mendez, remedio possessorio, contra Canonicos: & non obtinuit, quia generationes erant finitæ: reservatum tamen ei fuit jus, ut possit agere super renovatione.

Quod statim fecit, & libellum dedit contra Canonicos in judicio prætoris curialis, petendo sibi renovationem prædictæ emphyteusis faciendam esse, lis per multos annos duravit. Tandem ex sententia prætoris & senatus judicatum fuit, ut Canonici renovationem facerent, cum fructibus à tempore litis contestatæ, super renovatione, facta compensatione cum pensionibus, quæ pro justa æstimatione in renovatione emphyteusis æstimandæ essent.

Conquesti maximè Canonici sunt de hac condemnatione fructuum, & super hoc exceptiones allegarunt. Cum ergo judex essem, dixi condemnationem factam fuisse secundum juris regulas, ex generali regul. l. certum. C. de rei vendicac. Ordin. in libro 3. titulo 50. Paragrapho 1. tradit Covarruv. variarum libro 1. cap. 3. numero 1. facit & text. in §. & si hereditas, versic. post inchoatam. institut. de officio judic.

Ratio est, quia per litis contestationem efficitur quis

quis malæ fidei possessor. *l. i. C. de rei vindicatione*. ac proinde statim desinit facere fructus suos, licet à principio bonam fidem haberet. *l. bona fidei. D. de acquirend. rerum dominio*.

2 Et est altera ratio, quia possessor tenetur restituere omnia, quæ habiturus esset petitor, si tempore litis contestatæ restitutionem faceret. *l. prater ea. D. de rei vindicat.* unde debent ei restitui fructus collecti post litem contestatam, quia poterat eos percipere, si eo tempore res sibi restitueretur, seu conventus à lite desisteret. *l. nemo rem. 82. §. i. D. de verborum obligationibus*.

3 Dicebant patroni, id habere locum in actionibus bonæ fidei, vel quando peto id, quod aliquando meum fuit, actione aliqua personali, seu reali, seu officio iudicis.

At hic petitum id fuit, quod non erat jam actoris, nec egit actione aliqua reali, nec personali, nec officio iudicis; sed petiit renovationem emphyteusis, ex æquitate illa, de qua per Bartol. in *l. i. Paragrapho permittitur. D. de aqua quotidiana, & estiva*.

4 Responsum fuit, qui agit ad renovationem, officio iudicis agere; quod fatebatur monasterij advocatus: æquitas enim illa cum ad iudicium trahitur, aliquo remedio adjuvanda est, siue personali actione, siue reali, siue officio iudicis: est ergo officium iudicis, quod quamvis nullam præsupponat obligationem veram, & propriam, *l. qui per conclusionem, §. ultim. D. de actionib. empti.* præsupponit tamen quasi obligationem quamdam. *gloss. in l. si servum. Paragrapho ultim. verb. peti possit. D. de verbor. obligat.* Gomez in *Paragrapho omnium n. 32. institur. de actionibus. Menoch. ultim. remed. recuperandæ possessionis, num. 8.* aded ut iudicis officium detur ad instar realis actionis; & qui tenetur iudicis officio, tenetur realiter. Bart. in *l. 4. §. Cato. numero 5. D. de verbor. oblig.* ubi Ias. *num. 26.* Gomez ubi *suprà, num. 31.* ita ut meritò dixerit Bart. iudicis officium esse in rem scriptum, in *l. si territus, §. si quis prius. D. de aqua pluvia. arden. Menoch. ubi supra, num. 10.* maximè quando adversus singularem successorem datur.

5 Cum ergo hoc officium iudicis detur, fructus in eo veniunt à tempore litis, ut in omnibus aliis actionibus stricti juris, in quibus peto id, quod non fuit meum; sed aliqua obligatione, seu conventionali, seu legali, teneor id adimplere. *l. videamus. Paragrapho si actionem. D. de usuris. l. 2. ubi gloss. 1. D. eod. titul. l. cum fundus. in principio. D. si cert. petatur.*

6 Si verò peteretur id quod fuit alicujus, etiam in actionibus stricti juris venirent fructus à tempore moræ, ut distinguit Gomez in *d. §. actionum. n. 20. institur. de actionibus.* In præsentem autem clarum est, quod si à principio, quo lis super renovatione inchoata fuit, monasterium illam concederet, ut tenebatur de jure, & per sententiam fuit iudicatum, fructus ad actorem pertinerent; ergo restituere eos illi tenetur. *d. l. prater ea. D. de rei vindicat.*

7 Sola dubitatio est, super fructibus à tempore moræ extrajudicialis; in iis enim distinctio illa supra posita admittitur, ut in actionibus bonæ fidei veniant: in actionibus stricti juris non. Quinimò, & in actionibus stricti juris, si petam quod meum fuit, adhuc venire probat Gomez ubi *suprà.*

At in fructibus à tempore litis contestatæ, ex 8 juris regulis, nemo dubitavit venire fructus in omni actione.

Alia etiam ratione dicebam, deberi solum fructus 9 à tempore litis contestatæ, quia cum monachi in causa super possessorio intentato ab actore victores existerent, fructus perceptos restituere non tenebantur, nisi post litem contestatam in petitorio. Capel. Tholos. *decis. 494.*

Et idem iudicatum jam antea fuisse, in altero processu, vidimus de Anton. Monis, & Dona Leonarda contra eosdem Canonicos, Scriba Antonio de Azevedo, super renovatione alterius emphyteusis.

De hac quæstione agit Franciscus Caldas, de renovatione, *q. 10. per totam.* quam accepit à deliberationibus in illo processu positus, in quo ipse fuit advocatus prædicti actoris Gregorij Mendez do Rio, contra Canonicos regulares S. Vincenij, anno 1583.

## DECISIO CLVI.

An in remissionibus delinquentium de regno ad regnum, possint cognoscere auditores criminalium causarum per appellationem?

## SUMMÆ.

1. *Intelligitur decis. D. Gamma 363.*  
Causa, in qua agitur de incompetencia iudicis, per instrumentum gravaminis expediri debet, non per appellationem. *Ibidem.*  
Sententia lata super incompetencia, seu competentia interlocutoria est, & per supplicationem expediri debet. *Ibidem.*
2. Quando pars aliqua conqueritur, quod iudex remittit delinquentem, per instrumentum gravaminis cognosci debet: secus si pars consentiat, & iudex remittat; quia tunc tenetur appellare pro parte iustitiæ.

Doctissimus palatij senator, & Regius Consiliarius Ant. à Gamma in suis doctissimis decisionibus, in ea fuit sententia, cum vices Cancellarij (ut ipse ait) gereret, ut acta, in quibus unus se remitti petierat de nostro regno ad regnum Gallicæ, super crimine in quo accusabatur, quæ fuerant expedita per auditores criminalium causarum, & per appellationem, non poterat sententia ferri per acta appellatoria, sed supplicatoria seu per instrumentum gravaminis, quia agebatur tantummodo de incompetencia iudicij, quæ omni casu, per instrumentum gravaminis expeditur, & non per appellationem. *l. dominica. §. 10. quæ hoc clarè disponit, licet Alvar. Vaz vir alioqui doctissimus, de hoc dubitet conf. 47. num. 5. ad finem.* immeritò quidem: nam semper pronuntiatio incompetentiæ, siue pronuntiet quis se pro iudice, siue pro non iudice, est simplex interlocutoria, & de ea licet conqueri per instrumentum, seu petitionem gravaminis ad senatum, & hoc iurè utimur. Ad rem igitur.

Hoc quod Gam. ait *decis. 303. num. 1.* ita simpli-

citer dictum dubietatem continet, & ob id eius dictum intelligendum est, quando pars aliqua conqueritur, quod iudex remittit delinquentem: cum enim tunc incompetentem se in effectu pronuntiet, nimirum si casus est gravaminis per instrumentum, seu petitionem, ut in ceteris casibus ubi agitur de competentia, seu incompetencia iudicij, juxta d.l. dominicam, §. 10.

Si verò nulla pars conqueratur, imò consentiat, ut delinquens remittatur (ut vidi in aliquibus processibus) eo casu, cum in effectu pronuntiet iudex, ut delinquens à carcere liberetur, & remittatur, potest appellare, & tenetur id facere pro parte iustitiæ (ut dicimus) ad quod allegatæ fuerunt Ordinationes ferè in simili casu, lib. 2. tit. 4. §. penult. & lib. 2. tit. 1. §. 16. & ita solet in senatu observari: & fuit decretum cum casus accideret, in mensa magna 11. die Iulij, an. 1594. & quotidie similes appellationes expediuntur per auditores criminalium causarum.

Cetera de remissione delinquentium de regno ad regnum, vide per Gamm. d. decis. 363. per totam.

### DECISIO CLVII.

Intelligitur Ordinatio lib. 2. tit. 35. §. 4. circa citationes pro executionibus testamentorum.

#### S U M M Æ.

1. Citatio ad executionem testamentorum debet fieri per nuntium laicum, quem etiam Ecclesiasticus iudex ad huiusmodi citationes habere debet, unum tantum, & non plures.  
Iudex Ecclesiasticus non potest facere tales citationes per Notarios laicos, nisi hoc de speciali concessione habeat à Rege. Ibidem.
2. Iudex Ecclesiasticus residuorum, an possit citare ad executionem testamentorum per quoslibet Parochos?
3. Ex citatione facta à parcho non dicitur præventiva iurisdictio, utpote ex citatione nulla, & ita iudicatum fuit.  
Parochus non est officialis deputatus ad citandum, pro executionibus testamentorum. Ibidem.
4. Ponitur tenor decreti senatorum Palatij.

**C**irca istam Ordinationem tit. 35. §. 4. ibi, da quelles que primeiro citarem, decisum fuit, quod ista citatio deberet fieri per nuntium laicum, quem debet habere etiam iudex Ecclesiasticus ad huiusmodi citationes, & debet habere unum solum, non plures, ut est decisum in cap. 46. do regimento dos contadores, & provedores. Adè, quod iudex Ecclesiasticus non potest facere tales citationes per Notarios laicos, ut ibi dicitur, nisi hoc de speciali concessione habeat à Rege, ut habet Archiepiscopus Olyssipponensis, per Extravag. part. 2. tit. 2. lib. 11.

Fuit tamen dubitatio, utrùm iudex residuorum Ecclesiasticus possit citare per quoslibet parochos? Solebat enim quidam Vicarius jubere per quemcumque parochum, quem ipse volebat, facere istas testamentariorum citationes: & iussit per paro-

chum loci, seu vici de Unhos, huius territorij Olyssipponensis citari quemdam Bartholomæum Goncalvez ad executionem paterni testamenti: sequenti verò die iudex laicus illum citavit per Notarium laicum legitime.

Quare testamentarius Bartholomæus ob præventam à laico iurisditionem ad eum se remitti postulavit, quod iudex Ecclesiasticus denegans contra eum pronuntiavit ad respondendum coram se, quasi per citationem à parcho factam præventam esset iurisdictio: quam tamen citationem testamentarius contendebat esse nullam, quia nec per nuntium, nec per legitimum Notarium esset facta, juxta d. cap. 46. & d. l. 11. & idè ex nulla citatione non posse dici præventam iurisditionem, ex Ordin. hac d. tit. 35. §. 4. ibi, & por elle se não possa dizer, &c.

Tandem in coronæ iudicio fuit iudicatum contra Vicarium, atque ei de more commendatum, ut desisteret à molestia facta laico: quod cum nollet adimplere, ad palatij tribunal vocatus, & ibi simul cum iudice, & procuratore coronæ fuit auditus, & demum à palatinis senatoribus sequenti decreto iudicis Regij sententia confirmata, qui parochi citationem non putarunt sufficere, quia non esset officialis deputatus ad citandum, nec creari possit specialiter à Vicario, ad illam citationem in præiudicium iurisditionis Regalis, quia ita daretur magna inæqualitas ex parte iudicum Ecclesiasticorum; sic enim haberent plures officiales ad citandum, quàm iudices laici. Nec aliud significat d. cap. 46. dum innuit Ecclesiasticum posse citare per personas Ecclesiasticas; nam statim requirit, quod sint officiales, qualis non erat prædictus parochus. Decreti autem tenor is fuit:

*Fazão ayvidos nesta mesa N. iuiz dos feitos da coroa, 4*  
è T. procurador dos feitos da coroa D. vigairo geral desse Arcebisado de Lisboa, & iuiz dos residos sobre a divida: se valia a citação feita per cura ou clerigo, que não fosse official publico da justiça Ecclesiastica, pera effeito de por ella se aver por preventa a jurisdicção na materia dos residos, & caso que se trata na certidão aqui junta. Assentouse, que as cartas passadas pello iuiz dos feitos da coroa são bem passadas, & que visto o regimento dos residos adita citação he nulla, & por ella se não pode dizer preventa a jurisdicção, por não ser feita por official publico. Em Lisboa a trinta e hum de Julho, do anno de 1582. Et est processus penes Scibam processuum Regiæ coronæ.

### DECISIO CLVIII.

An artifex unus possit uti officio alterius?

#### S U M M Æ.

1. Officio alieno nullus artifex uti debet, sed suo tantum, ne officia turbentur.
2. Qui officio alterius se immiscet, punitur.
3. Qui artificis officio utitur, oportet ut sit examinatus, & fiat de collegio illorum artificum, ad hoc, ut teneatur ad onus, vel munus illi collegio artificum a Rege, vel republica injunctum.
4. Civitas si indigeat officialibus, an possit compellere aliquos,

*aliquos, ut officia exercent pro utilitate reipublicæ, remissive.*

**M**agna fuit controversia inter artifices, quos *sombreireiros* vocamus, & *firguiros* oppidi de Santarem; quod volebant *os firguiros*, ne alij artifices, nempe *os sombreireiros*, in galeris apponerent *os caireis*, ut ipsi faciebant per se, & uxores suas; sed solum uterentur officio *de sombreireiros*, alij namque ministerium conficiendi *os caireis*, & *forros dos chapeos*, ad officium prædictorum *firgueiros* spectabat. Et lata fuit sententia in favorem *dos firgueiros*, his rationibus.

1. Quia officio alieno nullus artifex uti debet, sed suo tantum, ne officia turbentur, juxta text. in l. *consulta dinalia. C. de testament. l. quicumque. C. de executor. & actor. libro 12. facit & text. in cap. singula 89. dist.*

Et ideo inquit text. in l. 3. *C. de fabricensibus. libro 11. quod fabricenses debent artibus propriis inservire, id est, fabricis, ut exponit gloss. ibi.*

2. Item & alibi punitur, qui alterius officio se immiscet. l. *in provinciis. C. de numerarius. & actuar. libro 12. facit & text. ubi gloss. in l. hac parte. C. de prox. sacror. scrip. libro 12. & in l. is quidem. C. qui militare possunt. libro 12. l. fin. C. de assessoribus, & domest. & c.*

3. Facit item, quia, ut quis alterius exercent officium, oportet ut sit examinatus, & fiat de collegio, ad hoc, ut si illi collegio artificum injungatur aliquod onus, vel munus à Rege, vel republica teneatur ad illud argum. eius, quod notat gloss. in d. l. 3. *C. de fabricensibus. libro 11. & text. in d. l. fin. D. de collegiis illicitis.* Ad hoc autem non tenebitur, qui tantum in parte exercet officium, nec habet publicam apothecam quam dicimus, *tenda.* unde merito pronuntiatum fuit in favorem *dos firgueiros*, & quod alij artifices *sombreireiros*, ab illo ministerio prohiberentur. Fuit Scriba prædicta processus Anton. Rodericus: & confirmata per senatores senatus supplicationis sententia senatus civilium causarum, quæ ad illos venerat per supplicationem.

4. Quando autem civitas indiget officialibus, & artificibus, an possit compellere aliquos pro utilitate reipublicæ, ut officium exercent, vide Gregor. Lopez l. 5. tit. 2. partit. 2.

DECISIO CLIX.

Quando acta, & sententia lata per judicem incompetentem annullentur.

S U M M Æ.

1. Sententia lata per judicem omnino incompetentem, cujus jurisdictio est limitata, & improrogabilis, non solum annullatur, verum etiam & acta.
2. Frequentior tamen praxis senatus observat, quod sententia solum annullatur; acta vero ad judicium competens remittantur, quæ sustineri debent, nisi pars ex eorum annullatione, interesse aliquod prætentat.
3. Sententia hæc super nullitate diffinitiva est, & ex ea signatura, & sportula debentur.

1. Quando sententia fertur per judicem omnino incompetentem, ut quia jurisdictio limitata

privativè, & improrogabilis est, non solum prædicta sententia annullatur, verum etiam acta annullantur, ut testatur Gamm. *deciso 219. numero 1.* ubi allegat multos DD. quos apud illum videbis.

In senatu tamen sæpissimè vidi, & frequentius 2 fit in eodemmet casu jurisdictionis limitatæ privativè & improrogabilis, annullari sententiam, non tamen acta, sed remitti ad judicium competens; in quo si pars ex annullatione actus prætentat aliquod interesse, poterunt, & debent acta annullari, ad eiusdem partis instantiam, aliter sustinentur de jure. tradit Alexand. in l. non solum, Paraphro. morte. D. de novi operis nuntiatur. Et hujus praxis (quam summè laudat) meminit Alvar. Vaz *consult. 65. ad finem.* & in hunc modum sunt accipienda tradita per Gamm. d. *decif. 219.* est enim hæc frequentior praxis senatus, ne partes litibus vexentur, & litium sit finis. l. 2. D. de usucapionib. cap. finem. de dolo, & contumacia.

Et sententia hæc super nullitate, diffinitiva est, 3 ut tradit Guido Pap. *decif. Delphinatus 16.* & ex ea signatura, & sportulæ debentur, tamquam ex sententia diffinitiva, & hoc jure utimur.

DECISIO CLX.

An tertius possessor cum titulo, & bona fide, possit præscribere fundum à principio venditum cum pacto de retro, quod usurarium judicatum fuit, tempore ordinario?

S U M M Æ.

1. Tertius possessor potest præscribere fundum, tempore ordinario, dato titulo, & bona fide; licet a principio venditus fundus esset, cum pacto de retro, judicato usurario.
2. Bona fides in dubio præsumitur, donec probetur contrarium.

**C**Asus hic judicatus fuit in senatu in instantia 1 supplicationis, & revisionis, quod tertius possessor in quem fundus alienatus fuerat, qui à principio venditus fuerat cum pacto de retro, judicato usurario, poterat illum fundum præscribere tempore ordinario, dato titulo & bona fide.

Dabatur namque titulus, nempe addictio in 2 publica subhastatione, insuper bona fides, quæ in dubio præsumitur donec probetur contrarium. l. penult. C. de evict. Balb. in repetit. l. Cels. 2. part. in principio. num. 2. & 9. D. de usucapionib. In præsentem verò casu non probatur contrarium: & ita judicatum fuit in senatu, in processu Hieronymi de Utra contra heredes Francisci Gaspar, anno 1582. Scriba Andrea Pintho, pro Scriba Anton. Roderico vita functo.

DECISIO CLXI.

An maritus possit de adultero querelare, defuncta jam uxore?

S U M -

## S U M M Æ.

1. Casus per leges Regias non decisus, secundum jus commune est decidendus.
2. Maritus potest secundum jus commune querelare, & accusare adulterum, defuncta jam uxore.

**C**um appellatio quædam ad auditorem criminalium causarum senatus supplicationis distributa esset, in qua maritus querelavit de adultero quodam, mortua jam uxore eius.

Dubitavit prædictus senator, an querela valeret: & casum proposuit, in mensa magna coram Re-  
ctore senatus, & aliis senatoribus vocatis ad solvendum dubium; inter quos ego unus fui.

1. Re considerata decreverunt senatores, quod is casus per leges Regias decisus non erat; & sic decidendus erat secundum jus commune. *l. commodissime, D. de liberis & posthum. Ordin. lib. 2. tit. 5.*
2. Et juxta jus commune conclusum fuit in senatu, querelam valere per text. in *l. miles. §. adulterij. D. ad l. Iuliam. de adulteriis. l. vim passam. vers. in matrim. & l. ultim. D. eod. tit.* in quibus disponitur, quod adulter potest accusari, defuncta uxore accusantis. Gomez. *l. Taur. 80. num. 71.* & appellatio expedita fuit per auditorem causarum criminalium, Scriba Andrea Pintho, anno 1582.

## D E C I S I O C L X I I.

An famulus scholastici, cui datum fuit tempus ad studendum, possit petere salarium servitij?

## S U M M Æ.

1. Salarium famulo debetur omni jure, etiam divino.
2. Pretium salarii debet solvi juxta mensuram laboris.
3. Famulis scholasticorum, quibus datur tempus ad studendum, non debetur salarium servitij.
4. In officiis mechanicis famulus qui docetur, est qui solvit, non verò ei solvitur.
5. Puer non meretur salarium servitij, nisi post quatuordecim annos completos; quod tamen intelligitur, ut hic.
6. Salarium servitij solvendum est, secundum quod consuetum erat solvi tempore quo servitium factum fuit, non verò juxta tempus sententiæ latæ, vel liquidationis factæ.

1. Salarium famulo debetur omni jure, etiam divino, patet ex Evangel. Lucæ cap. 10. Math. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* & Deuteron. 24. Levit. 19. *Non negabis mercedem indigenti pauperi, sed eadem die reddes ei pretium laboris sui.*
2. Et quod istud pretium debeat solvi juxta mensuram laboris, testatur Paul. ad Corinth. cap. 3. ita inquit: *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* DD. in cap. cum secundum. de præbendis. Navarr. in Manuel. c. 17. numero 118. facit text. notabilis in *l. Seio amico. D. de annuis legat. tradit Capic. decis. 125. numero 1. & decis. 27. numero 20.* & diximus latè suprâ,

*decis. 8. & facit Extravag. 6. part. titulo 1. l. 3. tradit Rebuffus ad ll. Gallicas. 2. tom. fol. 237. gloss. 4. & sequentibus.*

His sic. Contigit in factò, quod famulus cujusdam scholastici, cui tempus per eum datum fuit ad studendum, ei salarium servitij petierat; quæsitum fuit an jure id facere possit? & decisum.

Quod famulis scholasticorum, quibus datur tempus ad studendum, non debetur salarium servitij; idque ex consuetudine generali, quæ viget in omnibus Academiis: juxta quam censeri debet famulus conductus, etiam si non exprimat, argument. text. in *l. quod si nolit. §. qui assidua. D. de adilitio edict.*

Quod optima ratione statutum est, cum eis detur tempus ad studendum, & scientiam cape-  
scendam, quæ omnibus pecuniariis salariis antepo-  
nenda est, & ita in terminis Navarr. in *Manual. d. cap. 17. numero 118.* Quemadmodum etiam in of-  
ficiis mechanicis, qui docetur, est qui solvit, non  
verò ei salarium solvitur, ut tradit Bartol. in *l. in  
fundo. numero 8. D. de rei vendic. ex text. in l. cete-  
rum. D. eod. tit. l. si id quod. Paragrapho si quid. D.  
de donat. inter vir. & uxorem. facit l. quod si artificem.  
ubi Ang. C. eod. tit. ergo majori ratione id fiet, in  
his qui non officia mechanica, sed scientias dis-  
cunt, quæ omni pecuniario, & nummario pretio  
præferri debent, *l. 1. §. proinde. D. de variis, & extra-  
ord. cognition.**

Circa quod non incongruum erit, decretum senatus referre, quod factum fuit in processu Emanu-  
elis de Proença Corte real, in quo judicavit senatus,  
quod puer quidam salarium servitij non merebatur,  
nisi post quatuordecim annos completos.

Quod tamen difficultatem patitur, ex *Ordinat. lib. 3. tit. 67. §. 14. ibi, de pois delles averem sete annos. & est text. in dict. l. ceterum. D. de rei vendic. ibi, Quia etiam impuberis aliqua opera esse possunt.*

Nisi dicamus pro decreto senatus, aliquid impu-  
beri pro servitio solvi posse; non tamen illud sala-  
rium, quod debetur puberi.

Decretum etiam fuit in eodem processu, quod salarium servitij solveretur, secundum quod consue-  
tum erat solvi tempore, quo servitium factum fuit,  
non verò juxta tempus sententiæ latæ, vel liquida-  
tionis factæ. Quod valdè notandum est.

## D E C I S I O C L X I I I.

An monachus acquirat monasterio?

## S U M M Æ.

1. Quidquid acquirit monachus, monasterio acquirit, in quo religionem professus est. Monachus dicitur filius monasterij. *Ibidem.*
2. Quod procedit, etiam si relicto primo monasterio ad aliud transeat.
3. Limitatur in alimentis ipsi monacho necessariis, quia eo respectu secundo monasterio acquirit.
4. Limitatur etiam quando consentiente primo monasterio ad aliud transit.
5. Hoc idem procedit, si transeat ad aliud monasterium eiusdem Ordinis; secus si ad aliud alterius Ordinis transferit.

6. Quod

6. Quod intellige etiam si de rerum applicatione nihil dictum sit.
7. Hoc denique procedit, quando monachus ingreditur monasterium, quod nulli alteri subdit: secus si totum unum Ordinem indiffinitè profiteatur.

**M**onachus quidquid acquirit, monasterio acquirit, in quo religionem professus est, sicuti filius acquirit patri, quia eiusdem monasterij filius dicitur. *cap. in presentia, de probat. cap. si qua mulier, ibi, monasterio, quod intravit. 19. questio. fin.* sicuti etiam servus acquirit domino, ut not. in *cap. Abbat. 18. quest. 2. per Innocent. in cap. cum olim, 1. de privilegiis. Oldrad. conf. 5.*

2. Amplia etiam si illo monasterio professionis relicto, ad aliud transeat monachus. *Authent. de monachis. §. si quis autem, versicul. si verò O. 2. col. lat. 1. ibi, vendicetur à priori monasterio. & cap. statutum 19. q. 1. & tenent plurimi, quos citat, & sequitur Nicol. de Ubald. de successione. Covarr. cap. 1. numero 21. de testamento. versic. hactenus.*

3. Quod sublimita primò, nisi quatenus ad alimenta monachi sit aliquid necessarium, quia eo respectu acquirit secundo monasterio: tametsi contrarium putaverint aliqui relati ab eodem Covarruv. *ibidem num. 20. ubi illum videas.*

4. Sublimita quoque, & secundò, nisi de consensu primi monasterij ad aliud monachus transivit: & idem erit etiam in consensu tacito, ac præsumpto, puta, si à longo tempore, hoc est, per decennium, postquam transivit, steterit ibi; quia id fecisse præsumitur consentiente primo monasterio, propter diuturnitatem temporis. Ita quòd si postea aliquid acquirit, aut illi quæpiam hereditas deferatur, acquirit secundo monasterio, non primo. Ita notabiliter consuluit Socin. *conf. 83. placet mihi. colum. 3. in principio. & conf. 207. consideratis his. ubi per multa, quæ ibi allegat, tenuit hoc ipsum in quadam moniali, quem sequitur, & multum commendat Tiraq. de præscript. Paragrapho 1. gloss. 4. n. 83. versic. 41.*

5. Sublimita tertio, procedere ubi monachus transfertur ad aliud monasterium eiusdem Ordinis; quia tunc à priori omnino eximitur, nec illi quidquam acquirit. *cap. si quis jam translatus, 21. questio. 2. Aded, quòd quidquid acquirit, pertinet ad secundum monasterium. text. in d. cap. statutum 18. quest. 1. docet glossa verb. restitutionem. cap. cum olim O. 2. de privilegiis. Navarr. post alios. in cap. non dicatis 12. quest. 1. 35. Covarruv. in cap. 1. de testam. à num. 21.*

6. Amplia secundò principaliter, etiam si de rerum applicatione, sive dedicatione nihil sit dictum. *d. §. si quis autem, vers. illud quoque notatur, in Authent. ingressi. C. de sacrosanct. Ecclesiis.*

7. Limita procedere, ubi monachus ingreditur monasterium, quod nulli alteri subdit, ita quòd profiteatur speciatim locum ipsius monasterij, puta, quia inde mutari monachi non soleant, quia tunc illi soli monasterio bona eius acquiruntur: & ita procedunt dicta jura: secus si totum unum Ordinem indiffinitè profiteatur, quia tunc toti Ordini acquirit, ex Abbat. *in d. cap. in presentia. numer. 66. & tunc Superior potest illa distribuere cui monasterio voluerit, vel in aliquod opus pium, ex gloss. 2.*

*in cap. de viduis. O. 1. 27. questio. 1. quam commendat Abb. ubi supra, & vide Molin. ex Societate JESU, de justitia, tom. 1. tract. 1. disputatio. ne 141. ubi & de commendatariis loquitur.*

## DECISIO CLXIV.

An possit fieri factum de futura hereditate?

## SUMMÆ.

1. Spes futura successione, si in pactum deducatur, regulariter improbat.
2. Frater non potest disponere de hereditate alterius fratris, nisi illam prius acquirat.
3. Pactum de non succedendo in legitima, parentibus adhuc vivis, non valet.
4. Pactum à fratribus factum de hereditate patris viventis, post eius mortem inter ipsos dividenda, servari non debet, nec patri liberam facultatem aufert testandi. Idem dicendum est, etiam si paciscatur causa dotis. *Ibidem.*
5. Pactum de hereditate viventis non valet, nisi ipse consenserit in eodem contractu, & in eodem consensu usque ad mortem perseveraverit. Donans, vel renuntians hereditatem viventis, in qua successurus erat ab intestato, illa privatur tamquam indignus, & fisco applicatur. Quod & in filio renuntiante habet locum. *Ibidem.*

**C**irca hanc materiam notandum est, Quòd spes futuræ successione regulariter improbat, si in pactum deducatur. *l. fin. C. de pact. & ibi Alciat. à num. 3. quem vide latè explicantem, quibus casibus spes ista non reprobetur, & quos effectus producat, usque ad num. 15.*

Adde quòd de hereditate fratris non potest frater disponere, nisi illam prius sibi acquirat, *l. quoniam. C. de jure deliberandi. l. non vult esse heres. D. de reg. jur.*

Pactum de non succedendo in legitima parentibus adhuc vivis factum non valet; puta, si filia dote contenta cum fratribus paciscatur, se nihil amplius de hereditate patris habituram, *l. pactum dotali. C. de collat. ubi dicitur, quòd tale pactum jure improbat, nec filia intestato patri, cum fratribus succedere prohibetur, quod procedit etiam si fiat pactum causa dotis, ut ibi.*

Pactum à fratribus factum de hereditate patris viventis, post eius mortem inter ipsos dividenda, non valet, nec obligat fratres ad illud servandum, nec patri aufert testandi liberam facultatem, ut est pulcher text. in *l. pactum quod dotali. C. de pact.* Quod procedit, etiam si fiat pactum causa dotis.

Pactum de hereditate viventis factum non valet, nisi ipse consenserit, & in eo consensu perseveraverit usque ad mortem, text. singularis in *l. fin. C. de pact. & in tantum non valet, quòd si is, qui donavit, vel renuntiavit partem suam hereditatis viventis, successurus illi erat ab intestato, privatur tali successione, tamquam indignus, & fisco applicatur.*

tur text. est singularis in l. quidam in iure. §. fin. D. de donationibus. quem Bart. in l. cum dominus. §. fin. D. de pecul. legat. dicit habere locum etiam in filiis.

### DECISIO CLXV.

An vir contrahens matrimonium cum uxore alterius regni, censeatur contrahere secundum leges regni uxoris, an secundum leges regni mariti?

#### S U M M Æ.

1. Proponitur casus presentis decisionis.
2. Vir exterus contrahens matrimonium cum muliere in hoc Regno Portugalia simpliciter, & sine instrumentis dotalibus, si animum residendi non habeat, non censeatur contrahere secundum consuetudinem nostri regni, sed secundum consuetudinem, & leges regni viri.
3. Matrimonium censeatur regulariter contractum, secundum consuetudinem regni viri.
4. Intelligitur Ordin. lib. 2. tit. 21. in princ.

**P**Ræfens quæstio fuit decisa in senatu in casu nobilis Capitanei Doni Ludovici de Avalos Castellani Arcis S. Philippi de Setuval, qui cum Hispanus esset ex regno Castellæ, & Toletanus, contraxit matrimonium Olyssippone cum filia Venturæ de Frias: idque simpliciter, & absque instrumentis dotalibus.

Mortua uxore absque liberis, dubium ortum fuit, an maritus lucraretur medietatem bonorum ad uxorem pertinentium, ac si contraxisset matrimonium secundum consuetudinem nostri regni, id est, per carta da metade. Ordin. libro 4. titul. 7. in princ.

- 2 Et conclusum fuit, quod cum prædictus Capitaneus esset exterus & miles, qui vivebat legibus regni Castellæ, nec subiectus erat legibus nostri regni, nec habebat animum domicilij contrahendi in hoc regno, utpote, quia in servitio Regis erat, & militabat stipendiis coronæ regni Castellæ, & modò poterat esse in illa arce, & statim ire ubi Rex eum juberet ad ei serviendum; non visus fuerat contraxisse matrimonium, nisi secundum leges regni Castellæ, ut regulariter est in marito contrahente cum uxore alterius regni.
- 3 Quando enim mulier contraxit matrimonium cum viro, qui erat illius regni, ubi vigent leges, & statuta circa matrimonium, & communicationem bonorum, censeatur contraxisse secundum consuetudinem regni viri. l. exigere. ubi Bart. & Fulgos. D. de iudiciis. Panorm. in cap. 1. ad finem. de sponsalib. Covarr. de sponsal. 2. part. cap. 7. in princ. num. 6. Gomez. l. 50. Taur. n. 50.

Ponò in regno Castellæ non est lex similis nostræ, imò vir reddere tenetur integram dotem heredibus uxoris, ut per Matien. l. 1. gloss. 2. n. 3. tit. 9. libr. 5. nova recopilat. legum Castellæ.

Et in terminis præsentis decisionis, id ita tenent Riminald. conf. 30. per totum. volum. 1. Socin. Junior conf. 14. per totum. vol. 1. Roland. de lucr. dot. q. 13. num. 5. Alciat. respons. 55.

- 4 Nec obstat Ordinatio nostra lib. 2. tit. 21. in princ.

tempore ibi præscripto. Nam intelligitur, si non habeant animum mutandi domicilium: si enim talem animum habeant, nec per mille annos domicilium contrahent, ut eleganter per Menoch. de arbitrariis, casu 86. n. 7. qui videri debet, Rol. à Valle conf. 79. n. 51. lib. 3.

In præfenti verò Capitaneus animum non habebat contrahendi domicilium in regno, ut probatur ex multis. Unde iudicatum fuit, contraxisse matrimonium, non secundum leges regni nostri, sed secundum leges regni Castellæ, unde oriundus erat.

Fuit lata sententia 11. die Decembris, anno 1597. Scriba Hieronymo de Mendocça in instantia supplicationis, & confirmata fuit Præfidis curialis sententia, qui in priori instantia sic etiam iudicavit.

### DECISIO CLXVI.

An usura committatur, ubi in iudicio familiæ erciscundæ iudex uni fratri partem pretij assignat in fundo emphyteutico alteri fratri in capitato, ita ut is frater, interim dum illud pretium non solvit, teneatur annuatim certos redditus ex dicto fundo præstare alteri fratri?

#### S U M M Æ.

1. Vbi certa summa debetur, ut fors principalis, si aliquid ultra sortem exigitur, usura est.
2. Creditor, qui ob dilatam solutionem aliquid à debitore exigit, usuram committit.
3. Pactum in quo disponitur de certo, & taxato interesse, pro dilata debiti solutione, usurarium est.
4. Contrarium praxis observat in iudicio familiæ erciscundæ, ubi bona, quæ commodè dividi non possunt, uni heredi assignantur; dummodo tamen, ut partem ad alios heredes pertinentem in pecunia exoluat, & illis pro dilata solutione certos annuos redditus præstet.
5. Idem practicatur in bonis emphyteuticis uni ex fratribus incapitatis.
6. Responsio ad incontrarium adducta.

**I**N iudicio familiæ erciscundæ solet sæpè contingere casus iste. Cum enim per Ordinat. libro 4. titulo 77. Paragrapho 32. cum sequentibus, fundus emphyteuticus per æstimationem dividatur inter fratres, ita ut uni emphyteusis incapitetur, alteris verò æstimatio pretij assignetur, de quo egimus supra decis. 108. numero 8. solent iudices præcipere fratri, cui emphyteusis incapitatur, ut alteris fratribus, quod ad pretium illis contingens in eadem emphyteusi non solvat, certos redditus ex dicto fundo emphyteutico annuatim illis præstet. Revocatur in dubium, an hæc assignatio ita facta usuraria sit.

Et videbatur primò, quòd sic; quia ubi certa summa debetur, ut fors principalis, & aliquid ultra sortem



sortem exigitur, usura est. *cap. plerique. cap. ultim. cum aliis 24. quest. 3.* at hic certa summa pecuniæ debetur, & tamen ultra illam annui reditus exi-  
guntur: ergo usura est.

2. Secundò, ubi creditor ob dilatam solutionem aliquid à debitore exigit, usuram committit. Bald. *in l. si pro mutua. C. si certum petatur.* Anchar. *in regul. peccatum. quest. 1. colum. 6. de regul. juris. lib. 6.* Dec. *conf. 116. colum. 2. in fin.* Sed hic frater ob solutionem debiti retardatam, annuos reditus ab eo exigit: ergo usuram committit.
3. Tertio facit, quia etsi hoc casu, usuræ peti potuissent ratione iusti interesse, juxta *cap. conquestus. de usuris l. curabit. C. de actionibus empti.* tamen ista conventio, ut alter frater teneatur singulis annis solvere certos reditus, veluti tertiam reddituum partem ex dicto prædio emphyteutico pro dilata solutione debiti, usurariam pravitate continet; quia in pactum deduci non potest interesse certum, & taxatum in his casibus, quin sit usura. Doctores *in cap. salubriter. de usuris.* sequitur Dec. *d. conf. 116. & conf. 119.* unde taxata illa summa reddituum constitui non potest quin usura committatur.
4. His non obstantibus, praxis judiciorum familiæ eriscundæ habet, ut si bona libera uni heredi assignentur, ut quia commodè dividi non possunt, alteris heredibus ibi partem habentibus in pecunia, assignentur certi reditus annui, quoad eis pretium non solvitur, quæ praxis omnino deducitur, ex ratione text. & ejus æquitate, *l. curabit. C. de actionib. empti.* tradit Covar. qui alios refert *variis. lib. 3. ca. 4.* & facit Ordinatio nostra *lib. 4. tit. 14. §. 3.* incipit, *E se algum comprasse.*
5. Eadem praxis recipitur in bonis emphyteuticis, ut si incapitentur alicui fratri, & per æstimationem dividantur, alteris fratribus assignentur certi reditus annui, quoad illis pretium æstimatum pro his partibus non solvitur: quæ per argumentum deducitur ex traditis per Ias. *in l. illud. num. 5. C. de collationib. & per tradita per Gammam decis. 71. num. 5. & 6.* & hoc jure utuntur iudices pupillorum in divisionibus, seu partitionibus faciendis, & ita accipi à quodam iudice pupillorum antiquo, & valdè prædicto: & sic ipse faciebat.
6. Qua praxi retenta, non obstant in contrarium adducta: illis namque respondetur unica tantum conclusione, procedere, quando auctoritate juris in pecunia æstimati competentis alteri heredi: tunc namque inducitur ratio *d. l. curabit.* cum aliis supra citatis.  
Et vide de his incapitationibus, & divisione per æstimationem emphyteutis perpetuæ, Alvar. Vaz *consultat. 53. & de jure emphyteutico, quest. 1. numer. 23.*

## DECISIO CLXVII.

An famulo, quem contemplatione domini Rex in famulatum recepit, compensandus sit in salario servitij, honoris, & famulatus?

Cabedo Pars I.

## S U M M Æ.

1. Verbum (annona civilis) in quo sensu hic accipitur.
2. Verbum (annona civilis) multipliciter in jure accipitur.
3. Beneficium Regis factum famulo contemplatione domini registratur in libro (das merces) in titulo illius, cujus contemplatione tale beneficium factum fuit.
4. Beneficium, seu honor, quem Rex contemplatione domini famulo fecit, compensandus est in salario servitij famulo debito.
5. Et sic decrevit senatus; quod tamen admittendum est cum declaratione, de qua hic.
6. Famuli testificantes de debito salario, seu conventionem facta à domino, cum aliis famulis, non est eis facile credendum, veluti testificantes in re propria.
7. Referuntur verba Rebuffi circa probationes has per alios famulos factas.

**I**N nostro regno notorium est, in domo Regis esse famulos Regis per diversos honoris gradus. Sunt enim nobiles, quos, *fidalgos accressentados*, vocamus, *moços fidalgos, moços da Camara, reposseiros, & escudeiros, moços da estribeira*, & alia officia, quæ sigillatim hic non percurro, est enim extra nostrum propositum.

His qui sunt in servitio Regis, & eum comitantur in Curia persolvitur annona civilis, id est, *moradia*, secundum eam, quam habet assignatam in libris domus Regis: voco autem annonam civilem, illam quam dicimus, *moradiam*, juxta text. *in l. annonas. C. de erogat. milit. annona. lib. 12.* tradit Cuiac. *in l. 1. C. de annonis civilibus. lib. 11.* & alii major assignatur, aliis minor, juxta merita uniuscujusque, *l. 1. C. de annon. civilib. lib. 11.* ibi, *liberalitate.*

Et quamvis hoc verbum (annona civilis) alias in jure significationes habeat; accipitur namque etiam pro redditibus annuis, quos, *tenças*, vocamus, *l. iubemus nulli. C. de sacrosant. Ecclesis, l. 1. & ultim. C. de annonis civilibus. lib. 11. l. ultim. C. de erogat. militaris annona. lib. 12.* & pro salariis, quæ dantur officialibus, tam justitiæ, quam patrimonij Regis & ejus domus, *l. 1. C. de annonis.* Tamen quoad nostrum propositum attinet, accipitur nunc pro *moradia*. His sic.

Contigit, quòd Rex contemplatione, & petitione cujusdam nobilis famulum illius in numero *das moços da Camara* recepit; & beneficium hoc Regis, liberalitasque de qua fuit facta provisio prædicto famulo, registrata fuit in libro, *das merces*, in titulo illius nobilis, juxta Extravag. *l. 1. tit. 9. part. 5.* ibi, *filhamentos de filhos, parentes & criados.*

Mortuo nobili, famulus ille ab ejus heredibus salario servitij petiit: objiciebatur, quòd honor ille Regis compensandus erat cum salario, eò quòd Rex honorem illum fecerat contemplatione prædicti nobilis, & in suo titulo registrata fuerat provisio illa famulatus, *de moço da Camara.*

Decisum fuit, quòd debebat compensari honor ille in salario servitij, & æstimari per arbi-



tros, reduciq̄ue ad æstimationem pecuniariam, juxta notata per DD. in l. sed si plures. §. in arrogato. D. de vulg.

5 Et quamvis variè hoc judicatum fuerit in senatu, diversis temporibus; tamen meo tempore hoc judicatum vidi, in processu, in quo ego judex fui. & ego meo judicio sic judicarem; eo tamen addito, nisi ex domini voluntate expressa, aut conjecturata colligi possit, noluisse, ut prædictus honor ejus contemplatione, famulo à Rege datus, ei cum salario servitij compenlaretur: nec itidem æstimatio illa pecuniaria fiat in excessivo rigore.

6 Illud hîc addam, semper in his salariis famulorum ob servitium petitis post mortem dominorum, attendendum maxime esse ad probationes; nam sæpè fiunt per alios domesticos, & famulos, & eis non est ita facilè fides adhibenda, & ponam hîc verba Rebuff. 2. tom. ad l. Gal. tit. de famulorum salariis glos. 7. ubi inquit:

7 Sunt alij, qui postquam omnes alij famuli decesserint, seu recesserint, & non potest per eos nunc dominus probare solutionem, nec conventum salarium, idè ipsi audacter petunt salarium, & ex pluribus annis, quia de his, quæ domi geruntur, domestici admitti solent, l. consensum. §. super plagis. C. de repudiis. ergo solutio probari poterat & conventio per alios famulos, & domesticos, mortuo saltem domino: quam probationem deesse vident, undè petere non erubescunt: idè interdum vidi, quòd unus famulus post domini decessum monopolium contraxit cum aliis, & omnes deposuere de magno illius famuli salario: verum quia deposuerant de propriis eorum stipendiis, ob id non creditum illis fuit; sed convicti postea fustibus cæsi fuerunt. Hæc ille, quæ sunt valdè notanda, ut quia quotidiana.

## DECISIO CLXVIII.

An ex verbis rescripti summi Pontificis (quosdam alios, & quoscumque alios) procedere possit judex delegatus contra nō nominatos specialiter in rescripto?

### S U M M Æ.

1. Clausula hæc (quosdam alij) posita in rescriptis, solum tres, aut quatuor regulariter comprehendit. Quod limitatur, nisi subjecta materia contrarium suadeat. Ibidem.
2. Infinitas est vitanda. Jurisdictio ordinaria non debet frustrari, nec imminui per jurisdictionem delegatam. Ibid.
3. Infinitas admittitur ratione subjectæ materiæ.
4. Infinitas est admittenda, quando verba rescripti id suadent.
5. Quando ponuntur verba in rescripto, quosdam alios, & quoscumque alios, & dubitatur in quibus verificari debeant, an in duobus, an in tribus, electio est impetrantis.
6. Rescriptum non trahitur ad lites, nec ad crimina futura: secus si lites, seu crimina sint connexa criminibus perpetratis tempore impetrati rescripti.

7. Verbum (quoscumque) est indiffinitum, & potest trahi ad futurum.

8. Clausula intercedentes declarantur per sequentes.

9. Rescripta impetrata ad lites, licet vitium aliquod surreptionis contineant, non sunt ipso jure nulla, sed ope exceptionis.

Quo tempore Philippus Primus Lusitanæ Rex in hoc regno successit, aliquæ personæ Ecclesiasticæ contra publicam quietem, perturbationes aliquas contra rempublicam hanc, & Regem commoverunt.

Super quibus Rex noster inquisitiones fieri statuit, & rescriptum impetratum fuit ex parte promotoris fiscalis à summo Pontifice, ad certos judices contra delinquentes propriis nominibus expressos, & nominatos in prædicto rescripto.

Facta inquisitione, detecti sunt aliqui delinquentes, qui ante rescriptum impetratum deliquerunt, alij qui statim post rescriptum impetratum.

Dubitabatur, an hi, qui non erant expressim nominati in rescripto, in illo comprehenderentur sub illis verbis (quosdam alios) & ibi (& quoscumque alios) ut possit contra illos procedi per judices delegatos à summo Pontifice? Consultus fui super hoc dubio à Serenissimo Principe Archiduce Alberto hujus regni Governatore.

Et dixi, quòd quamvis in rescriptis, quæ habent clausulam (quosdam alij) per talem clausulam solum tres, aut quatuor possint conveniri. cap. cum in multis. ubi gloss. & DD. de rescriptis. cap. cum in cunctis de electione. Conclusio tamen hæc aliquas patitur limitationes, inter quas una illa est, nisi subjecta materia aliud suadeat, glossa, & DD. in d. cap. cum in multis. ubi Ludovic. Gomez à numer. 42, & in specie num. 46.

In præsentî verò materia, locus erat huic limitationi, quia quotidie per inquisitionem factam reperiebantur novi delinquentes, & nova crimina, & criminis socij, & non erat facile, ex noviter emergentibus, quotidie novum rescriptum impetrare: unde per illud jam impetratum mihi videbatur posse contra delinquentes noviter detectos procedi, vigore illius clausulæ.

Maximè, quia Doctores, qui dicunt non posse procedi, moventur ea ratione, ut infinitas vitetur, & ut jurisdictio ordinaria non sit frustrata, nec imminuatur per jurisdictionem delegatam, ut concludit Gomez ubi supra. num. 43. ad finem.

Sed huic rationi respondetur primò, quòd hæc infinitas ratione subjectæ materiæ admittitur. Alexand. in l. qui bona. §. ult. D. de damno infecto.

Secundò, ad secundam rationem, quòd hæc causæ non solebant illo tempore per ordinarios judicari, sed per delegatos à summo Pontifice, impetratis rescriptis, per promotorem fiscalem: & sic nullum dabatur inconueniens, quòd procederetur per illam clausulam, etiamsi multos, seu infinitos comprehenderet.

Ulteriùs, infinitas tunc admittitur, quando verba rescripti hoc important. Alex. conf. 145. lib. 2. qui

qui loquitur in verbis à contrahentibus prolatis : cum ergo in rescripto , de quo agimus , essent illa verba posita in principio ( *quosdam* ) quæ particularis est , & postea etiam addita illa verba ( *quoscumque alios* ) quæ universalis est , bene comprehendunt infinitatem , & non habet locum text. in cap. cum in multis , de rescript. in 6. ut per Gomez. ibi numer. 69. faciunt quæ de verbis universalibus ( *quisquis* , & *quicumque* ) tradunt DD. in l. hoc articulo. D. de heredibus institutis. & in l. quicumque. C. de servis fugit. & in l. ait dions. §. 1. de iure fisci.

5 Deinde cum in prædicto rescripto essent verba supradicta , electio est impetrantis , & sic promotoris fiscalis , ut in simili dicunt DD. in d. cap. cum in multis. ubi Perusin. & quando sunt verba ( *quosdam alios* ) dubitatur in quibus verificari debent , an in duobus , an in tribus , electionem tribuunt impetranti Marian. in tract. de citationib. art. 5. num. 3. & maximè *quasi*. 4.

6 Et quamvis rescriptum non trahatur ad lites futuras. cap. ultim. ubi gloss. & DD. de rescriptis. & sic nec ad futura crimina : tamen si lites , seu crimina futura sint connexa criminibus præsentibus tempore impetrati rescripti , venient etiam lites ortæ , & crimina perpetrata post rescriptum impetratum. Bartol. in l. qui habet. §. ult. D. de tutelis. gloss. in Clement. 1. verb. deputatis. de testibus. Abb. in cap. pastoralis. §. verum. de appellat. additio ad Abb. in cap. ult. littera B. de rescriptis. limitat. 5.

Hæc autem crimina , ut diximus , erant jam perpetrata tempore impetrati rescripti ; fuerunt & alia post rescriptum impetratum commissa , subsequenter tamen , & brevi tempore , & sic connexa dicuntur , licet postea fuerint detecta ; & sic virtute prædictorum verborum ( *quoscumque* ) poterat contra delinquentes procedi.

7 Facit & idem , quia verbum ( *quoscumque* ) indefinitum est , & ita trahi potest ad futurum. l. Medico. D. de auro & argent. legat. Bart. in l. ult. D. qua res pignori oblig. possunt.

8 Dicebam etiam , quod ex clausulis sequentibus antecedentia declarationem recipiebant. l. utrum. D. de petit. hereditat. l. quemadmodum. §. hæc verba. D. ad l. Aquil. l. si cum fundum. D. de verbor. significat. Bald. in l. domum. col. 1. in fine. C. de rei vindicat. unde per clausulas sequentes , & antecedentes videbatur , quod poterat procedi contra illos delinquentes vigore prædicti rescripti.

9 Ultimò dicebam , quod in his rescriptis ad lites , etiam si contineant vitium aliquod surreptionis , non sunt ipso iure nulla , sed ope exceptionis. Innocent. in cap. cum M. de constitut. Abb. in cap. ceterum. de rescriptis. gloss. & DD. in cap. ad audientiam. eod. titul. Cassador. decis. 1. de rescriptis. eod. titul. Cum ergo in præsentis casu à partibus de surreptione oppositum non esset , bene poterat procedi contra delinquentes , ex verbis prædicti rescripti.

Hæc libuit hic inferere , quia notabilia sunt.

## DECISIO CLXIX.

Testamentum in scriptis imperfectum  
an possit redigi in nuncupativum ?

Cabedo Pars I.

## S U M M Æ.

1. Testamentum jussu testatoris scriptum sex tantum testibus adhibitis , si coram eisdem testibus non sit perlectum , an sustineri possit tanquam nuncupativum.
2. Testamentum à Notario scriptum coram sufficienti testium numero , licet totum non sit perlectum coram eisdem ; nihilominus solemne dicitur , & potest auctoritate iudicis in publicam formam redigi ut nuncupativum.
3. Dispositio testatoris , de qua constat , si non potest valere ut testamentum , valet ut fideicommissum.
4. Testator , qui fecit testamentum in scriptis , in quo voluntatem suam declaravit , si aliquid pro solemnitate addere voluerit , quod adimplere nequiverit , intestatus decedit.
5. Testamentum jussu testatoris à Notario scriptum , si coram testibus non legatur , manet imperfectum.
6. Scriptura in testamento nuncupativo ad illius tantum probationem inducitur.
7. In testamento nuncupativo sex testes ad minus requiruntur.  
Testes in testamento adhibiti , debent esse omnium exceptione majores : quod si unus suspectus vel inhabilis reperitur , redditur testamentum nullum. Ibidem.

**P** ræsens dubium in senatu incidit. Testator dictavit testamentum , & Sacerdos vocatus , ut Notarius , scripsit , cumque testator signare vellet , non potuit , quia porrecto ad signandum brachio , priusquam testamentum totum coram sex testibus , qui tantum aderant , Sacerdos perlegisset , mortuus fuit testator. Quæritur , utrum ejusmodi dispositio , saltem tanquam testamentum nuncupativum valeat , & videtur quod sic.

Primò , ex illa recepta traditione ; quod si testamentum à Notario jussu testatoris sit scriptum , et si postea perlectum non sit coram testibus nihil refert , si modò per legitimos testes testantis voluntas nuncupata probetur : & est ratio , quia cum scriptura ad probationem non inducatur , non est cur de ejus solemnitate sit tractandum , ut optimè docet Covarr. post multos quos citat in cap. relatum. num. 1. de testament. §. 1. versi. tertia conclusio. pro qua opinione inducitur glossa notabilis in l. hac consultissima. §. sed quia. C. qui testamentum facere possunt , quatenus dicit , quod testamentum à Notario scriptum jussu testatoris coram sex testibus tantum non potest per illam scripturam probari , quia imperfecta , & minus solemnis est , ex defectu unius testis : sed bene potest probari per Notarium & testes , ut testamentum nuncupativum , pro quo facit etiam illa opinio Iacobi Ravenat. Alberici , & Ias. in l. hac consultissima. §. per nuncupationem. C. de testament. quatenus concludunt , bene reduci posse ad nuncupativum testamentum illud , cui aliqua defuit solemnitas requisita in testamento in scriptis.

Huc etiam maximè conducit notabile consil. 2. Pauli consil. 507. vol. 1. relatum à Covar. ubi supra. nu. 10. in fine , ubi concludit , quod si testatore dictante

fit scriptum à Notario testamentum coram sufficienti testium numero, qui in eo adhibiti fuerunt, licet totum testamentum non sit simul lectum coram eisdem, esse tamen solèmnè, & posse in publicam formam auctoritate iudicis redigi, ut nuncupativum; scilicet quia licet testator elegerit viam probationis per scripturam publicam adhibendo Notarium, non tamen videtur renuntiasse probationi faciendæ per testes, *l. miles qui destinaverat. D. de testament. milit.* unde ita in proposito, cum testator dictaverit testamentum, & Sacerdos ut Notarius scripserit, etsi postea à se non sit subscriptum, nec coram testibus lectum; tamen valebit saltem ut nuncupativum, cum per eosdem testes legitime probetur talis nuncupata voluntas.

3. Secundò videbatur, quòd saltem ut fideicommissum talis dispositio debuisset valere, per text. notab. & difficilem in *l. Pamphilo. §. propositum. D. de legat. 3.* ubi testator minus solemniter declaravit voluntatem suam, quòd vellet eundem relinquere, & dicit text. quòd illud valet in vim fideicommissi: ergo hic multò magis debuit ita valere, ubi testator solemniter per nuncupationem voluntatem suam exposuit.

4. Sed his non obstantibus contrarium videtur, imò quòd huiusmodi testamentum nec ut nuncupativum debeat valere.

Moveor primò ex receptissima Jurisconsultorum traditione, quòd ubicumque testator testamentum fecit, quòd à se, vel à Notario scriptum sit ejus jussu, & voluntatem suam declaravit, ita tamen, ut aliquid solemnitatis addere proposuerit; tunc intestatus utique potiùs decessisse diceretur, quia negari non potest, quòd imperfecta fuerit voluntas: quo casu, nec ut codicillus potest huiusmodi dispositio valere, ut est text. in *l. ult. §. illud. C. de codicillis.* qui text. dirimit nostram quæstionem.

5. Sic etiam text. in *l. fideicommissa. §. 1. D. de leg. 3.* qui probat, quòd si testator vocavit Notarium ad scribendum testamentum, imperfecta erit ejus voluntas, nisi legatur coram testibus; & idè nec testibus probari poterit, quia ex lectionis defectu præsumitur voluntatis imperfectio, & ita cum Bald. Paul. intelligit illum text. Covar. ubi supra num. 11. *versic. vel aliter potest intelligi.* & ita expressim eleganter probat Covar. *ibidem. d. num. 11. versic. oportet. cum Paul. Alexand. & aliis.* Cum ergo testator Sacerdotem vocaverit, qui, eo dictante, testamentum scripsit; & ipsemet testator voluerit testamentum signare, planè hoc videtur significasse, ut aliter noluerit illud testamentum valere, quàm in scriptis; & ita cum non signaverit, & signare voluerit, imperfecta manet ejus voluntas, ac proinde testibus non potest probari.

6. Facit, quia licet in scriptura fiat nuncupativum testamentum, tamen illud est, quando scriptura fit tantum ad probationem, glossa 1. in *l. hac consultiissima. C. de testament. in §. per nuncupationem.* Sed hic scriptura ad probationem non videtur facta; quia si ad hoc fieret, sufficeret illam tantum coram testibus legere, testatore dicente, illam velle fore suam ultimam voluntatem, juxta *d. l. hac consultiissima. C. qui testamenta facere possunt.* sed cum ulterius processerit, & signare voluerit, certè verosimilius est,

quòd testamentum in scriptis facere voluerit, argum. ejus, quòd notabiliter scripsit Viglius, post Fabrum, in *§. fin. col. 2. in fin. institut. de testament.* Cum autem voluntas respectu testamenti in scriptis imperfecta fuerit consequitur quòd nec testibus possit probari, ut tamquam nuncupativum valeat.

Ex defectu etiam probationis testamentum præfens subsistere non potest: nam ad nuncupativum ad minus requiruntur sex testes, *Ordin. lib. 4. titul. 76. §. 4.* & cum per statutum hic numerus sit diminutus à numero juris communis, debent esse tunc testes omni exceptione majores, ex *Calder. consil. 26. titul. de testamentis.* Et adè hoc requiritur, quòd si unus testis inhabilis reproberetur, testamentum redditur nullum, ut nec jure codicillorum valeat. *Anchar. consil. 188. facit l. si unus. C. de testament. sic unum testamentum annullavit Angel. consil. 228. in facto,* ob id quòd ex quinque testibus requisitis per statutum, unus erat socer heredis instituti. Sic etiam annullavit aliud testamentum *Dec. consil. 105. colum. 3. in principio.* propterea quòd unus ex testibus erat avunculus heredum institutorum, sic aliàs ob unum testem affinem fecit *Socinus consil. 229. num. 9. volum. 2.*

Et sic judicatum fuit.

## DECISIO CLXX.

De testamento factò tempore pestis, & intellectu Ordinationis *lib. 4. titul. 76. §. ultimo.*

### S U M M Æ.

1. Testamentum factum tempore pestis valet, tribus tantum testibus adhibitis.  
*Valet argumentum de loco ad tempus. Ibidem.*
2. Fœminæ non possunt esse testes, nec in testamento factò in eremo, nec in eo, quòd fit tempore pestis.  
*Quemadmodum lex intelligitur in casu expresso, ita etiam est intelligenda in simili casu, ad quem extenditur. Ibidem.*
3. Intelligitur Ordinatio *lib. 4. tit. 76. §. ult.*
4. Testes in testamento adhibiti debent esse omni exceptione majores.

**T**estamentum factum tempore pestis, quæ magna sit, valere cum tribus testibus, ex *Bart. & aliis tradit Gamma decis. 81. idque ex Ordinatione lib. 4. tit. 76. §. ultimo,* factò argumento de loco ad tempus, quòd validum est, *l. vinum. D. si certum petatur.* & hæc quidem opinio mihi semper placuit, secundum quam judicatum in senatu fuisse, refert idem *Gam. ubi supra.* attamen non per hoc remissa censeri debet qualitas testium, ut nec etiam in terminis prædictæ Ordinationis, *§. ult. ibi, ou ao tempo da morte por palaura,* eadem qualitas remissa est.

Unde fœminæ in prædicto testamento in eremo factò testes esse non possunt, nec etiam in eo, quòd tempore pestis fit: cum enim ex illa Ordinatione argumentum sumamus, quemadmodum illa in casu expresso intelligitur; ita etiam in casu ad

ad quem illam extendimus intelligenda est, in specie tradit Curt. Iunior in l. hac consultissima. C. de testament. §. ex imperfecto. num. 10. Socin. Iun. in l. 2. num. 30. D. de legat. 1. unde & foeminae testes esse non possunt in huiusmodi testamento.

- 3 Nec obstat §. 4. ejusdem Ordinationis; loquitur enim in testamento, ubi plenior numerus testium concurrat: & expressit id lex, quæ si non exprimeret, adhuc regulæ standum esset, quod in nostro casu non datur; & potius ex ratione supra dicta, contrarium de jure est.
- 4 Deinde testes hi omni exceptione majores esse debent, & non suspecti, ne aliàs facile fraus committatur, notat Faber in §. legatariis, institut. de testament. Dec. consil. 105. num. 4. Telius in l. 3. Taur. numer. 13. 2. part.

DECISIO CLXXI.

De testamento facto à prodigo.

S U M M Æ.

1. Prodigus testamentum facere non potest.
2. Quod intelligendum est, postquam ei juridicè interdicta est bonorum administratio. Prodigus manifesto, non ipso jure, interdicatur bonorum administratio. Ibid.
3. Ad hoc, ut prodigo bonorum administratio juridicè interdicitur, non quodlibet, sed solemne iudicis decretum intervenire debet.

- 1 **R**egula juris est, prodigum testari non posse. l. is qui. D. de testament. §. item prodigus, institut. quibus non est permitt. notatur in l. 1. is cui. D. de verborum. Ordin. lib. 1. tit. 67. §. 19. Gomez. l. 3. Taur. num. 14. Menchac. de successione. lib. 2. §. 13. num. 58. Molin. de primogen. lib. 2. cap. 9. num. 32.
- 2 Quod tamen intelligendum est, postquam ei interdicta est à iudice administratio bonorum suorum: nec enim prodigo manifesto ipso jure administratio interdicitur, ut esse receptiorem sententiam defendit Iaf. in d. l. is cui bonis. D. de verborum. Capella Tholof. decis. 362. & expressè probat apud nos Ordin. ubi supra. §. 19. ibi. *Et prodigo à que hè defesa, & tolhida a administração de seus bens.* ergo non ipso jure: expectamus namque iudicis interdictionem, ut tunc prodigus testari non possit, nec contrahere absque curatore, & attenda Ordinatione, non quodlibet iudicis decretum, sed solemne, & secundum formam præscriptam ab illa d. tit. 67. §. 43. necessarium erit, ut prodigo bonis interdictum esse juridicè dici possit, tradunt Aretin. Iaf. & Rip. numer. 36. in d. l. is cui bonis. latè Franciscus Caldas Lusitanus in l. si curatorem. verb. cum non absimilis, num. 5. C. de restitut. in integrum.

DECISIO CLXXII.

An commendatarius alicujus Ecclesiæ, qui vacante illa, cepit possessionem ædium Ecclesiæ, possit intentare interdictum Unde vi, contra Vicarium successorem recuperantem possessionem prædictarum ædium?

S U M M Æ.

1. Intentans interdictum Unde vi, duo tenetur probare, possedisse, & spoliatum fuisse.
2. Ecclesia semper censetur esse in possessione, etiam mortuo Prælate.
3. Res Ecclesiæ numquam dicuntur vacare.
4. Dejectus per vim, potest recuperare possessionem; dummodo id faciat incontinenti. Fieri quid incontinenti, vel non, iudicis arbitrio relinquitur. Ibid.
5. Confestim, & incontinenti facere intelligitur, qui statim, & insimul cum primùm potuit, fecit.
6. Commendatarius, qui vivente primo Vicario, tacuit nec unquam de possessione ædium egit, & mortuo illo possessionem cepit, dolo fecisse videtur, & si a Vicario successore dejiciatur, non ei competit interdictum Unde vi, nec restitui debet.
7. Et ita judicatum fuit in senatu.

**C**om mendatarius Ecclesiæ S. Martini oppidi de Santarem, vacante vicaria prædictæ Ecclesiæ per obitum Vicarij, cepit possessionem quarundam ædium, auctoritate Præsidis, in quarum possessione Ecclesia antea erat, vivente Vicario.

Provisâ Ecclesia de Vicario, novus Vicarius possessionem ædium cepit: commendatarius intentavit interdictum, Unde vi, contra Vicarium, ut possessionem ædium restitueret; & quia in hoc interdicto, illa duo probare tenebatur, possedisse, & spoliatum fuisse, l. 1. §. interdictum autem hoc D. de vi. & vi armat. cap. consultationibus, ubi Abb. 2. notat. de officio delegat. Menoch. in pralud. recuperand. in princ. & num. 21.

Dubium maximum fuit, an commendatarius hæc duo probaret?

Et dicendum, quod mortuo Prælate, Ecclesia ipsa censetur possidere, & verè possidet per suos beneficiarios. Bart. in l. 1. §. ult. ad finem. D. de acquirenda possessione. & in l. cum heredes. in principio. D. eodem titul. qui allegat Innocent. in cap. cum in officiis. de testament. Ecclesia namque numquam moritur, nec mutatur, cap. liberti. 12. quest. 1. & facit text. in l. jubemus. in fine. C. de sacrosanct. Ecclesiis. l. Raptores. vers. fin autem. C. de Episcopis, & clericis. tradit Guid. Pap. decis. 355.

Hinc fit, ut mortuo Prælate, nullus possit bona Ecclesiæ occupare. Ordin. lib. 2. titul. 9. facit text. in cap. sanctorum 10. quest. 1. Rip. in l. 1. num. 5. D. de interdict. & res Ecclesiæ numquam dicuntur vacare. arg. text. in d. l. Raptores. §. fin autem. Guid. Pap. ubi supra. Ecclesia namque ipsa censetur possidere, ut superius diximus.

Cum ergo in præsentî casu, Ecclesia ante obitum Vicarij ædes possideret, non poterat commendatarius illas occupare, etiam si id faceret auctoritate Præsidis; & bene Vicarius, qui successit, nomine ipsius Ecclesiæ recuperavit possessionem, ut poterat, Ordin. lib. 4. tit. 50. §. 2. Quamvis enim id incontinenti facere debebat, l. 3. §. cum igitur. D. de vi. & vi armata. Menoch. de recuperand. remed. 1. n. 338. Tamen fieri incontinenti, vel non, arbitrio iudicis relinquitur. Ordin. lib. 4. tit. 50. §. 2. gloss. in l. is à quo.

verbo, hodie. D. ut in possessionem legatorum. & in l. 2. C. de edict. divi Adriani rollen. tradit Menoch. de arbitrariis. lib. 2. centur. 1. casu 9. & casu 11.

5 In casu autem præsentis dubij, Vicarius, ut provifus fuit, & possessionem accepit beneficij, statim, & infimul recuperavit ædium possessionem: idque fecit cum primum potuit. l. 2. §. confestim. D. ad senat. consult. Tertullianum. Neque enim ante canonicam institutionem, possessionem beneficij capere poterat. regul. Beneficium. de regul. jur. lib. 6. ordinat. d. lib. 2. tit. 9. Rebuff. in praxi, tit. de missione in possessionem. num. 2. Menoch. de recuperanda possess. remedio 15. num. 222.

6 Ultimò, contra commendatarium faciebat, quòd ipse provifus fuerat de commenda, vivente Vicario, & toto illo tempore numquam egit nec de possessione ædium, nec de proprietate, sed tacuit: quo verò tempore obiit, & Ecclesia erat destituta pastore, tunc cepit possessionem ædium: quod fraude factum videri debet, unde ei restitutio non competit, l. 1. D. de vi, & vi armat. nec ei prodesse debet vitiosa possessio. Ruin. consil. 13. num. 8. lib. 4. faciunt quæ tradit Bart. de titulo vitioso, in l. si ve autem, §. si duobus D. de publiciana actione.

7 Et sic judicatum fuit, quòd commendatario non competeat interdictum Unde vi, & absolutus fuit Vicarius ab ejus petitione.

### DECISIO CLXXIII.

De privilegio viduæ circa electionem judicis, quam habet.

#### S U M M Æ.

1. An mulier, mortuo marito, possit declinare judicem, coram quo vivente illo se obligavit respondere per publicam scripturam.
2. Vidua potest eligere judicem jure nostri regni.
3. Iuri non competenti nullus visus est renunciare. Decretum senatus. Ibid.
4. Idem judicatum fuit in alio ferè simili casu hic relato. Intelligitur Ordin. lib. 3. tit. 4. §. 3. Ibid.
5. Refertur alterum decretum senatus circa hanc materiam.

1 **P**ræfens quæstio fuit in senatu controversa. Mulier quædam vivente marito, infimul cum illo per publicam scripturam contraxit, & renunciavit iudices sui fori, & domicilij, & respondere coram certo iudice super observantia & validitate prædicti contractus se obligavit.

2 Mortuo marito, mulier, quæ vidua mansit, conventa coram iudice illo in scriptura contento, coram quo simul cum marito, vivente illo, respondere se obligaverat, declinavit prædictum judicem, & petiit, & elegit judicem sui domicilij, juxta electionem, quam ei tribuit ordin. lib. 3. tit. 4. §. 3. dubitatum fuit, an possit prædicta mulier declinare? Et contra illam opponebatur, quòd in prædicta scriptura se obligaverat, unde conventioni standum erat, ut est bonus text. in materia. l. ea qua. C. de restitutionibus militum, & c. ubi Bald.

Contrarium tamen decisum fuit: imò quòd poterat declinare ad judicem sui domicilij, juxta privilegium viduæ, ei de novo competens, cui renunciare visa non est, vivo adhuc marito, per prædictam scripturam, non enim juri nondum competenti visa fuerat renunciare, l. mater. C. de inoffic. testamento. l. tres fratres. D. de pact. notatur in cap. 2. de renuntiatione. tradit. Bart. in l. sed & si quis. §. quæsitum. D. si quis cautionibus. Paul. in l. quod Servius. D. de condict. causa data. in processu de Dona Maria de Saa contra Rodericum Gonçalvez de Camara, super petitione gravaminis à prætore curiali, Scriba Ludovico Vaz de Rezende.

In ferè simili casu idem judicatum fuit anno 1782. in altera vidua, quæ in lite cœpta cum marito, qui obligavit se respondere certo loco, illo mortuo, cœptam litem mulier revocavit ab illo loco, & elegit judicem sui domicilij: & decretum fuit, quòd poterat eligere, non obstante, quòd maritus se obligavit respondere illo loco, in altera petitione gravaminis à Præsidente curiali, quod conducit ad intellectum ordinationis lib. 3. tit. 4. §. 3.

Idem judicatum fuit in senatu hoc anno de 1600. in processu inter Petrum de Mendoça & Donam Laurentiam de Tauora. Qui casus sunt notabiles.

### DECISIO CLXXIV.

An iudex possit ex officio cadavera mortuorum eruere è sepulchris ad ea inspicienda, cum præsumptio sit defunctum mortuum esse ex vulnere, aut veneno?

#### S U M M Æ.

1. Refertur casus valdè notabilis hujus decisionis.
2. Iudex potest impetrata licentia ex officio cadavera eruere è sepulchris, cum præsumptio sit, defunctum mortuum esse ex vulnere, aut veneno, nec ob id sacrilegium committit.
3. Magistratus possunt impetrata licentia ossa eruere.
4. Quomodo intelligantur jura, qua loquuntur in sepulchris violandis. Intelligitur l. 5. C. de sepulchro violato. Ibid.
5. Quid decretum fuerit in casu hujus decisionis.

1 **I**n oppido de Santarem, mulier quædam anno 1592. mense Maij, cum præsumeret filiam virginem, quam habebat, à viro quodam fuisse cognitam, & esse prægnatam, clam filiam ipsamet mater suffocavit, & dixit filiam mortuam esse improvisa & subitanea morte, & vocavit clericos, & sepeliri eam fecit in Ecclesia S. Eriæ.

2 Nuntiata fuit res iudici, qui prævia inquisitione, cadaver voluit inspicere, & petita licentia à Vicario Ecclesiæ prædictæ, jussit illud eruere è sepulchro, præsentibus iudice, & officialibus justitiæ, & clericis prædictæ Ecclesiæ, Medicis, & Chirurgis, & testibus, & de omnibus quæ viderat, fecit acta,

3 Quo facto, Vicarius generalis prædicti oppidi de Santarem, contra judicem censuras fulminavit: dicebat namque sacrilegium commisisse, eò quòd

quòd cadaver è sepulchro jufferat eruere, judex instrumentum gravaminis interposuit ad judicem coronæ Regiæ, ut moris est, quo tempore officium procuratoris Regiæ coronæ gerebam.

Dixi, judicem id posse facere, nec sacrilegium commisisse: id namque fecerat publicam personam gerens, & ratione officij, facit text. in l. injuriarum. vers. qua jure potestatis. D. de injuriis. Gamm. decis. 35. num. 1.

3 Deinde ex eo, quia magistratus possunt impetrata licentia ( ut judex fecerat à Vicario Ecclesiæ ) ossa eruere, cap. sacris. de sepulchris. l. ossa. D. de religiof. & sumpt. funer. Ripa de peste. ultim. part. numer. 144.

4 Et jura quæ loquuntur in violandis sepulchris, loquuntur in personis particularibus, & non publicis, & quæ dolo malo id faciunt. l. 1. & 2. D. de sepulchro violato. nec dicuntur per id committi sacrilegium, sed quòd puniantur ad instar sacrilegij, cui est proximum, & simile non est idem. l. actionis. D. de action. & obligat. & ibi glossa verb. obtinent. & ita est intelligenda l. 5. C. de sepulchro violato.

Judex autem, hoc casu, id fecit publica auctoritate, & ne delicta manerent impunita. l. ita vulneratus. D. ad l. Aquiliam. cap. ut fama. de sententia excommunicationis. & in specie videndus est Rebuff. 2. tom. ad ll. Gallicas. tit. ne beneficiatorum cadavera custodiantur. gloss. 4. num. 22. & 23.

5 Et ita decretum fuit, quòd judex rectè fecerat, & Vicarius generalis non debuerat censuras fulminare, in judicio Regiæ coronæ, Scriba Augustino Rebello.

Et sæpè, cùm casus accidit, factum hoc fuit per judices, & cadavera è sepulchris eruta inspecta, ut testificati sunt senatores antiqui, & qui in provinciis officium Præsidium gesserant.

DECISIO CLXXV.

An procurator possit compromittere appellatione remota, & domino præjudicare?

S U M M Æ.

1. Procurator cui specialiter commissum est, ut compromittat super certo negotio, mandati fines excedere non potest, nec compromittere appellatione remota.

In actionibus voluntariis procuratoris error domino non nocet. Ibid.

Procurator fines mandati excedens, ut privata persona fecisse censendus est, non ut procurator; nec ob id domino præjudicare potest. Ibid.

2. Compromissum factum ab Ecclesia, vel minore appellatione remota, odiosum est, & maximam læsionem præfert.

3. Ecclesia restitui potest adversus compromissum factum ab Episcopo, super rebus ipsius Ecclesia.

1 Quidam Episcopus procuratorem specialem constituit in lite, in qua agebatur de rebus suæ Ecclesiæ, & ut compromitteret: quærebatur an possit compromittere appellatione remota?

Et quòd procurator, cui specialiter commissum est, ut compromittat super certo negotio, non possit excedere fines mandati, nec compromittere appellatione remota, facit, quia qui compromittit voluntarium actum, facit non necessarium, ut est text. elegans in l. si dictum. §. sic compromisero. in principio. D. de evictionibus. porò in actibus voluntariis procuratoris error domino non nocet. Innocentius in cap. 1. ut lite non contestat. Egidius de Bellamera decis. 582. Menoch. de arbitrariis, casu 432. nu. 31. ratio est, quia cùm procurator tunc fines mandati excedat, ut persona privata fecisse censendus est, non ut procurator, cap. cùm dilecta. de rescriptis. & ob id domino (cujus procurator non est fines mandati excedendo) præjudicare non potest.

Accedit, quòd compromittere odiosum est, & maximam læsionem præ se fert. text. optimus in l. si minor. 34. §. ultim. D. de minoribus. præcipuè quando compromissum est in aliquem, appellatione remota, ut ibi notat glossa, verb. jure. & Bartol. Tunc sic, compromissum hoc factum fuit ab Episcopo, nomine Ecclesiæ, super bonis, quæ ad ipsam pertinere contendebat; ergo eo ipso restitui potest, adversus errorem advocati, seu proditionem, ut vocatur. text. in l. minor. 18. §. si autem Princeps (ibi, vel ab advocatis proditum queratur) D. de minoribus. faciunt tradita per DD. in cap. 1. de restitutione in integrum. Unde non obstante clausula, appellatione remota, saltem restitutionis auxilio, recipienda erat appellatio, d. l. minor. §. ultimo. Et sic conclusum fuit in præsentis casu, quòd reciperetur appellatio, non obstante clausula illa compromissi, quæ saltem restitutionis ope valere non debuerat.

DECISIO CLXXVI.

An bona majoratus pro aliis bonis permutari possint?

S U M M Æ.

1. Bona majoratus possunt facultate Regia interveniente, permutari pro aliis, ipsi majoratui utilioribus.

2. Permutatio bonorum majoratus pro utilioribus, si consensus sequentium successorum legitime interveniat, valida est.

3. Subrogatum loco alterius, idem reputatur. Bona, cum quibus res majoratus permutata fuerunt, in earum loco subrogantur, & conditionibus, & legibus in institutione majoratus per testatorem appositis subjiciuntur. Ibid.

Bona majoratus posse, facultate Regia interveniente, pro aliis bonis ipsi majoratui utilioribus permutari, tradunt latissimè Ludovicus de Molina, de primogeniis. lib. 4. cap. 4. à num. 1. & ca. 6. num. 26. qui multos DD. allegat; non verò absque facultate Principis: & est apud nos Extravagan. 1. part. tit. 4. l. 1. §. 122.

Contigit, quòd quidam possessor majoratus bona quædam permutavit pro aliis utilioribus sine Principis licentia, interveniente tamen consensu sequentium successorum prædicti majoratus: qui

consensus sententia fuit confirmatus. Quæsitum fuit, an sufficeret consensus iste successorum, ut permutatio hæc firma remaneret, & valeret?

Decretum fuit in senatu, validam esse permutationem hanc: nec enim voluntas testatoris mutatur per hoc, sed solum permutantur bona pro aliis, seu illorum loco subrogantur fortè utilioribus, & bonitate melioribus, ut in præsentis casu accidit. tradit Cæpola in l. 2. num. 29. C. de usucapion pro emptor. Capic. decis. 108. num. 26. Molin. ubi supra. cap. 6. num. 28.

- 3 Et quod subrogatum est loco alterius, idem reputatur, l. si filia. §. 1. D. de condit. & demonstrat. l. si donata. §. si sponsus. D. de donationibus inter virum & uxorem. Pelæus de majoratib. I. part. qu. 11 & qu. 10. & sic bona hæc subrogata eandem sortiuntur naturam, quam habebant aliæ res cum quibus permutatæ fuerunt, & subjiuntur conditionibus, & legibus in institutione majoratus per testatorem positis. Tiraquellus in l. boves. §. hoc sermone, limitation. 14. in principio. D. de verborum signifi. & ante eum Lucas de Penna in l. 1. colum. 4. versic. Sed quid in questione. C. de imponenda lucrati. descript. lib. 10. Quod maximè notandum est.

### DECISIO CLXXVII.

#### De Arrhis.

#### S U M M A.

1. Donatio arrharum nomine facta, ultra tertiam partem dotis, de jure nostri regni non valet; de jure autem regni Castella decimam partem dotis excedere non potest.
2. Dos illa solum intelligitur, qua tradita est, & soluta viro. Non nuda promissio, sed numeratio dotem facit. Ibidem. Dos solum dicitur qua superest deducto ære alieno. Ibidem.
3. Si nihil in dotem uxori datum fuerit, nihil ei arrharum nomine promitti potest.

1 **S**Ive arrhas, quæ in matrimonio sponsæ dantur, donationes propter nuptias vocemus, ut vocat expressè l. partit. 4. tit. 11. l. 1. Suarez tit. de las Arrhas. nu. 2. sive alio nomine, & proprii, arrham vocemus donationem factam à marito in remunerationem dotis, vel virginittatis, seu nobilitatis, ut tradit Gom. l. Taur. 50. versiculo, sed in nostro, semper illud attendendum est, ne ultra tertiam partem traditæ dotis ab uxore, seu à patre, aut extraneo promittente, arrharum nomine detur, ut est apud nos Ordin. lib. 4. tit. 9. §. ultim. & in regno Castellæ promissio arrharum decimam partem dotis excedere non debet. l. 1. tit. 2. lib. 3. for. legum. Suar. ubi sup. num. 4. Gom. num. 13.

- 2 Quæ dos intelligitur, illa, quæ tradita est, & soluta viro, arg. text. in Authent. sed quæ nihil. C. de pactis convent. facit text. notabilis in l. pollicitationem. C. de donationibus ante nupt. ubi glossa, & quæ tradit Suarez tit. de las Arrhas. num. 11. Non enim promissio, sed numeratio dotem facit. l. 1. C. de dote caut. non numerata, aded ut solum dos dicatur illa, quæ

deducto ære alieno manet, text. elegans in l. mulier bona. D. de jure dotium. facit reg. tex. in l. subsignatum. §. bona. D. de verborum significat. in specie Suarez tit. de las Arrhas. num. 5. & faciunt verba illa nostræ Ordin. d. lib. 4. tit. 9. §. ult. ibi, trouxer. non enim lex per verbum, prometer, locuta est, sed per verbum, trouxer, quod idem significat, quod Latine dicitur, habuerit in dotem: verbum enim, fero, inter alias significationes hanc etiam habet, ut apud Virg.

Ferre sui dederat monumentum & pignus amoris.

Unde si nihil ex uxoris parte in dotem datum fuerit, nihil ei promitti nomine arrharum posse, sanior opinio est, & in senatu nostro approbata: aliter melioris conditionis esset mulier indotata, quam dotata, & in nostris terminis ita judicatum fuisse refert Gam. decis. 370. numer. 2. ubi alios DD. citat quod mihi juri consonum maximè videtur, si mentem nostræ Ordin. Regiæ rectè intueamur, & vide Guid. decis. 430. Vaz. consult. 2. 3. & 4. ubi latè de materia.

### DECISIO CLXXVIII.

#### Alimenta quo pacto taxari debeant?

#### S U M M A.

1. Sôcer qui tenebatur generum intra domum suam alere, si inimicitia inter eos orta sint, tenetur ei extra domum eadem alimenta præstare, cum eisdem qualitatibus, ac si eum intra domum alere debuisset.

**C**ontroversum fuit in senatu, cum inter generum & focerum lites maximæ essent, qui focer in domo sua genero alimenta præstare tenebatur; quomodo alimenta hæc taxanda essent genero degenti extra domum foceri?

Et cum propter has lites ortas inter generum & focerum, ex quibus solent oriri maximæ inimicitia, præsertim inter consanguineos, Ias. conf. 54. lib. 1. Molin. de primogen. lib. 2. cap. 25. num. 74. necessum esset alimenta extra domum foceri genero præstari; decretum fuit taxanda esse eo modo, ac si alimentari debuisset in domo foceri, & cum eisdem qualitatibus, ex vulgari regula text. in l. si eum, §. si injuratum. D. si quis caut. & certum est minus expendere debere focerum, circa alimenta præstanda in domo sua, quam extra domum, ut experientia docet, præsertim quia focer ex obligatione contractus in domo sua generum alere tenebatur, & non extra; nec constabat culpa foceri alimenta genero non præstari, & contrarium præsumebatur, tam ex obligatione contractus, quam ex amore debito filia per patrem, ut in specie tradit Gratus conf. 87. numer. 8.

### DECISIO CLXXIX.

De littetis citatoriis, quas, cartas de Cantara, vocamus.

SUM-



S U M M Æ.

1. In executionibus, & liquidationibus sententiarum citari debent persona illa per cartas de Camara, quæ juxta consuetudinem regni, per easdem cartas citari solent.
2. Idem dicendum est, quando processus per semestre tacuit.  
Quod tamen hodie non procedit ex novo rescripto Regis. Ibidem.
3. Archiepiscopus Bracharensis, ratione primaciæ per cartas de Camara citari solet.

**D**E his litteris citatoriis vocatis, *cartas de Camara*, est apud nos Extravag. l. i. tit. 3. circa quas videndus est Bart. & Platea in l. quoties. C. de dignitatibus. lib. 12. Bald. in l. cum clericis. C. de Episcop. & cleric. & in l. 1. 2. lectur. colum. fin. D. de jurisd. omn. judic. Ripa. in cap. 1. de judicis. Marant. in pract. tit. de citatione. num. 76. Duenh. reg. 39. limit. 3. Gregor. Lopez in l. 7. tit. 7. partit. 3. Avend. de exequend. mand. 1. p. cap. 11. & est videndus text. in Authent. nullus. C. de Episcop. & clericis.

1. Decretum autem fuit in senatu nostro mense Aprilis, anno 1590. in quadam glossa Cancellarij senatus, quod in executionibus & liquidationibus sententiarum citari debebant per cartas de Camara personæ illæ, quæ juxta consuetudinem, & stylum regni per tales cartas citari consueverant.
2. Decretum etiam fuit, ut similiter per cartas de Camara fieret citatio, quando elapsis sex mensibus processus tacuit, juxta Ordin. lib. 1. tit. 63. §. 26. & est hoc decretum in processu do Marichal com o Ifante dom Luis, super patronatu Ecclesiæ de Tavares, Scriba Petro Almirante, in judicio Regiæ coronæ.

Circa quod tamen rescripsit Rex noster ad quamdam consultam factam in senatu palatij in hunc modum :

*Parêço na mesa, que pera falar na causa que passa de seis meses; não he necessario carta de Camara, & qui basta a carta afinada pelo juiz da causa em todas as dependências, & qui a carta de Camara se require somente para a citação primeira: em Lisboa, a 9. de Dezembro de 1600. Sua Magestade se conforma com o parecer acimados Desembargadores do praço: em Madrid, a 22. de Janeiro de 1601. Est hoc in lib. senatus Palatij, fol. 149.*

3. De stylo etiam nostri regni Archiepiscopus Bracharensis ex dignitate primaciæ (juxta text. in cap. coram. 7. in ordine. de in integrum restitut.) citatur per cartam de Camara, & non aliter, & hic est stylum antiquus regni, & ita decretum fuit in senatu, ut fieret, in quadam glossa posita per Cancellarium in carta citatoria, per quam Archiepiscopus Bracharensis vocabatur in judicium contra prædictum stylum regni in mense Augusti, anni de 1600. Vide tamen in nova legum hujus regni recopilatione, lib. 3. tit. 1. §. ultum.

DECISIO CLXXX.

An mulier honesta, quæ numquam nupsit gaudeat privilegio viduæ ?

S U M M Æ.

1. Intelligitur Ordinatio lib. 3. tit. 4. §. 4.
2. Mulier honesta, quæ numquam nupsit, etsi in ætate sit, ut nubere possit, tamen privilegio viduæ potitur.

**C**irca Ordinationem lib. 3. tit. 4. §. 4. ibi, E todo o que dito avemos a cerca das viúvas, haveram ben lugar em as molheres honestas, que honestamente viverem, posto que nunqua fossen casadas, maximum dubium ortum fuit in senatu anno 1585. Cum quædam mulier, quæ tamen in ætate erat, ut nubere possit, & quæ honeste viveret, & esset sub clausura monasterij monialium divæ Claræ Pacis Juliæ, vellet ad curiam vocare quemdam in judicium, an id posset facere ?

Et aliqui dicebant, non posse, eò quod, etsi honestè viveret, & patrem non haberet, tamen erat in via ad nubendum : quo casu privilegium ei non competit, ex traditis per Covar. pract. quest. cap. 7. num. 2. vers. ceterum.

Contrarium tamen judicatum fuit, quod mulier illa privilegio potiretur, ex text. in l. malum. ubi glossa. verb. viduam. D. de verborum significat. glossa. in l. ultima. C. ad legem Flavianam. de plagiaris. facit text. in cap. viduam. 34. distinctione. & est in specie decis. Vicent. de Branch. decis. 100. per totam. & sic declarata fuit hæc Ordinatio & intellecta, quod notandum est. Et vide Tiraquel. cessante causa, limitat. 12. num. 4.

DECISIO CLXXXI.

Quando citari debeat pars elapsis sex mensibus aut anno, circa intellectum Ordinationis lib. 1. tit. 63. §. 26.

S U M M Æ.

1. Ordinatio hæc, quæ jubet, ut pars de novo citetur, quando processus tacuit per semestre in manibus scribæ; non habet locum, si eodem tempore sex mensium processus sit apud Advocatum.
2. Ordinatio prædicta procedit, si processus sit conclusus apud judicem, anno integro.
3. Citatio uxoris, in his casibus non requiritur, etiam si lû super rebus immobilibus agitur.

**D**um hæc Ordinatio jubet, elapsis sex mensibus, quibus processus tacuit in manibus scribæ, ut pars de novo citetur, intellecta fuit decreto senatus ut locum nõ haberet, quando processus esset apud Advocatos, eodem tempore sex mensium, cum senatus esset in oppido da Golegaam, anno 1569.

Sæpè etiam dubitatum fuit, an annus de quo loquitur ista Ordinatio, quo processus tacuit post conclusionem, intelligeretur quando processus erat cõclusus apud judicem; & cum in hoc maxima esset controversia, obtinuit, ut eò casu quo processus conclusus est apud judicem, anno integro, pars de novo citetur: eò enim tempore instantia perit de jure nostri regni, ut in simili tradit Rebuff. in concordat. dat.

*datis. titul. de frivol. appell. pag. 657. & vide Gutier. de juram. confirmat. 3. p. cap. 5. Quamvis in nova legum hujus regni recopilatione hoc emendatum fit, & declaratum lib. 3. tit. 1. §. 15.*

3. Dubitatum etiam fuit, an his casibus supra positis, quibus pars de novo citari debet, juxta dispositionem hujus Ordinationis, & lis fuerit super bonis immobilibus, citari debeat uxor, quæ jam in principio litis citata fuerat, & id crebrius in senatu practicatur, ut uxor iterum non citetur, quæ jam in principio litis citata fuit, argum. Ord. lib. 3. tit. 54. §. 2. & vide in Arrestis, 7. Arrest.

### DECISIO CLXXXII.

An in litibus super possessoriis citatio uxoris sit necessaria.

#### S U M M Æ.

1. In litibus super possessoriis, & violentiis factis super possessione alicujus rei, uxoris citatio necessaria est.
2. Intelligitur Ordinatio lib. 1. tit. 46 §. 2. & Ordinatio lib. 3. tit. 32. in principio.

**D**ubium fuit in senatu: An in litibus super possessoriis, seu violentiis factis super possessione alicujus rei, uxoris citatio necessaria sit. Et quodd non esset necessaria, allegabatur per aliquos senatores Ordinatio lib. 1. tit. 46. §. 2. ibi, *sem mais outra citação de molheres.*

1. Contrarium tamen decretum fuit, ex dispositione Ordinationis lib. 3. tit. 32. in principio. ibi, *Posto que as demandas seião sobre forças dos ditos bens. quæ lex generaliter loquitur, & hic est stylus.*
2. Quo retento, respondebatur ad alteram Ordinationem lib. 1. tit. 46. §. 2. quod loquitur in casu particulari, quando decuriones civitatum, & oppidorum inveniunt, quod aliquæ personæ de publicis viis & servitutibus aliqua occupant: extra enim hunc casum particularem, in quo hæc Ordinatio loquitur, sequenda est altera Ordinatio d. lib. 3. tit. 32. in princ. ut uxores citentur in his litibus, & ita decretum fuit an. 1584. & vide supra decis. 35.

### DECISIO CLXXXIII.

An mulier, quæ nupsit viro, eo pacto quod neuter communicaret bona alterius, sed unusquisque suis bonis contentus esset, non extantibus filiis, possit publicatis bonis viri, statim repetere dotem?

#### S U M M Æ.

1. Dotes tribus modis fieri solent in hoc regno: vel enim matrimonium fit, nulla pactione interveniente; & tunc censentur bona communicata inter virum & uxorem.
2. Vel secundo matrimonium contrahitur per dotem, & arrhas; & hoc casu arrharum promissio, ultra tertiam dotis partem fieri non potest.
3. Vel tertio matrimonium celebratur quibuscumque

aliis pactionibus interpositis, qua omnino per contrahentes servari debent.

Bona mulieris contrahentis per dotem, & arrhas, seu quibuscumque aliis pactionibus interpositis, dotalia dicuntur. Ibidem.

4. Vxor, quæ cum viro contraxit, eo pacto, ut neuter communicaret bona alterius, si vir ob crimen læsæ Majestatis ab eo commissum condemnatus sit ad pœnam mortis, & publicationis bonorum, potest repetere dotem suam.
5. Domus dotalis, si ob delictum à viro commissum, devastanda, seu destruenda venerit, mulier potest illam repetere, licet fiscus pretium solvere velit, ut domus destruat.
- Intelligitur Ordinatio lib. 5. tit. 3. §. 19. Ibid.
6. Mulier potest repetere dotem suam, si maritus bannitus fuerit, etiam non publicatis bonis: & hoc casu maritum absentem alere tenetur, & filios.
7. Fiscus potest habere omnia bona publicata mariti absentis, quæ ipse quoad vixerat, habere debeverat.
8. Bona uxoris dotalia nullo modo confiscari possunt. Intelligitur l. Statius. §. Cornelio, & Ordinatio in §. 14. lib. 5. tit. 3. Ibid.
9. Intelligitur l. si posthac. C. de bonis proscriptionum.
10. Mulier, cujus vir crimen læsæ Majestatis commisit, manet in possessione bonorum, & sic sua dotis, & illam sibi retinere potest.

**M**ulier quædam matrimonium contraxit, ea in inita pactione, quod si filios non haberent, nec maritus communicaret illius bona, nec uxor bona mariti, sed quilibet contentus esset suis bonis; quod apud nos dicitur, *seuisse cum os seus bens*, accidit, quod vir crimen læsæ Majestatis commisit; propter quod condemnatus per sententiam fuit ad pœnam mortis, & publicationis bonorum: ipse autem absens erat, & tamquam absens contra illum fuerat processus factus, dubitatum fuit an mulier possit statim dotem suam repetere, virtute illius pactionis?

Dicebam, præmittendo, quod uno de tribus modis apud nos consueverunt matrimonia & dotes fieri, vel juxta legem regni, quæ disponit ut nulla pactione interveniente, censentur bona inter virum & uxorem communicata. Ord. lib. 4. tit. 7. in principio, & lib. 2. tit. 47. §. 1.

Vel secundo modo per dotem & arrhas: mulier namque dotem affert, maritus promittit arrhas, quæ non possunt excedere tertiam partem dotis datæ. Ord. lib. 4. tit. 9. §. ultim. & diximus supra dec. 177.

Vel tertio modo, possunt matrimonia celebrari, intervenientibus quibuscumque pactionibus inter partes factis à principio: & hæc pactiones servandæ sunt. Ord. d. tit. 7. & tit. 9. lib. 4. & bona hæc, quæ hoc modo, & altero secundo, mulier secum affert, dotalia dicuntur. Bart. in l. si constante. num. 77. D. soluto matrimonio.

Hic sic, ad quæstionem deveniendo, quæ erat, An mulier in casu proposito dotem repetere possit. Bart. in d. l. si constante. qu. 5. n. 8. & communis, tenet, quod sic: sequitur, & refert Gigas de crimine læsæ Majestatis. f. 361. Boslius in pract. tit. de publicatione bonorum.

bonorum. num. 73. Clarus in pract. quæst. 78. num. 15. & est pro hac parte text. & ibi glossa, & DD. in l. i. c. de repud.

- 5 Adeò, ut si ob aliquod crimen veniat devastanda domus dotalis, seu destruenda propter delictum viri, possit mulier illam repetere, & fiscus non poterit dicere, volo pretium solvere, & quòd destruetur. Molin. de primogen. 2. part. cap. ultim. num. 75. Clarus in pract. fol. 371. statuto 8. num. 4. & sic intelligenda est Ordinatio lib. 5. tit. 3. §. 19. in illis verbis, *avera todo o seu dote*, id est, statim, arrhas autem, quo casu, per scripturam illas vicerit.
- 6 Quod & procedit, casu quo maritus bannitus fuerit, etiam non publicatis bonis: nam & tunc mulier poterit dotem repetere. Bart. d. l. si constante. num. 20. ratio est, quia tali casu verum est dicere, quòd vir vergit ad inopiam, & ita locus est dispositioni text. in d. l. si constante, & in l. ubi adhuc. C. de jure dotium. hoc tamen casu mulier viro absenti alimenta tenetur præstare, & filiis. Bart. d. num. 20. facit text. in d. l. ubi adhuc. & ibi Bald. num. 41. Angel. de maleficiis, verb. & ejus bona. num. 10. Gigas ubi supra. quæst. 22. fol. 363.
- 7 Non his adverstatur, quòd si maritus est absens, & ejus bona sunt publicata, fiscus habet bona, quæ ipse maritus habere debuerat, quoad ille vivit. text. in l. Status. §. Cornelio Felici. D. de jure fisci. l. Imperatores. ubi Bart. D. de fideicommissariis libert. Ordin. lib. 5. tit. 3. §. 14.
- 8 Respondetur namque, quòd dotes uxorum nullo modo publicantur. l. quisquis. §. uxores. C. ad l. Iuliam majest. qui text. singularis est in hac materia. l. si quis posthac C. de bonis proscrip. & d. l. Status. §. Cornelio. & dicta Ordinatio §. 14. loquitur quando aliqua bona publicantur, in quibus alicui jus in futurum acquiri debet: hoc namque casu, quoad delinquens vivit, non illi fit injuria, si fiscus in ejus vita bona occupet. At in nostro casu, jus est quæsitum mulieri de præsentis: unde non possunt ejus bona dotalia ullo modo, nec per momentum confiscari, est doctrina Bartoli singularis in l. si quis in tantum. num. 12. C. unde vi. quam sic intelligit Ruin. in l. filiusfamilias. §. divi. colum. 21. & ibi Alciat. num. 5. D. de legat. 1. & hoc optima ratione constitutum est, quia hoc medio tempore, ille tertius, cui jus non est quæsitum, non potest prætere aliquid præjudicium, si fiscus percipiat eam utilitatem, quam delinquens ex dictis bonis habiturus esset, arg. l. peto. §. pradium. D. de legat. 2. & hæc est diversitatis ratio, quæ est inter casum d. §. Cornelio, & d. §. 14. Ordinationis nostræ, ad casum dotis mulieris, quam ipsa repetere potest, etiam si maritus vivat.
- 9 Et pro hac parte facit text. in d. l. si quis posthac. C. de bonis proscrip. ibi, *mox*. quem text. ad hoc extollit Palat. in repetit. rubrica. §. 66. à num. 19. Gomez l. 77. & 78. Tauri. & ante eos Bald. Novel. de dot. 7. p. privileg. 17. natura enim dictionis, *mox*, hæc est, de qua per Avendanum, de exequend. mand. d. 1. p. cap. 16. num. 1. & hæc est communis Doctorum opinio, ut per Doctores supra relatos, qui omnes inquirunt dotem confestim uxori reddendam esse: ergo nullo modo apud fiscum nec in vita mariti remanere debet. Simanch. de Cathol. institut. tit. de bonis hæreticorum num. 66. Et sic pro hac parte

te judicatum fuit, ut mulieri statim dos redderetur, anno 1590. in mense Octobris.

Illud nota etiam ad materiam, quòd mulier cuius vir crimen læsæ Majestatis commisit, manet in possessione bonorum, & sic dotis suæ; quòd apud nos dicitur, *em posse, & cabeça de casal*. & ipsam dotem retinere potest sibi, ut tradit Angel. de Perusio in d. l. si quis posthac. Angel. de maleficiis. d. verbo, Et ejus bona. num. 10. Palatius in repetit. rubrica. §. 66. ubi latè, quòd conducit ad Ordin. lib. 4. tit. 7. §. 1.

## DECISIO CLXXXIV.

Quando leges noviter latæ, & promulgatæ in nostro regno, obligent.

## SUMMÆ.

1. Leges noviter late in Cancellaria maxima ligant in partibus, transactis tribus mensibus à die publicationis; in Curia verò, transactis octo diebus.
2. Ad hoc, ut lex subditos liget, & pœnis in ea contentis coerceri possint, eorum receptio de essentia non requiritur.
3. Elapso termino prædicto, post legis promulgationem, non admittitur probatio ignorantia legis; nisi ignorantia sit talis, quòd aliquis adhibita diligentia solita adhiberi, scire non potuit legem. Quod tamen limitatur, nisi lex ob aliquas causas ignorantes etiam comprehendat. Ibidem.
4. Ignorantia legis, quæ communiter scitur, à pœnis in ea contentis non excusat.
5. Scientia legis jam promulgatæ in dubio præsumitur: & ad probandam ignorantiam non sufficit juramentum partis, sed requiritur probatio ordinaria.
6. Ex legibus abrogatis non potest sumi argumentum ad decisionem causarum. Leges noviter compilatæ, sine emendatione, additione seu declaratione antiquarum, nova non dicuntur, sed antiquæ. Ibidem.

Circa hanc materiam habemus Ordin. lib. 1. tit. 1. §. 8. incipit, *Item ao Chanceller mor pertença publicar as ditas leis*. per quam legem deciditur id quòd in jure satis controversum erat; disponitur namque quòd post publicationem legum factam in Cancellaria maxima, transactis tribus mensibus, ligent in partibus, hoc est, *nas comarcas*. in Curia verò transactis octo diebus à die publicationis, de qua materia est text. in *Authent. ut nova constitutiones. collat. 5.* in quo post lapsum duorum mensium statim leges ligabant, & habebant plenum effectum. tradit Abb. in cap. 2. de constitut. post glossam in cap. 1. de postulat. pralat. Rebuff. in l. unica, ultimo notabili. C. de sententiis quæ pro eo quòd interest, in primo tom. ad l. Gallie. in proæmio. Morla in quæstionibus suis. 1. tom. quæst. 5. num. 9.

Et ad ligandum non est necessaria subditorum receptio: cum enim absque hac receptione, lex dicatur, sequitur non esse talem receptionem necessariam ad essentiam illius, tradunt DD. in dict. ca. 2. de constitut. Navar. in Manual. cap. 27. num. 39. & ideo quamvis

quamvis subditi novam legem justam acceptare reculent, invito legislatore; tamen ea obligantur, & pœnis in ea contentis justissime coerceri poterunt.

3 Videndum tamen est breviter, utrum elapso hoc termino, post promulgationem contentam in hac Ordinatione admittatur probatio ignorantiae legis. Et dicendum, quod si ignorantia est talis, quod scilicet aliquis adhibita diligentia solita adhiberi, scire non potuit legem, tunc admittitur ignorantiae probatio, & excusatur à pœnis in lege contentis, nisi lex ob aliquas causas ignorantes etiam comprehendat, tenet gloss. *in cap. 2. de constitut. & est communis*, ut per Andream ab Exea, *ibi*, num. 64. Doctores per text. *ibi in cap. 2. de constitut. lib. 6. & facit text. in cap. proposuisti. 82. distinct. Castro lib. 2. de lege pœnali. cap. 14.*

4 Quando verò communiter lex scitur, non excusatur; quia ignorantia tunc est invincibilis, crassa, & supina, ut est text. *in cap. ult. qui matrimonium accusare possunt. DD. in cap. ignorantia. de regul. jur. Navarr. in Manual. cap. 23. num. 44.*

5 Scientia autem hoc casu in dubio praesumitur, & ad probandam ignorantiam non sufficit juramentum ipsius partis, sed requiritur probatio ordinaria, ut declarat Menoch. *de arbitrariis. casu 186. à numer. 2.* licet in aliquibus casibus juramentum partis admittatur, ut *in cap. Pastoralis. de exceptionibus. Ordin. lib. 3. tit. 38. §. 1. cum aliis. & vide Bart. de materia, in l. omnes populi. D. de justitia, & jure.*

6 Et notandum est ad complementum hujus materiae, quod ex legibus abrogatis non potest sumi argumentum ad decisionem causarum. gloss. & DD. *in l. 1. verb. necesse C. de Iustiniانو. C. confirmando & in l. 1. C. de Latina libert. tollenda.* Quando autem leges noviter compilantur, ut factum fuit modò in regno nostro, & ponuntur eademmet leges, quae antea latae fuerant, sine emendatione, aut additione, seu declaratione antiquarum, novae non dicuntur, sed antiquae, cum in eis nihil mutetur; & debent judicari tamquam latae & promulgatae eodemmet tempore, quo latae & promulgatae fuerant ante compilationem arg. eorum, quae tradit gloss. *verb. sanctionib. in Clement. 2. in fin. de vita, & honestate clericorum. Felin. in cap. cum ex officij. numer. 21. de rescriptis. Menoch. videndus de recuperanda possess. remed. 6. à num. 4. cum sequentibus.* quod notandum maximè est; ad multa enim conducit.

### DECISIO CLXXXV.

An confiscatis bonis patris, confiscetur ususfructus quem habet in bonis adventitiis filij?

#### S U M M A.

1. Confiscatis bonis patris, non confiscatur ususfructus quem habet in bonis adventitiis filij.

1 Hoc dubium vidi de facto: Quidam crimen læsæ Majestatis commisit, propter quod condemnatus fuit pœna mortis, & publicationis bo-

norum: habebat ususfructum in bonis filiorum, quae eis obveniant in legitima eorum, morte matris: postea is condemnatus impetravit à Rege remissionem, & ne executio pœnae mortis fieret. Quaesitum fuit, an in vita ejus, ususfructus, quem habebat in bonis filiorum, ad fiscum pertineret? Conclusum fuit, quod non, ex l. 2. & ex l. si patre. C. de sentent. pass. & restitut. Boerius decis. 7. Gigas de crimine læsæ majestatis. in tit. de pœnis committent. crimen læsæ majestatis. qu. 19. Gomez 2. tom. tit. de servit. nu. 26. Symanch. de Catholic. instit. q. 9. n. 81. qui omnes de hac quaestione agunt. Octavian. decis. 94. per totam, & num. 32. & referunt plures alios DD. de ea tractantes, quos videas, & novissimè Lufitanum Gasparem Pegado in lib. quaestionum fiscalium. quest. 6. num. 2. & 3. qui alios refert.

### DECISIO CLXXXVI.

Per quae verba libertas data censeatur,

#### S U M M A.

1. Libertatis datio non inducitur ex verbis enuntiativis, sed tantum ex verbis dispositivis. Verba adulationis, vel jactantiae, non inducant dispositionem. Ibidem.
2. Promissio, à domino facta servo, illum non obligat. Sicut libertas semel praestita revocari non potest; ita nec per ea, quae domini, non manumittendi causa, cum servis suis agunt, censeatur data libertas. Ibidem.
3. Servus à domino habitus pro derelicto, libertatem consequitur, si illico seipsum occupat, & in libertatem afferit, gerendo se pro libero. Hoc tamen intelligendum est de servo sano: secus in languente de domo ejecto, qui statim fit liber. Ibidem, & num. 7.
4. Nemo praesumitur in dubio servum suum habere pro derelicto.
5. Projiciens in mare librum apertum, seu merces male compositas, alias perituras, videtur eas habere pro derelicto.
6. Idem dicendum est si quis ancilla sua necessaria alimenta denegat, & jubeat illam alij tradi. Idem erit, si dominus servum languentem de domo publice ejecerit, & ei alimenta, simul & medicamenta denegaverit, nec illum curare procuraverit.
8. Servus in carceribus pro capitali crimine captus, non videtur haberi pro derelicto, licet dominus illum non defendat.
9. Adsignatur ratio differentia inter servum languentem, & in carceribus captum.

Hæc quaestio solet incidere sæpè in senatu, circa intellectum Ordin. lib. 4. tit. 55. Si testator adhuc vivens non verbis dispositivis, sed tantum enuntiativis, & ex urbanitate, vel ex adulatione potius, quam ex voluntate prolatis, libertatem donet, inducatur datio libertatis: puta cum dixit se pro libera habere ancillam, & liberam post mortem suam relicturam (si liceat ei testari eo tempore, & cum voce mori.) Et responsum est in senatu, libertatem datam

datam non videri. Malè enim agitur cum dominis servorum [ ut aliàs dicit Imperator ] si tanta servis prærogativa deferatur, ut ex verbis obiter prolatis, & absque ulla manumittendi voluntate, juri suo detrahere intelligantur, quare libertas competere non potest, nisi ex verbis vulgaribus, & quibus evidenter dantis voluntas exprimat. *l. libertates. D. de fideicommissariis libertatibus.* verba enim adulationis, vel jactantiæ non inducunt dispositionem. text. ubi *DD. in l. generaliter. D. de usufruct. l. obligationem substantia. §. 1. D. de actionibus, & obligat. facit l. 1.* ubi Bart. *D. de testam.*

2. Præsertim quia nec promissio, à domino facta servo, illum obligat. *l. interpositas. in fin. C. de transfactionibus. l. cum affirmes. C. de liberali causa,* unde multò minùs obligant verba enuntiativa in absentia servi prolata. latè *Dec. conf. 488. numer. 10. cum sequenti.* maximè ubi dominus nec amicos ad id convocavit. *l. 1. §. sancimus, cum sequenti. C. de Latina libertate tollenda.* nec aliter manumittendi voluntatem propalaverit. Sicut enim æquum est, libertatem semel præstitam non revocari, sic per ea, quæ non manumittendi causa domini cum servis suis agunt, illorum amittere dominium non debent, *l. sicut semel. C. de liberali causa,* adde gloss. *l. si privatus, verb. voluntas. D. qui & à quibus.* ubi tenet, libertatem non censi datam per verba enuntiativa.
3. Et ad materiam notandum est, quòd servus à domino habitus pro derelicto, solet etiam consequi libertatem: quod tamen intelligendum est, si ipse priùs seipsum occupat, & in libertatem asserit, gerendo se pro libero, ex glossa *1. & ibi Salicetus in l. 1. sed scimus. C. de Latina libertate tollenda.* nam si vel prior dominus, vel alius illum priùs occupet, fit priùs occupantis, ut tenet illa glossa, Salicet, & alij ibi, quod intelligunt de servo sano non infirmo: aliud enim in languente, qui statim fit liber, ut inferius dicemus.
4. Notandum autem est, quòd in dubio, non præsumitur habuisse servum pro derelicto, quia nemo præsumitur jactare suum, gloss. *verb. plerumque. l. falsus. §. si jactu. D. de furtis.* unde oportet hoc dignoscere ex modo jactandi, aut derelinquendi, ut docuit gloss. *in l. qui levanda. D. ad l. Rhodiam. de jactu. & glossa l. 1. §. res autem. D. eod. tit.*
5. Dignoscitur autem ex eo, quòd librum apertum projecit in mare, *dict. glossa 1. & dict. glossa plerumque.* Item ex eo, quòd merces malè compositas, aliàs perituras, etiam in mare jactavit. argum. text. *dict. Paragrapho si jactum.* ibi, cum sciat periturum. & ibi glossa.
6. Item quia ancillam, cui denegat necessaria alimenta, mandat alij tradi, quia his duobus concurrentibus, videtur illam habere pro derelicto, ut notat Bart. per illum text. *in l. final. D. pro derelicto,* & ibi sequitur Paul. non tamen sufficit sola alimentorum denegatio, secundum glossam, *ibi. & Salicet. in d. §. sed scimus, in fin. C. de Latina libert. tollend. licet in d. l. fin.* aliud sentiat Ang. sicuti nec sufficit, si tantum mandat alij tradi, secundum Paulum, *ibidem.*
7. Item si languentem, & infirmum servum à domo publicè expulit, & ei omnino alimenta simul, & medicamenta denegavit, nec illum curari procuravit: per hoc enim illum intelligitur habuisse

Cabedo Pars 1.

pro derelicto, ut statim fiat liber, ita, ut nec jus patronatus illius amplius dominus habeat, text. est notabilis *in l. 1. §. sed scimus.* ubi glossa, & Salicetus, *C. de Latina libertate tollend. & glossa dict. l. fin. D. pro derelicto. & in Authent. de nuptiis. §. & multò potius collat. 4.* ubi & Bart.

Non tamen videtur habere pro derelicto servum, quem pro capitali causa, captum, & occupatum in carceribus dimissum non defendit; nam si is postea est absolutus, non fit liber, sed ad eiusdem domini potestatem, ac dominium revertitur. text. *in l. servus, D. de statu hominum. l. sciendum. D. de public. judic.*

Sed quare hoc casu non videatur habere pro derelicto, quemadmodum ubi languentem dimisit, quærit Salicetus *in dict. §. sed scimus?* & responderet, quòd in illo priori casu servi languentis, aliquid fecit dominus, propter quod illum habuit pro derelicto; in alio verò nihil fecit, sed facere dimisit, omittendo servum iudicio fortunæ. Quod mihi non satisfacit, quia id est quod quærimus, nempe, quid fecerit dominus in uno casu quod non fecit in alio; utroque enim casu videtur omisisse, hinc servi defensionem, illic curationem: nisi dicas illic expulisse servum de domo, hinc non, vel dicerem, quòd dominus non dicitur, quòd servo incarcerato alimenta denegavit, sed tantum juris defensionem, hoc tantum intendens, ut fieret justitia. Quid enim si servus interfecit domini consanguineum, vel amicum, & ideò illum noluit defendere, vel quia ignoravit materiam defensionis, nempe, vel casu, vel in sui necessariam defensionem occidisse? Certè nihil dominus hic impium facit, aut iniquum, propter quod debeat judicari habuisse servum pro derelicto; quod sanè dicendum, ubi erga languentem servum ita inhumaniter & crudeliter se gessit, ut omni remedio destitutum, non tantum è domo expulit, sed & alimenta, & medicamenta ei denegavit, quòd videtur considerasse *dict. l. 1. dict. §. sed scimus.*

## DECISIO CLXXXVII.

An conventiones, quas *avenças* vocant, possit facere locator gabellarum, in ultimo anno contractus, in præjudicium locatoris sequentium annorum?

### S U M M Æ.

1. Proponitur casus hujus decisionis.
2. Conventiones hæ sunt per provisorum basilicæ mercium cum mercatoribus, quæ presentibus illis & scriba, in libro publico scribuntur.
3. Referuntur verba foralis circa has conventiones faciendas.
4. Quod evidenter probari non potest, probatur per conjecturas, & minor probatio sufficit. Dolus, quando re ipsa inest, non indiget probatione. *Ibidem.*
5. Quando dolus alterius est causa immediata acquisitionis alicujus, nocet ei, cui acquisitum fuit.
6. Quid decretum fuerit in casu hujus decisionis.

Contigit in facto, quòd quidam contraxerat cum officialibus Regiis gabellas basilicæ

P magnæ

magnæ gabellarum civitatis Olyssipponensis *Alfandega* vocata, per sex annos, qui incipiebant mense Ianuarij de 1583. & finiebantur in fine mensis Decembris, anni 1588. conditione hac:

*De com condição, qui pertençaõ à elle contrator os direitos das avenças, que se fiz erem no derradeiro anno dos seis deste contrato, posto que entrem no anno seguinte de quinhentos e oytenta e nove, assim como pertencem pello contrato passado aos contratadores delle, as avenças que fiz erão no tempo de seu contrato que entrarem neste anno que vem de quinhentos e oytenta etres.*

Fecit locator in duobus ultimis mensibus sui contractus multas conventiones, seu *avenças*, quæ summam faciebant de 237. contos, & plus aliquid. Contendebat locator prædictarum gabellarum sequentium annorum, & procurator Regius, qui illi assistens fuit, prædictas conventiones in fraudem sequentis contractus factas fuisse, eò quod fuissent factæ in excessiva quantitate, & per collusionem cum spe quietationis & dilationis circa solutionem, & quod pro parte locatoris mercatores rogabantur, & importunis precibus instabant sollicitatores locatoris, ut prædictas conventiones facerent. Allegabatur etiam contra locatorem, articulus gabellarum, vulgo, *das sizas, cap. 25. Paragrapho 1.* qui prohibet publicanis facere conventiones in ultimis duobus mensibus contractus, & ratio prædicti articuli generalis est, ut ex illius verbis constat,

2 Pro parte locatoris allegabatur, quod ipse prædictas conventiones non fecerat, imò fiunt, & solent fieri, & factæ illo tempore fuerunt per provisorum dictæ basilicæ, seu *da Alfandega*, cum mercatoribus, & scribuntur in libro, præsentibus illis & scriba; qui liber publicam auctoritatem habet, juxta verba foralis: & sic cum ipse locator prædictas conventiones, seu *avenças*, non fecisset ei imputari debent, & in confirmationem prædictorum, allegabat pro se *cap 54. foralis.* quod *cap. loquitur de his conventionibus, seu avençis in hunc modum:*

3 *Todos os mercadores, & pessoas que forem naturais destes reinos, quando dos de Castella quizerem trazer pellos portos da terra a esta Cidade de Lisboa as ditas mercadorias de panos finos, & sedas, antes que nelles as metano farão primeiro avença & concerto com o provedor è officiais da alfandega, na mesa della, da contia que quizerem trazer, & pera se as ditas avenças fazerem haver a dita mesa hum livro, &c.*

Ecce quomodo conventiones hæ fiunt per provisorum dictæ basilicæ, seu *da Alfandega*, & in mensa & in libro publico: ergo locatori non debet aliquid circa eas imputari.

4 Cum tamen probarentur conclusiones, & fraudes, & importunitates, quæ factæ fuerunt per sollicitatores locatoris, & daretur magna & excessiva quantitas conventionum, & quæ numquam antea visa fuerat, nec facta per præcedentes locatores; quæ probatio sufficiens visa fuit, attento eo, quod hoc occultè fiebat, quo casu minor requiritur probatio, *l. desertorem. Paragrapho à barbaris. D. de re militari. l. dolus. C. de dolo*, & fraudes intervenisse difficiliter probatur. *Aymon consilio. 143. numero*

*ro 12.* & etiam dolus. *Boërius decisio. 101. numero 3. & 4. Menoch. de arbitrar. libro 2. centur. 2. casu 116. numero 13. & numero 11.* Quinimò fraus reipsa intervenisse probabatur, ex magna, & excessiva quantitate conventionum, ut diximus, & dolus reipsa inerat, *l. si quis cum aliter. D. de verborum.* contra locatorem pronuntiatum fuit.

Et adducebatur in confirmationem sententiæ, text. qui videtur casum decidere, *in l. & hac distinctio. Paragrapho cum fundum. D. de locat. ubi Salicet. in specie, & ante eum Paul. de Castro, & Bart. notant. tradunt etiam Doctores, ubi Cumanus in l. penult. D. de usufruct. legat. & ibi bona gloss. Bald. in l. si pater. C. de usufruct. Hippolyt. in rubr. num. 88. D. de fideiussor. & pro hac parte est decis. ferè in terminis senatus Neapolitani, Vincentij de Franchis decis. 96. facit *Ordinat. libro 2. titul. 18. §. penultimo.**

Non obstat argumentum pro locatore factum, quod ad ipsum non pertinebat conventiones facere, sed ad provisorum *da Alfandega*, ex verbis foralis supra relatis.

Respondemus namque id verum esse, at locator per suos sollicitatores & agentes, sollicitavit mercatores, ut facerent tales conventiones, allekti spe quietationis in parte, & dilationis; idque probabatur testibus, quod poterat fieri, cum simulationem hæc præferrent, *Ordin. libro 3. tit. 45. §. ultim.* & sic ex parte illius, & suorum agentium fraus, & dolus, & conclusio intervenit, quam provisor *da Alfandega*, & scriba ignorabant, & necessariò scribere eas conventiones tenebantur in libro, in quo officium suum rectè gerebant.

Et quamvis ex parte agentium, is dolus, & fraus interveniret, & non ex parte locatoris, quod credendum non erat, adhuc nocet locatori, nam regula juris est, quod quando dolus alterius est causa immediata acquisitionis alicujus, nocet ei, cui acquisitum fuit. *l. si procurator. D. de doli mali, & met. exceptione. l. 1. §. si quis tamen. & §. si filius D. de vi, & vi armata.* tradit Iacobus Menoch. *de arbitrar. lib. 2. cent. 4. casu 395. num. 12.* ut hoc casu evenerat.

Et sic contra locatorem sententia lata fuit, in favorem locatoris sequentium annorum, & procuratoris Regij: relicta fuit tamen pars quædam locatori antiquo, juxta quod præcedentes locatores facere consueverant, secundum temporis & rerum statum, quæ per iudices arbitrata fuit in mense Augusti, anni 1590. Scriba Ferdinando Lopez.

## DECISIO CLXXXVIII.

### De tributo jugationis.

#### S U M M Æ.

1. Jugatio unde dicatur, remissivè.
2. Iura Regalia solvuntur in hoc regno, absque deductione impensarum, sicut solvitur decima debita Deo, & ministris Ecclesiarum.
3. A jugationis tributo excusatur terra, ex qua pensio Regi solvitur.

4. Quo d

4. Quod intelligendum est, quando per ipsum emphyteutam, qui pensionem solvit, terra arantur, & colliguntur; secus si eas seminandas alteri tradiderit.
5. Intelligitur Ordinatio lib. 2. tit. 16. §. 33.
6. Terra ex qua pensio solvitur alicui persona privata, semper, & omni casu, jugationis tributum solvit.
7. An privilegium monasterij Alcobatia, per quod agricola prædicti monasterij excusantur a tributo jugationis, comprehendat etiam emphyteutam, cui prædium monasterium concessit in emphyteusim pro certo canone, & pensione in pecunia.
8. Monasterium prædictum non est simpliciter privilegiatum, sed limitatè in terris, quas eius coloni colunt propriis bobus, & pro certa pensione, & certa quota fructuum.
9. Verba prædicti privilegij non comprehendunt emphyteutam, qui canonem emphyteuticum in pecunia solvit, sed solum colonos partiaros, qui pro certa quota fructuum prædia colunt.
10. Privilegia sunt stricti juris, & non debent ampliari.

**D**E hoc tributo est lex Regia lib. 2. tit. 16. unde autem jugatio dicatur videndus est Marcus Varro in lib. de re rustica. cap. 10. & multa utilia in materia congerit Alvarus Vaz Lusitanus de jure emphyt. q. 17. num. 7.

2. Et notandum est, quòd in hoc regno consuetudine obtinuit, quòd jura Regalia solvantur, absque deductione impensarum, sicut decima debita Deo, & ministris Ecclesiarum. ita Paul. in l. fructus. D. solut. matrim. Bald. in l. si à domino. §. ult. D. de petitione hereditatis. Afflict. in constit. regni Sicilia. cap. quanto. q. 9. & dec. 252.
3. Vidi tamen in senatu dubitatum, an jugatio debeatur de terra, quæ pensionem solvit Regi, vel personis privatis? Et quidem si Regi solvit pensionem, excusatur à jugatione, arg. Ord. d. tit. 16. §. 33. ibi, por que por os ditos tributos, & c. tradit Bart. in l. privata. n. 2. C. de excus. muner. lib. 10. & in l. 1. C. de imponenda lucrat. descript. eod. lib. nemo enim duplici onere gravatur. l. naves onustæ. D. ad l. Rhodiam. de jact. l. Titia. §. qui in vita D. de leg. 2. & una & eadem res alicui oneri subjecta, non potest alio onere gravari, seu onerari extra ordinem text. in l. unica. C. de opera a collatoribus exigantur. lib. 10. & in l. pen. C. de excusat. muner. ubi Bart. & Platea eod. lib. idem Plat. in l. 1. col. fin. C. de annon. & tribut. eodem lib.

4. Quod intelligitur, quando terræ arantur, & colliguntur per eandem met personam emphyteutam, quæ pensionem solvit: si autem ipse emphyteuta eas seminandas alteri tradiderit, ipse qui seminavit jugationis tributum solvit Regi, emphyteuta autem pensionem ad quam tenetur: & quamvis hæc distinctio non carebat dubio, quia jugatio onus est reale, & solvitur non ratione personæ, sed rei, id est, prædij;

5. Tamen sic judicatum semper fuit, ex verbis d. §. 33. ibi, os lauradores que em elles laurarem não pagam jugada algũa, loquitur enim cum personis.

6. Si autem pensio ex terra solvitur personæ privatae, semper & omni casu tributum jugationis Regi

Cabedo Pars I.

solvendum est. Ita judicatum fuit in processu Alvari Fernandez de Alenquer cum procuratore Regio, anno 1591, in mense Julij; & scribæ antiqui testificati sunt ita solere fieri antiqua consuetudine, & multoties judicatum.

Fuit etiam in senatu quæstio talis: Monasterium Alcobatiæ habens privilegium à Rege Ferdinando, que das terras que seus lauradores laurão com seus bois per sua rapãa não paguem jugada. Contendebat monasterium non debere solvi tributum istud jugationis à quodam suo emphyteuta, cui prædium monasterium concesserat in emphyteusim ad tres vitas, & solvebat monasterio pensionem singulis annis trium mil. regal. & volebat emphyteuta se excusare per Ordinationem supradictam, §. 10. juncto §. 14. ubi privilegiati excusantur ab hoc tributo, ob privilegium directo domino competens.

Tamen contra monasterium, & emphyteutam 8 judicatum fuit: monasterium namque non erat simpliciter privilegiatum, sed limitatè, in terris nempe, quas eius coloni propriis bobus colerent pro certa pensione, & certa quota fructuum, ut dicit hæc Ordinatio. Cum ergo emphyteuta monasterij non solveret talem pensionem, imò canonem emphyteuticum trium mil. regal. qui differt longè à pensione certa, & quota fructuum, non comprehendunt hunc talem emphyteutam verba privilegij.

Item, quia privilegium hoc conceditur colono, 9 qui propriis bobus colit: emphyteuta autem in præfenti casu erat nobilis vir, & non per se, sed per colonos, quibus fundos locabat, agriculturam exercebat, nec prædicti coloni bobus illius emphyteutæ, sed suis fundos colebant: ergo privilegij verba cum non comprehendunt.

Item, quia licet ipse emphyteuta bobus suis coleret per servos suos, ac famulos, adhuc privilegio isto gaudere non poterat, quia non colebat pro certa quota fructuum, ut colonus partiarus, prout requirit notabiliter d. Ordin. §. 14. ibi, por rasão de certa quota de frutos. sed nummis canonem solvebat, quo casu privilegium locum non habet, ut colligitur ex verbis illius, & satis sentit Ordinatio. d. §. 10. juncto §. 10.

Item, privilegia sunt stricti juris, nec sunt amplianda, cap. sanè. ubi DD. de privileg. cum aliis. Et ita, ut dixi, judicatum fuit, & videndus est ad similem casum processus, inter Dn. Nuno Manuel. contra Alfonsum Henriques de Gusmão, Scriba Petro Almirante, anno 1581.

DECISIO CLXXXIX.

De exactiõne decimæ ratione venditionis rei immobilis factæ clerico.

S U M M Æ.

1. Clericus non tenetur solvere gabellam ex emptiõne adium, quas emit ad suum usum.
2. Clericus tenetur solvere gabellam ex emptiõne adium, quas emit ad locandum, licet redditus convertat in proprios usus.

Intelligitur Extravag. p. 2. l. 12. tit. 3. Ibid.

3. Clericus, qui emit aedes, ut in illis reponeret lagenas vini, seu frumentum, ad suum usum emisse intelligitur, & a solutione gabellæ est immunus.

**P** Er Extravag. part. 5. libr. 12. titul. 3. declarati sunt casus, in quibus clerici à solutione decimæ venditionis immunes sunt, & gabellarum, & inquit præd. Extravagans, quod non solvet de emptione ædium, quas emerit ad suum usum, hisce verbis, *salvo se fossent casus pera sua morada, & uso.*

Occurrit casus inter Iacobum Pirriz clericum ex oppido de Abrantes, & publicanum gabellarum, quas vocant, *das correntes*, anno 1591. super emptione ædium, quam fecerat præd. Iacobus Pirriz clericus, qui contendebat non debere solvere per præd. Extravag. gabellam ex tali emptione.

2 Tamen iudicatum fuit, quod solveret, quia probabatur non ad suum usum aedes emisse, sed, ut eas locaret, & redditus perciperet, quibus aleretur, & ipse contendebat ex eo, quia redditus convertebat in usus suos, immunem esse ex verbis d. legis: quæ tamen intelligitur, ut emens utatur ædibus, id est, in illis degat, & moretur, & illa verba, & *outros bens de raiz, &c.* separanda sunt ab emptione ædium, ut in illis intelligatur clausula, *que segundo a qualidade de sua pessoa, &c.* nam in ædibus necessarium est, ut emat ad suum proprium usum: & ita decisum fuit. Quod & antea in simili casu decisum etiam fuerat, ut constitit per sententiam quamdam appensam per senatores antiquos prolatam, & fuit scriba processus Simon Lopez jam vita functus.

3 Illud autem notandum est, quod in suum usum intelligitur, quando emit aedes, ut in illis reponeret lagenas vini, *adega*, vulgo, seu cella vinaria, vel frumentum, *eelleiro*, & similia: hæc enim de suo usu sunt, & ex emptione talium ædium immunis erit clericus à solutione gabellæ, quod & iudicatum ita fuit: & vide Hispanum Lafarte de *decima vendit. cap. 19. numer. 81.* ultra Fabrum in *brevariario super C. titul. de victigal. & commissu.*

### DECISIO CXC.

An impetratio revisionis ab aliqua ex partibus, profit Regio procuratori, qui in ea causa oppositor fuit?

#### S U M M A.

1. Impetratio revisionis ab aliqua ex partibus solum prodest impetranti, & in favorem tertij, qui in eadem causa oppositor fuit, sententia ferri non potest, licet ex actis constet de justitia illius.

**I** N quadam causa procurator Regius oppositor fuit, sententiam contra se reportavit: postea illa altera pars, contra quam lata etiam fuit sententia, revisionem impetravit. Procurator Regius non petiit revisionem, sed ex actis constabat de justitia illius. Dubitarunt senatores, an possint pronuntiare in favorem Regij procuratoris, qui non impetravit revisionem; dicebatur, quod non, quia supplicatio solum proderit impetranti. Avend. de

secunda supplicatione, numer. 14. facit Ordin. lib. 3. titul. 77. §. 18. non enim is casus erat de iis, de quibus loquitur l. ultim. C. de appell. Ordin. lib. 3. tit. 44. & sic iudicatum fuit.

### DECISIO CXCI.

De intellectu Ordinationis Regiæ libr. 5. titul. 112. §. 2.

#### S U M M A.

1. Dimidietas, quæ per hanc Ordinationem applicatur ducibus, an intelligatur etiam in illis, qui non commercij causa, sed cum classe a Rege mittuntur adversus piratas, ut maria tuta reddant.
2. Illi, qui ex officio tenentur defendere maria, non debetur præmium.
3. Contrarium fuit bis in senatu iudicatum.
4. Decretum etiam fuit in senatu pro altera parte, quod tamen decretum non placet.
5. Responsio, & intellectus ad l. Barsatoram. C. de fideiussor.

**D** ubium maximum fuit in senatu agitatum, circa hanc Ordinationem in §. 2. in illis verbis: *a todo o capitão, piloto, mestre, &c. & ibi, & da quello que aos taes for tomado nos ditos navios, & julgado por perdido pera nos averão aquelles que assim tomarem ameta-de.* Controversum fuit, an hæc dimidietas, quæ per hanc Ordinationem applicatur duci navis, intelligatur de ducibus, qui à Rege mittuntur adversus piratas, & ut maria tuta reddant, cum classe navigiorum armata.

Dubium faciebat, quod hæc Ordinatio solum loquitur in ducibus navigiorum, qui ad partes Guineæ eunt commercij causa, & non in his, qui mittuntur à Rege cum classe ad defensionem maris, & non ad commerciandum; nam ei, qui ex officio tenentur defendere maria, non debetur præmium, arg. text. ubi notatur in l. barsatoram. C. de fideiussoribus. & est Ordin. in libr. 2. tit. 35. §. 21. quæ hoc probat, ibi, *posto que seia official.*

Tamen iudicatum fuit pertinere hanc dimidiam ad hos classis duces, die 6. Julij anno 1591. in processu Antonij de Barros de Sampaio, cum Regio procuratore, qui Anton. dux fuerat missus ad maria Castellæ S. Georgij da Mina, cum tremibus, Scriba Ferdinando Lopez. Idem etiam iudicatum fuit in processu Ignatij Roiz Veloso.

Vidi tamen contrarium iudicatum in processu quodam Iacobi Mendes dos Reis, eodem scriba Ferdinando Lopez. Sed mihi placent altera illa duo arresta, seu sententiæ senatus; major enim ratio datur & militat in his ducibus classium, quàm in aliis navigiorum commercij.

Et ad argumentum deductum ex l. barsatoram. & quæ ibi notantur, respondetur, quod loquitur in præmio proposito illis, qui delinquentes apprehenderunt; illud enim non debetur officiali, cui aliàs ex officio competit delinquentes capere, neque intentio iudicis præmium proponentis illos comprehendit, nisi lex exprimat contrarium, ut in d. Ordin.



Ordin. lib. 2. tit. 35. §. 21. At nos sumus in casu, quo hæc dimidia pars per legem applicatur, & comprehendit hos, maximè ex verbis prædictæ legis, ibi, & *bem asin à outra qualquer gente.* & sic pro hac parte judicarem, quando casus occurreret, ut bis judicatum fuit in senatu.

DECISIO CXCII.

De restitutione gratiæ, facta per Principem illi qui ob delictum condemnatus fuerat.

S U M M Æ.

1. Condemnatus per sententiam cujus bona sunt publicata, licet postea per Principem restituatur, non consequitur fructus medij temporis, quos fiscus percipit.
2. Clausula exuberantes posita in Regio rescripto restitutionis gratia non operantur nisi circa principale, super quo sententia lata fuit.
3. Clausula, qua ex stylo solent apponi per Secretarios in Regis rescriptis, non multum illis tribuendum est.
4. Quamvis hoc regulare sit, tamen contrarium hoc casu judicatum fuit per Regios senatores, ex verbis plenissimis contentis in Regio rescripto, qua plenariam restitutionem operantur, & ad omnia per sententiam ablata extenduntur.

**Q**uidam ob delictum condemnatus fuit per sententiam inter alia in amissione quadragintorum mil. numerum regal. de jure, quos habebat in basilica mercium hujus civitatis Olyssipponensis annuatim, quique ei à Rege donati fuerant: & in primo anno, antequam quidquam reciperet ex eis, prædicta condemnatio facta fuit: postea Rex noster Philippus ei omnia restituit per rescriptum quoddam, contra sententiam anno 1584. per hæc verba, *de meu proprio motu, poder real & absoluto, ei por bem de o restituir a todas aquellas merces que lhez o senhor Rei N. posto que dellas fosse privado pello senhor Rey N. que Deos tem, & o ei por restituído a ellas, como se dellas nunca fora privado, & sempre permaneceran em seu vigor.* Quæsitum fuit, an reditus illi, qui ei numquam fuerant soluti, nec extabant, sed apud fiscum permanerant, deberentur tali restituto, per illa verba suprædicta rescripti?

**E**t videbatur, quòd non: cum enim reditus illi semper in patrimonio Regis permanerant, & numquam soluti fuerant tali condemnato, succedit text. in *Authent. idem est de Nestorianis. C. de heret.* per quem text. hæc est communis opinio Doctorum ibi. & in *l. Gallus. §. & quid si tantum. D. de liber. & posth. Gomez. l. 1. Taur. n. ult. Covarr. resolutionum. lib. 1. cap. 3. num. 15. Bossius in pract. tit. de remed. ex sola clem. n. 11. Costa in d. l. Gallus. §. & quid si tantum. 2. p. num. 74. Pelæus de majoratib. 2. part. q. 23. num. 40. Anton. Peregr. de jur. fisci. libr. 5. tit. 2. num. 61. Et licet Dec. in l. in condemnatione. Paragrapho cum verbum. D. de reg. jur. contrarium teneat, prior opinio communis est ex Doctoribus supra relatis.*

2. Non obstant clausulæ illæ exuberantes positiæ in Cabedo Pars I.

Regio rescripto restitutionis gratiæ, quia illæ non operantur nisi circa principale, de quo per sententiam condemnatoriam fuerat privatus, non verò circa restitutionem reddituum qui permanerant in patrimonio Regis, & erant consumpti. Fort. d. §. & quid si tantum. n. 162. arg. text. in *licetum. C. de rev. vend. Curt. Senior. conf. 49. colum. penult. Pelæus ubi supra, d. num. 40.*

Deinde clausulæ illæ ex stylo solent per Regios Secretarios poni, & consuetæ sunt, quibus non multum tribuendum est, ex *Baro. in l. i. D. de jure codicillorum. Covarr. in rubr. de testament. 2. p. num. 14. & in specie advertit Pelæus ubi supra, 1. p. quæst. 5. num. 2. & 3.*

Quamvis autem in restitutionibus gratiæ hoc ita regulariter sit, contrarium tamen hoc casu judicatum fuit per senatores dignissimos palatii, qui iudices in hac causa fuerunt, anno 1588. procuratoris Regij officium cum agerem ex illis verbis plenissimis contentis in prædicto rescripto restitutionis gratiæ, *como se dellas nunca fora privado*, quæ plenariam restitutionem operantur, & ad omnia per sententiam ablata extenduntur: tradit *Crot. conf. 127. n. 13. & sequitur Roland. conf. 45. n. 12. Ægidius Bossius de Principe. n. 48. quos refert Ant. Peregrin. ubi supra, num. 62. versic. Limita cum verba concessio- nis, &c. Scriba Ferd. Lopez.*

DECISIO CXCIII.

De quæstoribus Eleëmofynariis, & intellectu Ordinationis lib. 5. tit. 104.

S U M M Æ.

1. Ordinatio hæc prohibet, quòd in regno nulli Eleëmofynam petant pro invocatione aliqua, absque licentia Regis in scriptis, & sigillata. Prohibet etiam quòd quæstores Eleëmofynarij non possint predicare bullas indulgentiarum, quamvis prædictam licentiam habeant: & contrafacientes pena carceris puniuntur. *Ibidem.*
2. Prædicta Ordinatio fuit approbata, & repetita in concordatis factis tempore Regis Sebastiani.
3. Qualibet causa excusat a pena. Pecunia, quas colligunt quæstores Eleëmofynarij sine licentia prædicta, in redemptionem captivorum per dictam Ordinationem applicantur, & manu posteris traduntur. *Ibid. & num. 1.*
4. Licentias ad petendas Eleëmofynas in hoc regno concedunt senatores palatii.
5. Pius IV. Summus Pontif. concessit bullam Regibus hujus regni, circa non predicandas has bullas indulgentiarum in hoc regno.

**D**E his quæstoribus Eleëmofynariis interrogatus fui à Serenissimo Principe Alberto Archiduce Austriæ gubernante hoc regnum Lusitanæ: contigit namque quòd nonnulli quæstores Eleëmofynarij in nostro regno ex prædictis Eleëmofynis magnam summam pecuniæ collegerunt, & ad petendas illas ostendebant facultatem quamdam impetratam à Legato de latere, in hoc regno, qui tunc temporis erat prædictus Princeps & Cardinalis: dubitabatur qua pena puniendi essent.

1. Dixi per Ordinationem lib. 5. tit. 104. prohibitum esse in hoc regno, quod nulli Eleemosynam petant pro aliqua invocatione absque licentia Regis in scriptis, & sigillata: & quamvis licentiam, & facultatem talem habeant, non possunt dare bullas, nec prædicare indulgentias; & præcipit prædicta Ordinatio Regiis ministris, & officialibus, ut contra illos ad pœnam carceris procedant, si requisiti fuerint per officiales redemptionis captivorum; & quod omnes pecunias, quas tales quæstores habuerint collectas ex prædictis Eleemosynis, illis auferant, & manu posteris captivorum tradantur, nec à carcere solvantur absque Regio mandato.
2. Prædicta Ordinatio approbata & repetita fuit in concordatis factis tempore Regis Sebastiani. cap. 4. circa quas & similes leges regni Castellæ videndus est Avend. de exeq. mand. libr. 2. cap. 30. Avil. pratorum. cap. 51. verb. non consentit.
- Sacro sanctum Concil. Trid. sess. 21. cap. 9. prohibet etiam hos quæstores Eleemosynarios, ut de jure prohibiti erant Clement. 2. ubi scribentes de pœnitentiis, & remissionibus. cum ergo hoc ita sit, hi quæstores puniendi erant pœnis contentis in Ordinatione supradicta.
3. Cum tamen pro se allegarent facultatem illam impetratam à legato de latere, fuerunt è carceribus soluti, & ab aliis pœnis absoluti, argum. eorum quæ notantur ad l. igitur. Paragrapho & generaliter. D. de liberali causa. ab eis tamen fuerunt omnes pecuniæ, quas habebant, ex Eleemosynis collectæ petitæ, & applicatæ ad redemptionem captivorum juxta Ordinationem supradictam, in mense Augusti, anno 1591.
4. Licentias autem, & facultates has ad petendas Eleemosynas in hoc regno concedunt senatores palatij, ut in regimento illius tribunalis continetur, & in Extravag. tit. 4. libr. 2. §. 12.
5. Et circa non prædicandas has bullas indulgentiarum absque licentia Regis, vidi ego bullam Pij IV. Pontif. maximi concessam Regibus hujus regni, quæ est in archivo publico prædicti regni civitatis Olyssipponensis, quæ omnia notanda sunt.

## DECISIO CXCIV.

## De libertate servorum.

## SUMMÆ.

1. Servus ab hostibus captus, si redimatur, statim fit redimentis.
2. Redimens servum captum ab hostibus potest eum utiliter manumittere.
3. Redimens non fit pleno jure dominus servi, sed tantum illum retinet jure pignoris, donec pristinus dominus illi pretium restituat: quod si à redimente manumittatur, amittit jus pignoris.
4. Qui mala fide sciens alienum servum ab hostibus redemit, oblato pretio à domino perpetuo tenetur reddere servum: sin autem bona fide eum redemit non tenetur, nisi intra triennium fuerit oblatum.
5. Redimens servum bona fide, si ab eo manumittatur,

6. Servus manumissus à redimente, tenetur sui æstimationem antiquo domino præstare, & interim dum eam non præstat, ad pretium, vel operas manet obligatus.
7. Liber, si ab hostibus redimatur, tenetur redimenti, vel ad pretium redemptionis, vel ad operas quinque annorum.

Post pugnam Africanam, anni 1578. in mense Augusti, cum multi servi, qui dominos suos ad prælium euntes comitati sunt, per alios redempti fuissent, aliqui etiam fugerent, cum essent in captivitate; circa libertates eorum quæstiones aliquæ in senatu controversæ fuerunt, ex quibus omnibus aliquos casus collegi.

Servus captus ab hostibus si redimatur, utrum fiat redimentis, ita ut ab eo possit manumitti. Dic, quod si servus captus ab hostibus redimatur, statim fit redimentis. text. in l. in bello. §. si quis servum. D. de cap. & postliminio revers. text. in l. sicut. ubi Gloss. & DD. D. eod. tit. qui text. extendunt ad servum non redemptum, sed redeuntem & à captivitate aufugientem.

Adeo verò redimentis efficitur, quod is eum potest utiliter manumittere, d. l. in bello. §. manumittendo. D. de captivis, & postliminio. ubi Iurisconsultus pulchrè hoc disputat. text. in l. si servum. in princ. D. de acq. hered.

Sed hic tria notanda sunt. Primum, quod redimens non fit pleno jure dominus servi, sed tantum retinet illum jure pignoris, donec pristinus dominus illi pretium restituat, secundum Gloss. 1. & ultim. in dict. l. bello. Paragrapho si quis servum. & gloss. etiam verb. offerat. in d. l. si servum. & ibi optimè declarat Paul. Castr. & ideo redimens manumittendo, amittit suum hoc jus pignoris, ut probat d. l. si servum, ibi, vinculo suo resolvit, & ibi Glossa, & DD.

Quanto autem tempore possit antiquus dominus offerre pretium, & servum tibi redimere? Dic, quod si quis sciens alienum servum redemit ab hostibus, perpetuo potest dominus offerre pretium; si ignorans emit credens esse vendentis, potest offerre usque ad triennium, non ultra. Gloss. in d. l. sicut. similis Gloss. verb. offerat. d. l. si servum. per text. d. l. in bello. §. si quis servum.

Secundò nota, quod talis servus ita redemptus non redit ad dominium pristini domini, ut probat text. in d. l. si servum. ibi, ut eius fiat, cujus fuerat antequam caperetur, & d. l. in bello. §. manumittendo, ibi, ne libertatis præstatio fiat domini translatio. impium enim visum fuit, à redimente, qui bona fide emerat, non posse servum manumitti, aut debere datam libertatem revocari, quod eleganter defendit Iur. Conf. in d. §. manumittendo.

Tertiò notandum, quod is servus ita fit liber, ut nihilominus teneatur sui æstimationem antiquo domino præstare, quæ vel excedet, vel fortè æquabit præmium redemptionis, id est, quo fuit redemptus, ut inquit Paul. in d. l. si servum. & interim dum talem æstimationem non reddit tenetur operas præstare, ut est text. in d. l. si servum. quod ibi dicitur favore libertatis specialiter introductum; quia de rigore juris redemptor non potuit manumittere servum

servum meum, quem tantum jure pignoris habuit, donec ego pretium refunderem, contra reg. l. id quod nostrum. D. de reg. jur. Sed propter favorem libertatis obtinuit, ut talis libertatis datio valeret, dummodo servus ad pretium, vel ad operas in pretij defectum, maneret obligatus: hoc autem pretium non manumissor, sed ipse servus tenetur priori domino reddere, ut tenet expressum Paul. in d. l. si quis servum. & antea censuerat ibi gloss. verb. offerat. quam sequuntur Ang. & Imol. gloss. etiam verb. liber erit, in d. §. manumittendo, & ibi DD.

- 7 Nec mirum si hoc in servo redempto fuit statutum: siquidem idem in libero placuit, ut redemptus ab hostibus teneatur redimenti ad pretium, vel ad operas quinque annorum, quasi tanti lex eum aestimaverit in favorem libertatis, per text. in l. fin. C. de captivis. & tenet gloss. verb. offerat. in d. l. si servum.

## DECISIO CXC.V.

An exteri in suis regnis degentes, possint commercia habere in locis conquestæ hujus regni?

## SUMMÆ.

1. Galli, & alij exteri non possunt commerciandi causa navigare ad provincias conquestæ hujus regni Lusitania.  
Conquestæ hujus regni est designata per summos Pontifices Regibus illius. Ibid.
2. Quamvis facultas commerciandi sit de jure communi, potest tamen ex justis causis prohiberi.  
Exteri commercium habentes in locis conquestæ hujus regni, contra illius prohibitionem, tamquam in eis locis delinquentes puniri possunt pœnis in Ordin. regni contentis. Ibidem.
3. Intelligitur Ordin. lib. 5. tit. 112. §. 1. & eod. lib. 5. tit. 81. §. 2. quibus prohibetur, ne exteri commercium habeant in locis conquestæ hujus regni.  
Angli, Galli, Belgæ, & alij exteri, qui ad provincias conquestæ hujus regni commerciandi causa eunt, incurrunt pœnas harum Ordin. etiam si in hoc regno non degant, & e suis provinciis ad prædicta loca directè navigent: & ita decretum fuit in senatu. Ibidem.
4. Quid decretum fuerit in processu contra Gallos factò in casu hujus decisionis.

**C**irca intellectum Ordinationis lib. 5. tit. 112. §. 1. incipit, E defendemos, contigit, quòd navis quædam Gallorum, Cetiam vocant, ex Masiliensi portu, cum ad Mauros merces asportaret ad locum de Cabo de Guee, portu solvens, vi tempestatis ad Insulam Fuchalensem, seu da Madeira pervenit, ubi Regis officiales merces, & navem retinuerunt, & ad instantiam Regij procuratoris processus contra Gallos factus fuit, in quo Præses prædictæ insulæ Gallos absolvit à petitis, per procuratorem Regium appellatum fuit ab ea sententia ad senatum supplicationis.

Et dicebatur in instantia appellationis per procuratorem Regium, quòd hi Galli non poterant navigare ad locum de Cabo de Guee merces aspor-

tando, quia est de conquesta regni Portugalæ, & sic condemnandi erant: est enim prædicta conquesta designata Regibus hujus regni per Summos Pontifices, & ob id possunt Reges nostri prohibere illam exteris, etiam quoad commercia, ex dictis per Bart. in tract. de insula, in §. nullius. cum Reges hujus regni prius occupaverint loca hæc. l. 1. D. de acq. rerum dominio.

Quamvis enim commercia sint de jure gentium, l. ex hoc jure. D. de justit. & jur. tamen ex causa possunt commercia prohiberi. l. mercatores. C. de commercio, & mercator. Bald. in cap. 1. Paragrapho 1. numero 2. de nova forma fidelitatis. Baptist. in l. omnes populi. numero 164. D. de justit. & jur. Gerard. singul. 59. Dicitur autem justa prohibendi causa, quando probabiliter timentur homines aliarum nationum illas terras invasuros, vel animos populorum infecturos. Ilern. in rub. ad fin. quæ sint regal. Rip de peste, fol. 23. numero 246. unde qui ex aliis nationibus contra hanc prohibitionem fecerint, quasi delinquentes in eo loco puniri possunt, in Authent. qua in provincia. C. ubi de crimine agi oport. Bald. in Authent. habita. num. 19. C. ne fil. pro patre. & quamvis Ferdinandus Mench. illustrium questio. cap. 89. ex numero 30. contrarium teneat, illius tamen argumentis quivis facillè respondere poterit.

Nostra autem Ordin. libro 5. tit. 112. Paragrapho 1. & eod. lib. tit. 81. Paragrapho 2. prohibet commercium hoc clarissimis verbis; quòd nempe exteri in suis regnis degentes non possunt navigare ad provincias conquestæ hujus regni, & secundum illas Ordin. ita judicatum fuit in processu, quem refert Gamm. decis. 384. & in aliis multis. ubi decretum fuit in senatu, quòd Angli, Galli, Belgæ, & alij exteri, qui in provinciam Brasiliam, Guineam & in Africam eunt, & ad alias provincias, loca, & maria conquestæ hujus regni commerciandi causa, incurrant pœnas harum Ordin. etiam si in hoc regno Lusitaniæ non degant, & naves eorum exterorum directè navigent è provinciis exteris ad loca conquestæ hujus regni: licet enim Ordin. d. tit. 81. in princ. loquatur in exteris degentibus in hoc regno; tamen in §. 1. generaliter loquitur, & sic semper intellecta fuit, ut audivi ab insigni Doctore Pet. Barbosa collega meo, in conf. coronæ Portugalæ Madritij, qui mihi id dixit viva voce, & quòd in hoc non bene adverterat doctissimus Gam. contrarium sentiens in supra, dict. decis. 384. de qua materia in 2. part. decisionum latius agemus.

Galli tamen absoluti fuerunt ex defectu probationis, non enim contra illos probabatur legitime navigasse ad dictum locum de Cabo de Guee, cum mercibus, imò ipsi id animosè negabant, an. 1592. & faciunt tradita per Soar. allegat. 18. num. 6. qui omnino videndus est in tota allegat.

## DECISIO CXC.VI.

An monachus, qui relicto priori monasterio, aliam intravit æqualem religionem, possit à secundo monasterio præscribi contra priorem?

## S U M M Æ.

1. Monachus transiens ad alteram religionem, nisi fuerit de licentia sui Prælati, & cum requisitis necessariis, non potest præscribi a secundo monasterio contra priorem.
2. Abbas potest vendicare monachum, sicut & pater filium.
3. Ius monachatus, est quid spirituale, & præscribi non potest.
4. Monachus qui sine licentia recessit à monasterio, quoad hoc, æquiparatur servo fugitivo.

**M**onachus cujusdam monasterij absque licentia sui Abbatis intravit alteram religionem æqualem, in qua stetit, & permanfit per decem, vel viginti, vel triginta annos: quæritur an spatio prædicto, possit præscribi dictus monachus à secundo monasterio, aut non; & sic compelli possit, ut revertatur ad priorem religionem? Et quòd non possit transire ad aliud monasterium æquale, & non arctius, est text, in cap. Ioannes. & ibi gloss. Abb. & omnes de regular. & in cap. licet. eod. tit. & ibi latè Abb. 4. & penult. notab. ubi ponit requisita transeuntis ad aliud monasterium, & in cap. sanè. eod. tit. post Imol. Abb. conf. 96. inter quæ sunt, quòd fiat de licentia Prælati, & quòd sit adstrictior vita, & non cum temeritate, aut levitate, sed zelo sanctitatis. Si ergo hæc non concurrant, etsi per quadraginta annos stet in monasterio, potest revocari à primo cum omnibus bonis; quod probatur.

1. Primò, quia Abbas potest vendicare monachum quem admodum pater filium. l. 1. §. 1. D. de rei vendic. gloss. in princ. instit. de patria potestat. reali actione, cap. Abbates. 16. quæst. 2. Abb. & Imol. in c. quoad re. de clericis conjugat. quæ actio durat triginta annis, princip. institut. de perpetuis & temporal. act.

2. Secundò, quia jus monachatus est quid spirituale, ut probat text. in c. Monachi. & ibi notat Abb. in 1. notab. de statu monachorum. sed spiritualia non præscribuntur, l. cum loca. D. de religiof. & sumpt. funer. c. causam. de præscriptionibus, c. cum non liceat. & ibi gloss. ult. eod. tit. cap. præterea, O. 2. de transactionib. Felin. in d. cap. cum non liceat. num. 10. & sequentibus.

3. Tertiò, monachus, qui recessit à monasterio sine licentia, dicitur fugitivus servus. Auth. ingressi. C. de sacros. Eccles. l. Deo nobis, C. de Episcop. & clericis. & quoad hoc, ut eum possit recuperare, & cruciare æquiparatur servo: latè Socin. in repetitione l. 1. D. de vulgar. & pupil. sed servus fugitivus nullo tempore usucapitur, §. 1. institut. de usucapionib. ergo eodem modo nec monachus. Quod est notandum.

## DECISIO CXCVII.

An sententia lata contra defunctum valeat? circa intellectum Ordin. libro 3. titul. 18. in principio.

## S U M M Æ.

1. Sententia lata contra defunctum non valet, & mortuo uno ex litigantibus, statim cessat iudicium. Verba, statim, confestim, & similia si in lege apponantur, intelliguntur ipso jure. Ibidem.

Ordin. Regia l. 3. tit. 18. in principio, procedit etiam si deliberationes posita sint a iudicibus. Ibid.

2. Adsignatur ratio prædicta Ordinationis.
3. Datio iudicis adversus eum, qui in rebus humanis non est, non valet. Edictum peremptorium, & citatio solvitur morte rei. Ibidem.
4. Sententia lata contra mortuum, est ipso jure nulla, quamvis iudex id ignoret. Quod procedit etiam si sententia lata sit in favorem mortui. Ibidem.
5. Refertur sententia, qua lata fuit uno casu, etiam mortuo reo.
6. Mortuo uno ex litigantibus, ut processus currat, necessum est, ut heredes mortui citentur. Quamvis instantia transeat in heredes, tamen ut iudex possit procedere in causa, debent prius eorum persona legitimari. Ibidem.
7. Heres unus citari non potest, aliis coheredibus absentibus, quando omnes successuri sunt ab intestato: secus si ex testamento, cum declaratione de qua hic.
8. Curator dari potest bonis absentis ad instantiam partis, & adversus illum sententia proferri, eaque executioni mandari, & sic decretum fuit in senatu.
9. Iudicatum etiam fuit in senatu, quòd si absentes in India tamquam heredes alicujus citentur, personaliter citari debebant; si tamen pro rebus cum illis gestis conveniantur, per edicta potest fieri citatio.
10. Sola citatio filij successoris in Capitania, seu majoratu sufficit ad prosequendam causam, etiam si alij filij non citentur, & ita decretum fuit in senatu.
11. Actor, si reus moriatur, non tenetur facere articulos habilitationis, sed sufficit, quòd heredes rei mortui citentur: secus si actor est qui moritur, vel non vult prosequi causam, quia tunc vel suorum heredum habilitatio est necessaria, vel ipsi heredes rei possunt se habilitare.
12. Citatio filiorum, vel uxoris, qua solùm requiritur ad consensum dandum, si non fiat in prima instantia, potest suppleri in secunda.
13. In re in qua pater habet usum fructum, filiorum citatio non requiritur, sed sufficit auctoritas patris in iudicio.

**S**ententia lata contra defunctum non valet, l. in summa. §. ult. D. de re iudicata. l. pen. D. que sententia sine appellat. rescinduntur. l. Neratius. D. de regul. jur. l. Paul. D. de excep. rei jud. Ordin. lib. 3. tit. 18. in princ. & eod. lib. tit. 65. Imò mortuo uno ex litigantibus, statim iudicium cessat, mero jure. Ordin. ubi supra, tit. 18. in princ. ibi, logo. hæc enim verba, statim, confestim, & similia intelliguntur, mero jure. Bart. in l. jubemus, §. sanè. num. 12. C. de sacrosanct. Eccles. & sic non est necesse, quòd veniat in notitiam iudicis, arg. eorum, quæ tradit, Bart. in l. si procuratorem, D. de procurator. Ias. in l. more. num. 8. D. de jurisd. omn. jud. facit Ordin. infra hoc lib. tit. 65. in princip. multa per Felin. in cap. ceterum. numero 36. de rescript. Aretin. in l. qui servum. ad finem. D. de acquiren. heredit. Adde, ut etiam si deliberationes à iudicibus posita sint, quas nostri, tençõs, vocant,

cant, procedat hæc Ordin. de quo vidi jam dubitatum.

- 2 Ratio hujus Ordin. & regulæ, quòd sententia lata contra mortuum non valet, est, quia mortuus inefficaciter condemnatur. *d. l. 2. D. qua sententia sine appellat. d. l. in summa. D. de re jud. Vant. de nullitat. ex defectu process. num. 1. cum aliis.* Imò est nulla Bart. in l. nulla. ubi Iaf. C. de procur. l. Paulus, C. que sent. sine appell. rescind.
- 3 Sic etiam non valet datio iudicis contra eum, qui in rebus humanis non est, quando iudex datus fuit. *d. l. 2. ratio est, quia morte rei edictum peremptorium, & citatio solvitur. d. l. in summa, §. fin. & sic cessat possibilitas ferendi sententiam in mortuum, secundum gloss. ibi. & cessat virtus peremptorij, nec est repetire contumaciam, propter quam suppleatur præsentia, ut inquit subtiliter Imol. d. l. in summa, §. fin.*
- 4 Aded autem non valet sententia contra mortuum, ut hoc procedat etiam si iudex id ignoraret, ut supra diximus. Paul. in *d. l. penult.* Sed quid si feratur sententia in favorem mortui, antunc valeat, quæstionis est? & videbatur valere, argum. *l. licet. C. de procurator. l. quod favore. C. de legib. regul. quod ob gratiam. de reg. jur. lib. 6. quod tenet glossa d. l. pen. Contrarium tamen tenet Bartol. in d. l. in summa, §. fin. quem ibi videtur sequi. Alexand. Vant. de nullit. sent. ex defectu jurisdict. num. 1. 6. & facit pro hac parte Ordin. supradicta in princ. & ita est tenendum.*
- 5 Vidi tamen in facto agitatum, cum quidam iudex pupillorum illitteratus syndicus esset, mortuus postea fuit pendente accusatione; uxor, mortuo marito, petit officium à Rege: iussit Rex, ut ostenderet per certitudinem maritum suum in syndicatu nullam culpam habuisse, petit uxor à iudicibus, ut acta in syndicatu gesta expedirentur in senatu, senatores dubitabant id facere, cum mortuus esset eius maritus, & secundum hanc regulam contra defunctum sententiam proferre non poterant. Decretum tamen fuit, quòd expediretur processus ad effectum illum solum petitum ab uxore, ut certitudo ei possit dari, eò maxime, quòd nulla erat pars, quæ accusaret, sed solum promotor iustitiæ, & sic nullum præjudicium inde oriebatur, in mense Augusti, anno de 1600.
- 6 Ut igitur processus, mortuo uno ex litigantibus currat, necessum est ut heredes citentur. Paul. in *d. l. in summa. Ordin. supradicta, in principio, ibi, ate que os herdeiros. altera hoc lib. 3. tit. 6 §. in principio. l. si cum hominem. D. de fideiussoribus.* licet enim instantia transeat in heredes, tamen non potest iudex amplius procedere, illis non citatis, quia eorum personæ debent prius legitimari. Bartol. in *l. postulante D. ad l. Trebell. Abb. & Dec. in cap. quia. de iudiciis.*
- 7 Sed si quis velit unum heredem citare, ita ut aliis heredibus absentibus non citatis non præjudicet, dubitatum vidi; & ea est distinctio adhibenda. Si omnes ab intestato sint successuri, non posse, posse tamen, si ex testamento pro ea parte bonorum succedat, super qua lis moveretur, idque post aditam hereditatem, habitamque illius partis possessionem; nam hæc Ordin. videtur procedere, quando ab intestato omnes pro indiviso succedunt: tunc enim

quia nondum constat ad quem pertineat quælibet portio, ided eorum nullus, aliis non citatis, conveniri potest.

Libet autem duo senatus arresta antiqua, quæ inveni, hic transcribere.

*Foi determinado que se hum homen be na India, que pode a outra parte fazer lbe dar curador aos bens & litigar com elle perante o iuiz. do seu foro, & aver contra elle sentença, & executalo. Ita fuit multoties iudicatum in mensa expeditorum gravaminum, tenet Bart. in l. muto. Paragrapho fin. D. de tutel. & in l. qui liberus Paragrapho hæc verba. D. de vulgari, & pupil. & in l. ignorare. C. de restitut. militum. in finalibus verbis.*

*Foi determinado que se alguns homens erão na India, & se avião de citar como herdeiros que se citassem em pessoa, & não per editos como se faz quando se mandão citar per cousas que elles fizer o, & contrararão no reino, por que por suas cousas, & por razão dellas poden ser citados os homens que estiverem na India per editos como acima esta determinado: & foi tomado per conclusão na Rellaçõ no feito de Fernando de Ferreira, com os filhos de dom Nuno escrivão Ieronimo Afonso.*

Fuit etiam iudicatum in processu Ludovici Carneiro Capitanei insulæ do Principe, in quo procurator Regij patrimonij actor erat, quòd ad prosequendam causam, non erat necessaria citatio alicujus heredis, nec filij, sed solum filij majoris, qui succedebat in prædicta Capitania. Scriba Ferdinando Lopez.

Id etiam iudicatum fuit in processu Christophori de Soufa, & Ioannis de Soufa, in iudicio Regiæ coronæ, Scriba Petro Almirante. & facit *l. si operarum. D. de operis libertorum. in argumentum. l. 1. §. de muliere. D. de ventre inspiciendo.*

Et decretum etiam fuit, quòd actor quando reus moritur, non est necesse quòd faciat articulos habilitationis, sed solum sufficit facere citare heredes prædicti rei juxta doctrinam Pauli in *l. 2. D. qui sent. sine appellat. rescinduntur.* Si tamen actor est, qui moritur, ad prosequendam causam est necessaria habitatio suorum heredum; & si actor non vult prosequi causam, & tacet, nec facit citare heredes rei, ipsi heredes rei possunt se habilitare ad prosequendam prædictam causam.

Sciendum etiam est, quòd mortua uxore, si liberi non citantur, quorum pater est legitimus administrator, potest talis citatio suppleri in secunda instantia, quia talis citatio solum requiritur ad consensum dandum. text. in *l. ultim §. ubi autem. C. de bonis qua liberis.* ut est in citatione uxoris, sed hæc suppletur, Ordin. lib. 3. tit. 49. §. Seo erro. ergo & illa de filiis etiam supplebitur.

Imò iudicatum in senatu fuit, quòd in re, in qua pater habet usum fructum, sufficit auctoritas patris in iudicio, etiam si filius non citetur. Bart. in *l. fin. §. 1. D. de verborum. Ang. in principio. num. 2. in situt. de tutel.* & ita decretum fuit in processu Petri Eannes oppidi de Villavicosã. Hæc omnia notanda sunt, & videndus Alvar. Vaz consult. 38. Gamma decis. 15.

## DECISIO CXCVIII.

Quomodo transeat instantia litis in successorem, circa intellectum Ordinationis lib. 3. tit. 65. in principio.

## S U M M Æ.

1. Successor in commenda, seu Ecclesia potest litem, & instantiam a prædecessore nomine Ecclesia, seu commenda inchoatam continuare absque alia persona legitimatione, vel nova citatione. Vbi actum est nomine Ecclesia, seu dignitatis, instantia transit activè & passivè in Prælatum successorem. Ibidem. Prælatus potest conveniri nomine sua Ecclesia, per clausulam generalem, etiam si post impetrationem litterarum Prælatus factus sit. Ibidem.
2. Quando Prælatus, seu commendatarius egit nomine proprio & pro jure suo, non autem pro jure & utilitate commenda sua Ecclesia, instantia nec obest, nec prodest successoribus.
3. Instantia à possessore majoratus inchoata transit in successorem ipsius majoratus. & num. 6.
4. Intelligitur, & conciliatur opinio Marci Antonij contrarium tenentis.
5. Quando res, vel actio de necessitate transit in successorem, tunc & instantia transire debet.
6. Actio ipsa, & jus agendi transit in successorem majoratus: & sic sæpè in senatu fuit judicatum.
7. Novus donatarius, cui Rex bona noviter donavit, non potest proseguere causam ceptam per donatarium priorem, & antiquiorem; sed novam poterit inchoare, & refertur decretum senatus.

VIdi in senatu de quæstione hac maximum dubium, mortuo quodam commendatario, qui Regis procuratorem convenerat; an successor, qui commendam obtinuit volens litem proseguere, teneretur novam impetrare facultatem citandi dictum procuratorem, juxta Ordin. in lib. 1. tit. 11. §. 1. prout etiam prædecessor impetraverat: an verò sufficeret tantum inchoatam instantiam continuare?

Et distinguebatur: aut commendatarius egit nomine dignitatis, sive commendæ, & Ecclesiæ; aut nomine proprio. In primo casu potest litem continuare, absque aliqua personæ legitimatione, aut nova citandi licentia; quia, ubi actum est nomine dignitatis, instantia activè & passivè transit in Prælatum successorem, secundum Abb. in cap. quia V. de judiciis. colum. penult. versic. tertius casus. ubi notanter dicit, quòd tunc in effectu magis videtur durare instantia contra dignitatem, quàm transire in successorem: & sequitur ibi Dec. numero 8. post Innocent. Paul. de Leazaris, & Alex. quos citat & Rot. in decis. 1. ut lite penden. in antiquis. Successor enim in beneficio reassumit causam prædecessoris in eodem statu, in quo est. Rot. d. decis. Paul. de Leazaris relatus à Felino d. cap. quia V. colum. fn. in fine. facit & Rot. decis. 29. alias 179. de procurator. in antiquis. ubi inquit, quòd sicut successor universalis succedit in jure litis, & causæ, secundum Innocent. in dict. cap. significavit. de re-

scriptis. & in d. cap. quia V. ita & Prælatus, qui succedit in onere, & honore, per text. in cap. quoniam Abbas. de offic. delegat. & cap. si de quorundam. de solutionibus. Item facit, quod ait Innocent. in d. cap. significavit. de re scriptis. quòd per generalem clausulam potest conveniri nomine alicujus Ecclesiæ, qui factus est Prælatus post impetrationem litterarum; idque etiam si ille, contra quem illæ impetratæ sunt, non sit citatus.

In secundo autem casu, ubi Prælatus, aut commendatarius egit nomine proprio, & pro jure suo, ut, quia non litigatur pro jure, & utilitate Ecclesiæ, nec fundat actor jus in illa dignitate, seu beneficio defuncti, sed illud habet à collatore, tunc instantia illius nec prodest, nec obest sibi, secundum Abb. ubi supra, & alios supra citatos, & Rot. decis. 29. quæ expressim facit hanc distinctionem. facit gloss. in cap. dilecti. de for. compet.

Dubitarum etiam fuit, utrum instantia à possessore majoratus inchoata transeat in successorem, puta, si quis contendat majoratus administrationem ad se pertinere, & ideò eius bona à possessore petat; qui etiam se administratorem esse dicat: si enim actor decedat, utique in filium, transibit instantia, aut in eum, qui à primo instituyente sit vocatus, aut probabiliter vocatus existimetur, & quòd instantia transeat in successorem majoratus, tenet Molin. libro 4. cap. 8. num. 6. Ioachim. in suis decisionibus, centur. 1. decis. 85. tametsi contrarium putat Marcus Anton. consil. 219. numero 1. libro 1. qui videndus est post Bart. in l. Lucius. D. ad Trebell.

Quas tamen opiniones ego conciliarem, ut prior procedat, ubi defunctus egit nomine majoratus, quia petebat eius bona, vel aliquid ad majoratum pertinens: tunc enim transit, & continuatur instantia, sicuti dicitur de eo, qui agit nomine dignitatis per jura supra allegata: secus si sit actum nomine ipsius personæ tantum, ut, quia petat aliquid sibi, non majoratus, nec majoratus nomine, tunc enim, quia instantia fundatur in persona aut in causa personali, non transit in successorem, & ita loquitur Marc. Anton. ubi supra, pro quo faciunt d. decis. Rot. 29. in antiquis. de procurator. & DD. ac jura supra citata.

Facit etiam quod inquit Innocent. in dict. cap. quia V. & quod ait Bart. in l. si cum hominem. in fin. de fideiussoribus. quòd si res, vel actio transit de necessitate, tunc instantia transit, allegantes l. in hoc judicio. D. famil. erciscund. & notata per Iacob. de Arenis in l. inter quos. §. 1. de damno infecto. & alia jura: tunc autem de necessitate transit in successorem ad petenda bona majoratus, & eius administrationem.

Et sic decretum fuit, quòd transit instantia activè, id est, actio ipsa, & jus agendi in successorem majoratus, in processu Ferdinandi Martins de Sousa super majoratu de Bajão, Scriba Petro Almirante: & in processu de Dona Branca de Milão filia Doni Iacobi de Castelbranco: & Donæ Leanor de Milão, contra Donam Ioannam da Sylva uxorem Doni Martini de Castelbranco, Scriba Ludovico Vaz de Rezende: & in processu Ioannis Freire de Soza, contra Ioannem Freire Dandrade super oppido de Bobadella, Scriba Petro Almirante.

Bene

7 Bene verum est, quod in processu Iacobi de Moura cum Dono Ferdinando de Castro Comite de Baſto super villa de Borba de Godim, dubitatum fuit, si poterat prædictus Comes tanquam donatarius Regiæ coronæ prosequi causam contra prædictum Iacobum de Moura, contra quem litem inchoaverat alter donatarius coronæ antiquus, quo mortuo bona ad coronam Regiam reversa sunt, & noviter fuerunt donata per Regem prædicto Comiti de Baſto; & decisum fuit, quod non poterat Comes novus donatarius prosequi prædictam causam exceptam per priorē & antiquiorem donatarium, per text. in cap. 2. ut lite pendente, libro 6. & ibi DD. poterit tamen hic secundus donatarius de novo litem incipere, latum est decretum hoc septima die Maij, anni 1590. Scriba Petro Almirante, & vide novissimè Vaz consult. 106. per totam.

DECISIO CXCIX.

De testamento inter liberos condito.

S U M M Æ.

1. Testamentum imperfectum ratione solemnitatis valet inter liberos, data etiam inæqualitate inter illos.  
*Voluntas patris testantis minùs solemniter declarata inter liberos, dicitur testamentum perfectum, & non codicillus. Ibidem.*
2. Clausula, omni meliori modo, semper subintelligitur in testamento inter liberos condito.  
*Clausula, omni meliori modo, in quo differat à clausula codicillari. Ibidem.*  
*Testamentum inter liberos conditum, si non potest valere jure communi, valet jure speciali, & ex eo liberi dicuntur succedere ex testamento, & non ab intestato. Ibidem.*
3. Testamentum inter liberos conditum, si tanquam testamentum in scriptis valere non potest, valet ut testamentum nuncupativum.
4. Quamvis de jure nostri regni, testamentum coram testibus legi debeat; sufficit tamen si testes, quæ in testamento continentur, implicitè sciant.

Sæpè occurrit casus in senatu super validitate testamenti inter liberos conditi, ut est videre ex decisione Gammæ 61. Vaz consult. 23. ex quorum dictis, quid in hac materia tenendum sit, satis constat, in casu contingenti tria in hac materia notavi, quæ hîc transcribere libuit.

Primò, testamentum inter liberos imperfectum ratione solemnitatis valere, etiam data inæqualitate inter illos. *l. hac consultissima. §. ex imperfecto. D. de testam. Authent. de testam. imperfect. in principio, collat. 8. DD. in d. §. ex imperfecto. Alciat. in l. verbis civilibus, num. 34. D. de vulgari, & pupil. & est communis opinio, teste Costa in cap. si pater. 1. part. verb. in suo testamento. num. 2. de testam. in 6. & talis voluntas, testamentum dicitur perfectum, & non codicillus, maximè quando testator id expressit per verba, *ordeno meu testamento*, ut in hoc casu contigerat; & liberi dicuntur succedere ex testamento. *gloss. in l. filij. ubi Bald. C. famil. eriscunda. Iaf. d. §. ex imperfecto. numer. 14. Gom. l. 3. Taur.**

numero 55. ubi ponit effectum maximum hujus rei.

Secundò, in testamento inter liberos semper subintelligendam fore clausulam, *Omni meliori modo*, tradit *Imol. in l. coheredi. §. cum filia. ad fin. D. de vulgari, & pupil. sic intelligens conclusionem glossæ, ibi, verb. non valet. Iaf. in l. 1. §. si quis ita. n. 27. D. de verborum. Hippol. singul. 36. quamvis etiam ex glossa illa colligatur communiter in prædicto testamento inter liberos, clausulam codicillarem censeri appositam, ut per Gomez l. 3. Taur. num. 62, tamen multum differt clausula, *omni meliori modo*, ab illa altera clausula codicillari; hæc enim semper respicit causam intestati, id est, non habet locum, nisi ubi dispositio jure testati nullo modo valere potest; illa verò clausula, *omni meliori modo*, respicit causam testati, id est, facit, ut si testamentum non potest valere jure communi, valeat ex privilegio, ut explicat *Alex. conf. 50. num. 10. lib. 7. Curt. Junior conf. 169. n. 7. unde quando testamentum fit inter liberos, & non potest valere jure communi, valet jure speciali, & ex eo succeditur ex testamento, & non ab intestato, ut superiùs diximus, ex gloss. d. l. filij. C. famil. eriscund. ut per Dec. conf. 60. numero 7. ut etiam intelligendus est text. in l. 3. D. de militari testamento.**

Tertiò adverto, quod si testator utatur solemnitatibus testamenti in scriptis, & coram testibus requisitis dixerit, illud suum esse testamentum, si non valet tanquam testamentum in scriptis, valebit ut nuncupativum, ex *reg. l. 3. D. de milit. testam. Cynus in l. hac consultissima 21. in §. per nuncupationem. D. de testam. Bart. in l. ult. ad finem. D. de jure codicillorum. & dicit receptum Gozad. conf. 3. numero 11. Maranta disput. 4. num. 13.*

Quamvis enim attenta nostra Ordinatio libro 4. tit. 76. §. 3. testamentum legi debeat coram testibus, nec lectum præsumatur, nisi probetur. *Bart. & Bald. in l. fideicommissa. §. quoties. D. de leg. 3. Gom. l. 3. Taur. num. 107. & est de jure in l. hac consultissima. §. at cum humana. C. qui testament. facere possunt, & in l. hac consultissima. §. per nuncupationem. C. de testamentis. tamen sufficit testes hoc scire implicitè, facta scilicet relatione ad testamentum, ut tradit *Peralt. in rubric. num. 70. D. de hered. institut. Burgos l. 3. Taur. num. 252. Tellius ibi. 5. part. numero 12. quæ notanda sunt.**

DECISIO CC.

Utrum restitutio semel tantum concedenda sit illis, quibus ea competit?

S U M M Æ.

1. Referuntur verba *l. Dominicana. §. 1.*
2. Restitutio semel negata amplius peti non potest: poterit tamen iterum concedi si semel fuit concessa.
3. Contrarium tamen disponit prædicta *l. Dominicana.*
4. Restitutio semel tantum concedi potest in una & eadem causa, seu in eisdem articulis, & non bis: secus si sint diversa causa, seu articuli, quia tunc potest concedi in uno quolibet separato, dum tamen semel, & ex nova causa concedatur.

- Nova causa quando dicitur, remissive. Ibidem.*
5. Restitutio semel tantum conceditur de stylo Curia Neapolitana, nec ulterius conceditur etiam respectu diversorum articulorum.
  6. Decretum tamen fuit in senatu nostro, quod secunda recusatio admitteretur beneficio restitutionis, quando fuerit nova, & ex novis causis.
  7. Prædicta l. Dominicana comprehendit etiam Ecclesiam, seu personas Ecclesiasticas, quibus casibus possunt conveniri coram iudicibus secularibus.

**C**irca l. Dominicanam. §. 1. cujus hæc sunt verba: *As restituição que se conceden aos menores, ou a outras pessoas que conforme a dereito gozam do beneficio da restituição, não se concederão se não na forma & casos que o direito manda, nem se concederão outrossi em caso algum mais que hãa so restituição.* Contigit in senatu, quod in una & eadem causa minor quidam iudicem recusavit post sententiam latam, idque restitutionis beneficio: qui iudex suspectus iudicatus fuit, & eius loco alius datus, postea idem minor hunc iudicem datum recusavit; beneficio etiam restitutionis, controversum fuit, an deberet admitti, cum restitutio semel tantum concedi debeat ut hæc lex disponit.

2 Et videbatur, quod deberet admitti beneficio restitutionis, ex text. in l. & si sine. §. restitutus. D. de minoribus. ubi glossa & Fulgos. ibi facit gloss. ultim. in l. fin. C. si sapius in integrum restituit. postulet. ubi concludit, quod licet restitutio semel negata amplius peti non possit. l. 1. & 3. C. eodem tit. tamen semel concessa iterum concedi poterit. tradit Bald. Paul. & Salicet. in d. l. fin. gloss. ult. in cap. ult. de restituit. in integrum. ubi Imol. num. 1. & 4. Afflict. lib. 2. constitutionum. rubr. 4. num. 12. & decis. 114. n. 1. Capic. decis. 165.

3 Contrarium tamen videtur disponere hæc lex, ibi, *Nem se concederã outrossi em caso algum mais que hãa so restituição.* l. ult. C. si sapius in integrum restituit. tradit Rebuff. ad ll. Gallicas 2. tom. tit. de restituit. glossa ult. num. 8. Dec. conf. 436. num. 6. Tiraq. lib. 1. retract. §. 8. gloss. 7. num. 11.

4 Pro resolutione dicendum est, quod in una & eadem causa, seu in eisdem articulis, restitutio semel tantum concedi potest, juxta hanc legem, & non bis: si tamen sint diversæ causæ, & diversi articuli, poterit in uno quolibet separato concedi, dum tamen semel concedatur, & ex nova causa, ut inquit hæc lex, & probat l. & si sine. §. restitutus. D. de minoribus. & d. l. fin. ubi Alber. & Fulgos. & facit l. ult. ad finem. D. de bonis auctoritate iudicis possid. intelligendo novam causam, ut intelligit glossa 2. in d. l. penult. C. si sapius in integrum restituit. & gloss. ult. in cap. ult. de in integr. restituit. ubi Panorm. num. 4.

5 De stylo tamen Curia Neapolitana restitutio semel tantum conceditur in eadem causa, nec ulterius conceditur; respectu etiam diversorum articulorum, ut asserit Isernia lib. 2. constitutionum. rub. 44. ubi tamen dicit styllum illum esse contra jus commune, sed debere prævalere, ut sit litium finis, tradit eleganter Afflict. decis. 114, & decis. 35.

6 Et sic decretum fuit in nostro senatu, quod admitteretur talis recusatio, restitutionis beneficio, cum esset nova, & ex novis causis, & ex defectu probationis Iudex non fuit iudicatus suspectus.

Illud autem circa hanc l. Dominicanam notandum est, quod comprehendit Ecclesiam, seu personas Ecclesiasticas, quibus casibus possunt conveniri coram iudicibus secularibus, ut tenet Calderinus consil. 11. sub tit. de constitutionibus. qui omnino videndus est.

## DECISIO CCI.

An pretium meliorationum juratum à parte, & depositum, tradi eidem parti debeat, si illud petat oblata cautione, ante factam liquidationem meliorationum?

## SUMMÆ.

1. Praxis stylus senatus quò antiquior est, eò magis observari & amplecti debet. & num. 8.
2. Pretium meliorationum juratum a parte, si victor apud sequestrum, seu publicum depositarium illud deponat, res illi restituenda est.
3. Depositum prædictum numquam fit in manu partis, sed apud publicum depositarium.
4. Pretium meliorationum, quod apud depositarium est, ante factam liquidationem, numquam tradi debet parti, nec etiam præstata cautione.
5. Intelligitur Ordin. lib. 3. tit. 71. §. 1.
6. Sic iudicatum fuit secundum senatus stylum in iudicio Conservatoris Ordinum militarium.
7. Referuntur verba sententiæ late in iudicio Conservatoris Ordinum militarium.
8. Improbatur senatus nostri decretum latum contra hunc stylum, anno 601. Praxis senatus maxime est attendenda, & observanda. Ibidem. Senatoribus antiquioribus de stylo curia testificantibus, est maxime deferendum. Ibidem.

**N**ihil est in jure adeò clarum, & decisum, quod non patiatur aliquam controversiam. Authen. de Tabell. §. 2. ratio est, quia sumus natura nostra ad dissentendum proniores. l. item si unus. §. principaliter. D. de arbitris. & ob hoc inquit Lopus, allegat. §. 1. Cassador. decis. 4. quod stylus, & practica senatus pro tempore variari solet; quod esse non debet: imò quò antiquior senatus praxis & stylus est, eò magis observari & amplecti debet. Gamma decis. 16. num. 7. & diximus supra decis. 2. numer. 11. Ad rem igitur.

Nostri senatus stylo antiquo, & praxi laudabili, præstito juramento parti super melioramentis, quæ fecisse probavit, & ei adjudicata sunt, & deposita quantitate jurata apud sequestrum seu publicum depositarium, jubent iudices victori rem restituere, & postea meliorationum liquidatio fit. Vaz de jure emphyteutic. quest. 25. num. 23. Gamma decis. 4. numer. 3. doctissimus Barbosa in l. divortio. §. fin. numer. 34. versic. praxis autem Hispania. D. solut. matrimon. ubi plures allegat.

In quo duo advertenda sunt. Prius, quod numquam prædictum depositum fit in manibus partis, sed apud publicum depositarium. Vaz ubi supra. d. num. 23. & hic est stylus.

Secun-



4. Secundò quòd etiam si pars velit, ut sibi tradatur pretium meliorationum, quod apud depositarium est, præstita cautione, ante factam liquidationem tradi non debet, & hæc est praxis, & stylyus senatus: cum enim hoc depositum solum fiat ad effectum, ut res restituatur victori, & ad obviandum dilationibus litium, & huic rei satis consultum sit per prædictum depositum; non debet pretium, etiam cautione præstita, tradi parti ante liquidationem, ne in ea faciendâ, eadem pars dilationes majores faciat, si pretium retineat meliorationum, & ei tradatur: eò maximè, quòd pars semper jurat pretium meliorationum in multo majori quantitate, ut sic difficilius altera pars deponat prædictum pretium, & ita ante liquidationem non est justum, quòd etiam præstita cautione tradatur parti pretium, quod certum non est nec liquidatum.

5. Ordinatio autem nostra libro 3. tit. 71. §. 1. loquitur in eò, qui pro se sententiam habet de re certa, & liquida; eo enim casu jubet prædicta lex, ut præstita cautione res parti tradatur: quod in præfenti casu non datur; nec enim pretium est certum, cum meliorationes non sint liquidatæ: imò poterit contingere, quòd probatio etiam meliorationum incerta sit, & quòd deteriorationes extent, super quo articuli faciendi sunt.

6. Et secundum hanc partem in senatu decretum fuit sæpe sæpius: & cum dubium hoc contingeret in processu quodam, in judicio Conservatoris ordinum militarium, & articularetur de hoc stylo senatus, ipse Conservator jussit probationes de stylo fieri, in processu Balthazaris de Sampaio, contra Antonium de Mello, Scriba Emanuele Falçiro, anno 1588.

Et senator antiquus, & magnus practicus Alfonso Vaz Tenreiro, qui fuit collega meus in mensa expeditorum gravaminum senatus supplicationis, & fuimus ambo electi à Rege Philippo hujus nominis I. Rege Portugalæ felicis memoriæ ad novam legum hujus regni recopilationem, in qua per multos annos insudavimus; sic testificatus est de stylo certitudine sua;

*Certifico, & faço fee, eu o Doctor Alfonso Vaz Tenreiro desembargador dos agravos da casa da supplicação, pello juramento de meu officio, que o estylo que se tem no caso deste precatório he não se depositar o deposito na mão da parte que jurou quanto importação as bemfeitorias que fez que pede serem lhe pagas, nem se lhe entregar posto que opeça & queira dar fiança a te se não dar final despacho de que não aia appellação, nem agravo sobre aliquidação das tais bemfeitorias, & tanto que o dito despacho se da manda o juiz entregar a parte que pede as bemfeitorias, a parte em que forão liquidadas sem fiança, & isto he pratica, & estylo antigo nesta rellação da casa da supplicação usado, & praticado sem o contrario se mandarem Lisboa a 7. de Julho de 1588. Alfonso Vaz Tenreiro.*

Testificati etiam sunt de eodem stylo advocati doctissimi, inter quos fuit Doctor Alvarus Vaz, & omnes fuerunt in hoc stylo concordantes, & multi scribæ senatus: juxta quem stylyum prædictus Conservator Doctor Bartholomæus do Vale Vieira sententiam his verbis protulit:

7. *Visto como o Autor tem depositado, em mão do depositario deste juiz aquillo, em que o R. posas bemfeito-*  
Cabedo Pars I.

*ria de que se trata, as quais por não serem ainda liquidadas, & justificadas se não pode conforme a direito, & estylo nesta Corte usado, & praticado, mandar entregar ao R. o dito deposito com fiança, mando que sem embargo do que se require esta causa va auante nos termos em que antes estava, &c. anno 1588.*

Ex quo manifestè apparet senatum non rectè decrevisse, imò contra hunc stylyum in processu Annæ Emanuel, contra Paulum de Rute, 6. die Ianuarij, anni 1601. reclamantibus aliquibus senatoribus, qui de hoc stylo testificati sunt. At quot capita, tot sententiæ. *cap. quia diversitatem de concess. præbend. maximè tamen attendendum est ad conservationem praxis senatus, ut jubet Ordin. l. 1. titul. 1. §. 19. & libr. 2. titul. 8. in principio.* & ut senatores recentiores antiquioribus fidem adhibeant, quando de stylo senatus testificantur: & vide Alvarum Vaz consultat. III. numero 22. Quam tamen sententiam in illo processu Annæ Emanuel, exceptionibus oppositis revocatam postea fuisse audivi.

## DECISIO CCII.

An correctores provinciarum possint per correctionem inquirere de officialibus Prælatorum, quos *meirinhos dos clerigos*, vocant, si delinquant in officio?

## SUMMÆ.

1. *Correctores provinciarum non possunt inquirere de officialibus Prælatorum, si delinquant in officio.*
2. *Referuntur nonnulla senatus decreta, qua in favorem prædictorum officialium lata fuere.*
3. *Quod intelligendum est, nisi detur negligentia ex parte Prælatorum in puniendis similibus delictis.*
4. *Correctores an possint inquirere de scribis, & notariis Ecclesiasticis excedentibus taxam scripturarum? remissivè.*

Hanc quætionem vidi in senatu non semel meo tempore controversam, & decisum fuit in favorem officialium Prælatorum per decretum, hisce verbis:

*Acordão em rellação, &c. que visto este instrumento que o Corregedor da comarca da cidade de Portalegre terou do vigairo geral do Bispado da dita cidade, & a forma da monitoria de que agravo, & como per direito a jurisdicção Ecclesiastica he distincta, & separada da secular, & se não mostra aver lei, nem prouisão do dito senhor por que seia permitido as justicias seculares poderem deusar dos meirinhos Ecclesiasticos por razão dos erros, & culpas que commeterem em seus officios, nem pera delles conhecerem, nem aver prescripção, ou costume bastante pera que o contrario seia legitimamente introduzido: antes se mostra o tal conhecimento pertencer segundo disposiçõ de direito aos Bispos, & Prelados aquem os ditos meirinhos seruem nos ditos cargos, o que assim visto, & como a Ordenaçã do 2. libro, titul. 10. falsamente nos escriuães dos Prelados, & vigairos, que leuão maes da taxa dada aos escriuanes da Corte, & como outrossi a sentença que se deu no feito appenso contra o meirinho Ecclesiastico da*  
villa

villa de Castello de Vide se mostra ser grossada, & avida por nulla pello Chancellor desta casa da supplicação ao passar pella Chancellaria, & agrossa ser avida por boa por tres desembargadores dos agruos da dita casa sendo sobre isso ouvido o procurador da coroa, que veio com embargos que lhe não forão recebidos com o mais que consta do instrumento, & do dito feito appenso, pronunciação que ao dito Corregedor supplicante se não pode neste caso dar prouizão, a 16. de Maio de 87. Scriba Petro Almirante.

Idem antiquis temporibus decisum fuerat per alterum decretum, quod hujusmodi est :

Acordei, & c. Vistos os embargos do reo, & a si o que se allega por parte do Iffante Don Henrique Arcebispo de Braga, & como esta contenda he sobre pessoas Ecclesiasticas, as quaes são izentas de minha juridição, & oreo he official do dito Arcebispo, & perante elle & sua rellação deue ser conuindo, se erro fazem seu officio leuando a os clerigos maes do que deue leuar, o que todo assim visto mando que a carta embargada, não passe pella Chancellaria, & o A. podera requerer sua justiça no dito iuizo Ecclesiastico, como dito he, Iudice Alvaro Martins bonorum Regia corona, Scriba Alvaro Fernandez de Toar, anno 1534.

Id etiam vidimus in senatu decisum mense Novembris, anno 1600. in quadam appellatione criminali, Scriba Alvaro Fernandez Ferrão da correição do campo de Ourique.

3 Quod tamen intelligendum est, nisi ex parte Prælatorum detur negligentia in puniendis similibus delictis: tunc enim potest Rex per modum defensionis suorum subditorum, Prælatos admonere, ut talia delicta puniant, quòd si non fecerint, & negligentes extiterint, poterit Rex tales officiales punire, tamquam Rex, ex traditis per DD. ad cap. ult. ubi Ioannes Andr. de except. libr. 6. cap. cum sit. cap. Clericus, de foro competent. glossa in cap. administratores 7. quest. 5. Avend. de exequendis mandat. lib. 1. cap. 1. num. 81. Et poterunt correctores provinciarum Regem admonere de tali negligentia Prælatorum, & excessibus suorum officialium, ut Rex provideat.

4 An autem de scribis, & Notariis Ecclesiasticis excedentibus taxam Scripturarum possint inquirere? habes supra decis. 14. num. 17.

### DECISIO CCIII.

An Monasterium teneatur renovare emphyteusim filio ultimi emphyteutæ, finitis generationibus?

#### S U M M Æ.

1. Renovatio emphyteusis Ecclesia non conceditur, quando ipsa Ecclesia sibi vult retinere emphyteusim.
2. Hoc tantum procedit, casu, quo Ecclesia seu monasterium paupertatem, & indigentiam probent. Charitas ordinata debet incipere a propria persona. Ibidem.
3. Renovatio, seu investitura emphyteusis intra annum peti debet ab eo, qui renovationem sibi faciendam fore contendit.
4. Ecclesia tenetur renovationem emphyteusis con-

cedere, si probetur meliorationes factas fuisse ab antecessoribus petentis renovationem.

5. Communis opinio semper sequenda est.
6. Opinio prædicta, quod Ecclesia tenetur renovare emphyteusim ob meliorationes factas, procedit etiam in emphyteusi Ecclesiastica & in alia quacumque, sive detur ad tertiam generationem, sive ad certum tempus, & etiamsi Ecclesia velit emphyteusim sibi retinere.
7. Intelligitur opinio Abb. in cap. bona. O. 2.
8. Quamvis annus petendi renovationem mero jure currat contra majorem quatuordecim annorum, & minorem viginti quinque annorum; tamen restituitur adversus negligentiam in non petendo eam intra annum.
9. Restitutio hæc minori concedenda est, etiam illo non petente, quando ex actis constiterit de minoritate, & lesione.
10. Qualitas rei attenda est, ad hoc ut sciamus meliorationes sintne magna, aut parva.

Quæstio hæc frequens est in senatu, & nostris multis in locis pertractata. Et primò in favorem monasterij facit, quòd renovatio emphyteusis Ecclesiæ non conceditur, quando ipsa Ecclesia sibi vult retinere emphyteusim, nec eam alteri concedit. ita Abb. Panorm. in cap. bona. O. 2. numero 28. de postulat. Pralat. sequitur Rip. in l. 1. numero 9. D. de privilegiis creditor. Iulius Clarus Paragrapho emphyteusis, quæstio. 43. numero ultim. Gamma decis. 41. numero 1. Caldas de renovatione, quæst. 8. num. 17. ubi plures refert, & de hac quæst. late agit.

Et per hoc dictum Abb. in d. cap. bona. limitandam esse doctrinam Bart. in l. 1. §. permittitur. D. de aqua quotid. dicunt DD. supra citati.

Quod quidem eo casu absque dubio procedit, 2 quando monasterium paupertatem, & indigentiam probat: tunc enim cessat æquitas, & injuria, de qua per Bart. dict. loco. cum charitas soleat incipere a propria persona. l. preses. C. de servitutibus, & aqua. & sic Ecclesiam non teneri hoc casu renovare, asserit Antonius Gabriel. communium opinionum libro 3. de jure. emphyteut. conclus. 1. num. 14. limitat. 4.

Secundò pro monasterio faciebat, quòd renovatio hæc, intra annum petita non fuit, ut de jure tenetur is, qui sibi renovationem faciendam fore contendit. capit. 1. quo tempore miles invest. pet. debeat. glossa in cap. Titius. per text. ibi, si de feudo defuncti fuerit content. & est communis, teste Tiraquel. de retractu. lib. 1. §. 1. gloss. 10. à num. 4. Gabriel. lib. 2. conclus. 1. num. 10. Molin. de primogeniis. lib. 4. cap. 1. num. 14. & sequitur Gamma decis. 117. numer. 2. Caldas quæst. 5. num. 11.

Pro contraria parte, nempe monasterium teneri renovationem concedere, faciunt sequentia. Et præsupponimus id, quod ex actis liquebat, antecessores rei renovationem petentis meliorationes quamplures fecisse in prædicta emphyteusi: hoc ergo casu Ecclesia renovare tenetur ex doctrina illa Bart. ut tradit Imol. in conf. 68. numer. 4. Paul. conf. 142. colum. 2. libr. 2. ne aliàs damnosa sit diligentia illi, qui prædictas meliorationes fecit. l. penult. C. de omni agro deserto. lib. 1. 1. facit gloss. ult. in cap.

ad aures de rebus Ecclesia. Dec. conf. 147. colum. ult. Rip. d. l. 1. num. 15. & de peste, fol. 20. nu. pen. & contra Abb. esse communem opinionem testatur Dec. conf. 131. & illum secutus Pauj. Paris. conf. 28. libro 1. post num. 6. Iul. Clar. ubi supra. Vaz. consult. 101.

5 Cum igitur communis sit contra Abb. sequenda est, ex Ordin. Regia lib. 2. tit. 5. in nostro regno: est namque Ecclesia justitiæ cultrix, & non debet alieno labore ditari. & ita sæpissimè judicatum fuisse testatur Caldas ubi supra, quæst. 8. num. 18. qui & ipse hanc opinionem sequitur.

6 Quæ opinio procedit in emphyteusi Ecclesiastica, & in alia quacumque, sive detur ad tertiam generationem, sive ad certum tempus, ut per Dec. conf. 28. num. 3. & 6. Rip. l. 1. num. 6. D. de privilegiis creditorum. quod etiam procedit etiam si Ecclesia sibi velit retinere, & ita esse communem opinionem testatur Dec. conf. 131. numer. 3. & consil. 328. ad finem. Iulius Clar. Paragrapho emphyteusis, quæst. 43. ad fin. facit doctrina Bald. in cap. 1. Paragrapho quia vero. qualiter olim poterat feud. alien. quem refert Aretin. in l. si mihi & Titio, col. penult. in principio. D. de verborum. facit lex 2. §. fin. D. de origine jur. & corroboratur per dict. leg. 1. §. permittitur. ubi si prædecessor duxit aquam ex publico, sit injuria, si non conceditur successor; & sic probare videtur ei aquam esse concedendam, licet res publica prætenderet eam sibi retinere: & majori cum ratione, si probentur meliorationes, quo casu dominus non potest sibi retinere, ex ratione l. fin. C. de alluvionibus.

7 Nec obstat, quòd Ecclesia sibi retinere vult, eò quòd indigentiam habet; nam hoc non procedit, quando meliorationes in emphyteusi factæ sunt, ut per Dec. conf. 131. & sic intelligenda est opinio Abbatis in d. cap. bona. O. 2.

Uterius etiam si Abb. opinio admittenda esset, eo casu intelligenda est, quo necessitas supervenit inopinata, Gam. decis. 41. aliter (ut Dec. inquit) nullus est ita dives, ut non indigeat, & semper ex hoc capite emphyteuses retinerentur, neque renovationes concederentur: hocque & æquitas summa & ratio dicat maximè, quòd de monasterij indigentia nihil probabatur, imò contrarium.

8 Non obstat etiam, quòd intra annum renovatio petita non sit: suppono namque reum in præsentis quæstione minorem esse 25. annorum, quo casu quamvis annus currat mero jure, glossa & DD. in cap. Imperialem. Paragrapho præterea. de prohibita feud. alien. contra majorem 14. annorum, & minorem 25. annorum; tamen restituitur adversus negligentiam in non petendo intra annum: cum eo ipso, quòd intra annum non petierit, læsus sit. l. interdum. D. de minoribus. & ita, quòd minoribus succursum sit adversus anni lapsum auxilio ætatis, tenent DD. in l. ult. C. in quibus causis in integrum restituitur non est necessaria. latè Caldas quæst. 5. num. 21. & sequentibus.

9 Et hæc restitutio minori concedenda est, si ex actis constiterit de minoritate, & læsione, quamvis ipse eam non petat; & in hoc iudex potest interponere officium suum etiam non petente parte, cum causæ minorum sint miserabilium personarum, & miserabilibus personis hoc fieri debet per iudices,

Cabedo Pars I.

Bald. in l. unica. C. de confessu. facit Gloss. in cap. constitutus. de religiosis domib. Avendan. respons. 3. n. 8. & vide supra, decis. 50.

Qualitas autem rei (ut hoc obiter dicam) semper attendenda est ad hoc, an meliorationes sint magnæ, aut parvæ, argum. text. in l. 3. §. divi. D. de jure fisci. facit optimus text. in l. 2. C. de prædiis naviculariorum. libro 11. ibi, quantum habeat emolumentum.

Et ita in favorem minoris judicatum fuit contra monasterium, anno 1592.

## DECISIO CCIV.

Utrum hospitalia laicorum teneantur contribuere pro expensis Seminariorum?

### SUMMA.

1. Hospitale institutum à laico, & de bonis prophanis sine auctoritate Prælati, non dicitur locus religiosus, nec Ecclesiasticus, nec subest Episcopo, nisi quoad visitationem, & exequenda onera pia; nec Seminario contribuere tenetur.

**D**Ubi extitit in senatu in mense Julij, anni 1590. circa instrumentum quoddam gravaminis interpositum ab Episcopo civitatis Portalegrensis, ad iudices Regiæ coronæ per officiales hospitalis oppidi de Arronches: volebat namque Episcopus obligare prædictos officiales, ut ex redditibus hospitalis contribuerent pro expensis Seminarij.

In favorem prædicti hospitalis, pro parte Regij procuratoris allegabatur determinatio illustrissimorum Dominorum Cardinalium ad Concilium Tridentinum, quæ sic habet:

*Hospitalia, que non fuerunt data in titulum, nec administrationem, dummodo beneficia annexa, redditus, aut proventus Ecclesiasticos non habeant, contribuere Seminario non tenentur.*

Quæ determinatio conformis est menti dicti Concilij, sess. 23. cap. 18. sub decreto de reformatione, ibi, que dantur in titulum, vel administrationem. & ibi, etiam ex quibuscumque alio Ecclesiasticis redditibus, seu proventibus. Unde patet, quòd hospitalia, & alia loca pia, quæ non habent redditus seu proventus Ecclesiasticos, non tenentur contribuere Seminario. In actis autem probabatur liquidò prædictum hospitale de Arronches, nullos proventus, nec redditus Ecclesiasticos habere: & sic non tenebatur contribuere Seminario, juxta prædictum Concilium Tridentinum.

Insuper prædictum hospitale institutum fuerat à laico, & de bonis prophanis, & sine auctoritate Prælati; & sic non poterat locus religiosus, nec Ecclesiasticus nominari, nec subest Episcopo, nisi quoad visitationem, & exequenda onera pia. Ordin. lib. 2. tit. 35. §. 41. Extravag. l. 13. tit. 2. part. 2. §. 7. concordat. §. 14. nec proinde Seminario contribuere tenebatur. Et quòd de jure hospitalia hæc fundata absque auctoritate Prælati, & de bonis prophanis à laicis non sint religiosa, nec bona eorum censentur Ecclesiastica, tradit Innoc. in cap. inter dilectos, per illum text. & ibi Abb. num. ult. de donat.

Abb. in disput. Sempronius num. 14. idem Abb. in cap. de xenodochiis. n. 3. & in cap. ad hac. n. 2. & num. ult. de religiof. domib. ubi Gardinal. in princip. num. 19. gloss. in Clement. per litteras. verb. Ecclesias. de præbendis. & in Clement. quia contingit. §. ultim. verb. altare. de relig. domib. Lopus tract. de hospitalibus, numer. 10. Felin. in cap. de quarta. numer. 3. & 9. de præscript. Rochus de jure patron. verb. Ecclesia, numer. 10. & verb. construxit. numer. 27. Gamm. decis. ultim. num. 6. Vaz consult. 105. num. 7. qui per totam videndus est.

Et sic pronuntiatum fuit in favorem hospitalis, quòd non tenebatur contribuere Seminario: & datæ sunt litteræ ad Episcopum in forma styli, Scriba Petro Almirante.

### DECISIO CCV.

An sit servanda consuetudo laicorum circa modum solvendi decimas Ecclesiæ.

#### S U M M Æ.

1. *Questio juris decimarum ad iudices Ecclesiasticos pertinet.*
2. *Consuetudo circa solutionem decimarum plurimum valet, & observari debet.*

**Q**uestio juris decimarum tamquam spiritualis ad iudices Ecclesiasticos pertinet. cap. fin. de rerum perm. Clem. dispendiosam. de iudiciis. cap. tua nobis. de decimis. tradit plures doctissimus Barbosa in l. Titia a num. 39 cum sequentibus. D. solut. matr. quod non est præsentis speculationis.

Contigit tamen tale dubium in senatu. Provisor, & Vicarius Generalis civitatis Portalegrensis, anno 1590. iussit, ut incolæ oppidi de Arronches, & illius territorij nullo modo triticum, nec quæcumque alia semina, ex quibus decimas deberent, ab areis in campo positis colligerent, antequam prædictæ decimæ per officialem, quem prioste vocant, mensurata essent, seu per illum, qui loco priosti illud ministerium exerceret; idque sub pœnis excommunicationis; & pecuniariis applicatis officiali, quem Meiriubo vocant, & fabricæ Ecclesiæ majoris.

Ab his pœnis, & oppressione, molestia, & violentia conquesti sunt prædicti incolæ oppidi de Arronches interposito instrumento gravaminis ad iudicem Regiæ coronæ.

Dicebant namque esse in possessione & consuetudine antiquissima decimandi per se, absque eo quòd spectarent prædictum officialem, prioste, nisi eo casu, quo ipse in tempore veniret, contrarium namque eis maximam oppressionem & molestiam afferbat: cum enim territorium illius oppidi esset valde maximum, & in eo quamplures essent agricolæ, si tenerentur expectare prædictum officialem adveniente hieme, triticum & omnia alia semina maximam paterentur iacturam.

2. *Cum autem præsentatum esset instrumentum gravaminis: pro parte Regij procuratoris in favorem incolarum prædicti oppidi de Arronches, allegatum fuit, quòd circa solutionem decimarum plu-*

rimum valet consuetudo. cap. cum sint homines. cap. ad Apostolica. de decimis cap. in quibusdam §. ille quippe. eod. tit. resolvit Balb. de præscript. 1. part. 5. principal. q. 7. num. 5. cap. quoniam. ubi Abb. notabil. 1. de feriis. igitur consuetudo hæc antiquissima, in qua probabant esse prædicti incolæ oppidi de Arronches, servanda erat, l. si publicanus, §. ultim. D. de public. & vect. Speculat. de decimis. num. 12. versic. ultimo quaritur. Cardin. conf. 146. per totum. Abb. in cap. ex parte. O. 2. de decimis. Rebuff. de decimis. quest. 23. num. 52. versic. sextus casus. qui omnes resolvunt valere consuetudinem, ut decimæ certo loco, & tempore solvantur, Cardin. d. conf. 146. Aymon conf. 21. & in terminis hujus quæstionis id tradit Gutier. pract. lib. 1. quest. 18. num. 2. & quest. 19. latè Avend. de exequend. mandat. libr. 1. cap. 1. n. 32. qui alios refert. tradit Barbosa ubi supra, num. 47. ad finem versic. poterit ergo, &c.

Et sic pronuntiatum fuit in favorem laicorum incolarum prædicti oppidi de Arronches, quòd talis consuetudo observaretur, nec eis prædicta violentia fieret, & datæ sunt litteræ in forma styli, 28. die Februarij, anni 1597. Scriba Petro Almirante.

### DECISIO CCVI.

Quibus casibus summarie procedi debeat contra delinquentes.

#### S U M M Æ.

1. *Reipublicæ interest crimina puniri.*
2. *Transcribitur tenor provisionis, qua jubetur, ut in aliquibus casibus contra delinquentes summarie procedatur.*
3. *Quod observandum est etiam casu, quo ex actis non ita manifestè probetur delictum, ut pœna ordinaria locus sit.*
4. *Pars offensa citari non debet, quando summarie contra delinquentem in senatu proceditur; poterit tamen, si velit, se presentare ad accusandum, dummodo summarie id faciat.*
5. *Facto processu summario in forma prædictæ provisionis, non potest revocari ab aliis diversis senatoribus, etsi contrarium illis videatur; imò id ipsum observare tenetur tamquam diffinitivum super illo articulo.*

**E**Xpedit Reipublicæ, ne delicta maneant impunita. l. ita vulneratus. D. ad l. Aquilium. cap. ut fama. de sententia excommunicat. ubi DD.

In nostro regno habemus Regiam provisionem, qua jubetur in aliquibus casibus summarie procedi contra delinquentes, tenor illius is est:

Regedor amigo: eu ei per bem, que quando acontecer algum delicto ou caso, em que pareça que se deua proceder summariamente, vos mandeis aiuntar sinco desembargadores na messa grande perante vos, & visto o caso, & qualidade delle, todo bem considerado, se parecer que se deue proceder summariamente nelle, se procedera. Mandouos que comprais, & facais cumprir este aluara como se nelle contem, Pero Sanches o fez em Syntra a seys de Julho de 1579. Rey. Contigit in senatu circa prædictam Regiam provisionem de tribus dubitari.

Primò,

3 Primò, an possit per illam procedi summarie contra delinquentes, etiamsi ex actis non probetur delictum, ad hoc, ut pœnæ ordinariæ locus sit: & decisum quòd sic; solum enim attendenda est qualitas delicti & scandalum ex illo reipublicæ ortum, ita, ut ex hoc absque dilatione, delinquens condemnandus sit secundum probationes datas, aut ordinariè, aut extraordinariè, pro quo faciunt verba provisionis, ibi, *E visto o caso, & qualidade delle.*

4 Secundò, si ex processu constiterit delinquentem habere partes offensas, an citari deberent? Decisum, quòd partes non erant citandæ ex stylo antiquo senatus, poterit tamen pars se præsentare ad accusandum, si velit, dummodo summarie id faciat in forma dictæ provisionis: & sic de stylo hoc testificati sunt prætores antiqui curiales, & decretum fuit in processu, cujus inferius mentionem faciemus.

5 Tertiò, si factò processu summario in forma dictæ provisionis coram Rectore senatus, & alijs senatoribus, non illi, qui interfuerunt decreto priori, postea fuerint iudices in casu principali, teneantur sequi id, quod per alios decretum fuerat, nempe, ut in illo casu summarie procedatur. Decisum fuit, quòd tenebantur sequi illud decretum per alios factum; etiamsi his posterioribus senatoribus contrarium visum fuisset, est enim decretum illud definitivum super illo articulo, argument. glossæ 1. in *Clement. ultim. ad finem. de appellat. Clement. 1. de causa possess. Bald. in dist. 1. 1. C. quando provocare non est necess. & facit text. in l. intra utile. D. de minor. Alexand. in rub. de re iudicata. Soar. allegat. 4. num. 9.*

Hæc omnia decreta sunt in senatu coram Prorege, 6. die Iulij, anno 1601. in processu cujusdam paltoris de Villa Boim accusati de nece domini, Scriba Ludovico de Alvarenga.

DECISIO CCVII.

An possit cognosci in senatu per petitionem gravaminis à sententia lata per Cancellarium maximum in causa recusationis, in qua iudicem pronuntiavit non suspectum?

S U M M Æ.

1. A sententia lata per Cancellarium maximum in causa recusationis, in qua pronuntiavit iudicem non suspectum, potest conqueri ad senatum supplicationis per petitionem gravaminis.
2. Intelligitur Ordin. lib. 3. tit. 22. §. 3.
3. Ordin. prædicta secuta est jus canonicum, nam de jure civili iudex ordinarius non potest in totum tamquam suspectus recusari, nec omnino removeri a causa cognitionis.

Cum Cancellarius maximus recusationem quamdam senatoris palatij solus pronuntiaret, quòd non erat suspectus, nec probabantur causæ recusationis, ad senatum supplicationis in-

Cabedo Pars I.

terpositum fuit gravamen per petitionem à tali sententia. Et dicebat supplicans, quòd prædictus Cancellarius non bene pronuntiaverat. Dubitatum fuit, an casus esset petitionis gravaminis, à prædicta sententia, possitque de ea per petitionem cognosci?

Dubium faciebat Ordin. lib. 3. tit. 22. §. 3. in illis verbis: *Sem receber appellação, nem agravo.* si enim à sententia arbitròrum non appellatur, nec supplicatur per instrumentum gravaminis, casu quo recusatum non judicant suspectum; majori ratione id concedi debebat Cancellario maximo ob eius prærogativam,

Contrarium tamen decretum fuit, nempe, quòd poterat per petitionem gravaminis conqueri, & cognosci per illam, de meritis sententiæ, ultima die Junij, an. 1581. Scriba Antonio de Aguiar, & idem antea in senatu fuerat judicatum in processu Domi Alvari da Sylveira, scriba Antonio de Aguiar, pro quo facit generalitas Ordin. lib. 1. tit. 2. §. 34. incipit, *E mandamos.*

Non obstat prædicta Ordin. lib. 3. tit. 22. §. 3. 2 nam hæc Ordin. semper intellecta fuit in casu particulari, in quo loquitur, quando partes committunt in iudicem, qui de recusatione cognoscat, juxta verba prædictæ Ordinationis, ibi, *Mande às partes que se louver en bua pessão que julgue à dita suspicção.* si enim iudex datur à Rege ad judicandam recusationem, seu aliàs est iudex ordinarius prædictæ recusationis, & iudicat per se solus, non procedit hæc Ordin. imò potest appellari, & supplicari à sententia, in qua recusatus, non iudicatur suspectus. Ita judicatum fuit in senatu in quodam instrumento gravaminis oppidi de Callello de Vide, in recusatione posita Antonio do Prado, & in altero civitatis Pacis-Juliz in recusatione posita eidem Antonio do Prado, cum ibi esset Provisor defunctorum, & in aliis.

Illud autem notandum est, quòd illa Ordin. 3 libro 3. titulo 22. Paragrapho 3. secuta est jus canonicum, & text. in cap. si quis contra clericum, de for. competent. & in cap. suspicionis, de offic. delegat. nam de jure civili iudex ordinarius non poterat in totum tamquam suspectus recusari, ad hoc ut removeretur: dabatur ei adjunctus, & ambo pariter de causa cognoscebant, ut probat text. in *Authent. si verò contigerit. C. de judic. traditur late in l. acutissimi. C. eod. tit. ubi Iason numero 4. post glossam 2. ibi, testatur & hoc communiter esse receptum Patrum. in capit. cum speciali. numero 2. de appellat. Rebuff. ad ll. Gallic. gloss. unic. artic. 6. numero 1. & ante eum Auferius in tract. de recusationibus, in principio.*

DECISIO CCVIII.

Per quæ verba censeantur feminae exclusæ à successione majoratus, per masculos remotiores?

S U M M Æ.

1. Exclusio feminae propter masculos facta à testatore per verba generalia, non porrigitur ad masculos remotiores.

2. Nisi ex aliis conjecturis, seu ratione expressa, vel tacita agnationis conservanda, contrarium colligatur.
3. Institutio de extraneo, conservanda agnationis causa facta non præsimitur, sed solum ad effectum exequenda ultima voluntatis.
4. Quod eo casu maximè procedit, ubi materia subiecta contrarium non suadet.
5. Exclusio feminarum propter masculos remotiores, utpote odiosa restringitur.
6. Exclusio feminarum propter masculos per verba generalia facta, ad solos masculos eiusdem gradus protenditur.
7. Femina, quæ deficientibus masculis succedit, jure proprio succedere dicitur, quamvis ex clarissimis institutionis verbis, femina per masculos remotiores excludantur.
8. Femina, quæ semel jure proprio in majoratu successit, propter masculos remotiores postea supervenientes majoratu non privatur.  
Dominium semel acquisitum, & radicatum sui natura perpetuum est. Ibid.  
Majoratus semel in una linea radicans, ea durante, ad aliam reverti non debet. Ibid.

Quidam testamentum condidit, & in eo majoratum instituit, in quo plures gradus successionis expressit, & illa verba adjecit, & que não seiamolher. cum ultimus successor majoratus masculus filiam feminam relinqueret, & fratrem masculum, orta lis fuit inter patruum, & feminam filiam fratris præmortui, super successione majoratus: dicebat namque patruus, per illa verba testamenti primi institutoris, feminas omnino exclusas esse per masculos etiam remotiores.

Pro parte filiarum ultimi possessoris allegabatur, quòd cum testator per verba generalia feminas propter masculos excluderet à successione majoratus, nec adjecerit expressim illas se propter masculos remotiores excludere velle, intelligendum esse exclusisse feminas tantum per masculos eiusdem lineæ, & gradus, non autem per remotiores, ita Bald. *consil.* 275. *volum.* 2. Paul. *Castri consil.* 47. *numero* 1. *libr.* 2. Alexand. *in l. si dotali.* *numero* 5. *D. solut. matrimonio.* tradunt plures relati à Molin. *de primogeniis, libr.* 3. *cap.* 5. *num.* 71. nostro verò casu femina erat filia ultimi possessoris majoratus, unde remotiorem masculum excludi non debebat.

2. Quod eo casu maximè procedit, quando ex aliis conjecturis, seu ratione expressa agnationis conservandæ, seu tacita contrarium non colligitur. Molin. *ubi supra, num.* 71. *ad finem.*
3. Quod in præsentis casu manifestè apparebat; primus namque vocatus ad majoratum non erat consanguineus instituentis, qui filios, nec descendentes habuerat, sed solum amicus erat prædicti instituentis, & ita respectu illius extraneus, & sic non potest considerari conservatio agnationis respectu instituentis; cum enim esset extraneus, de agnatione aliena cogitare præsumendum non est, ad effectum conservationis, sed solum ad effectum executionis suæ ultimæ voluntatis: & sic femina non debent censi exclusæ per remotiores masculos, sed solum per eos, qui eiusdem gradus &

lineæ essent, faciunt tradita per Pelæ de majorat. *2. part. questio.* 6. *numero* 47. qui in his terminis loquitur.

Et quamvis illud de extraneo, non cogitare de 4 conservatione agnationis alienæ, dubitationem habeat, ex traditis per Molin. *de primogeniis, libr.* 1. *cap.* 4. *num.* 43. id tamen intelligendum est, nisi subiecta materia aliud suadeat.

Confirmatur & illud superius pro parte filiarum, 5 quia exclusio feminarum propter masculos remotiores restringenda est, utpote odiosa, argum. 1. *si quando. C. de inoffic. testament.* tradit Bald. *in l. venia. numer.* 5. *C. de in iur. vocand.* Molin. *de primogeniis, libro* 3. *cap.* 4. *num.* 22. *cum sequentibus.* ubi latè de hac materia.

Unde cum hoc casu verba illa institutionis generalia fuerint, videntur intelligenda testatorem per illa feminas tantum exclusisse per masculos eiusdem gradus, non verò per remotiores.

Illud etiam allegabatur pro parte filiarum, quòd quamvis concederetur per illa verba, testatorem voluisse excludere feminas per remotiores masculos, constabat ex actis in Ægidio Vincentio nepote primi vocati ad majoratum, lineam masculinam defecisse, & prædictum Ægidium unam filiam habuisse tantum feminam, quæ mater fuerat ultimi possessoris majoratus Emanuelis de Mesquita, & actoris eiusdem fratris, Roderici Sodrinho; qui filiam fratris à prædicto majoratu excludere contendebat, quæ filia Ægidij Vincentij majoratus possessionem obtinuit jure proprio, cum masculus frater nullus extaret eo tempore; nec enim Ægidius masculos filios habuit, ut superius diximus. Et quamvis actor illam nomine filij minoris Emanuelis de Mesquita tantum possessionem majoratus apprehendisse contenderet, id non probavit.

Deficientibus ergo filiis masculis genitis ex 7 Ægidio Vincentio, filia jure proprio successit, quod admittere debemus, eo etiam casu, quo ex clarissimis institutionis verbis femina per masculos remotiores excluderentur: tradit. Pelæ de majorat. *2. part. questio.* 6. *num.* 42. qui id optimè confirmat.

Cum ergo jure proprio successerit, succedit 8 questio. An postea per masculos remotiores supervenientes, & sic in præsentis casu per filium Emanuèlem de Mesquita, mater, seu nunc per alterum filium actorem in præsentis processu, filia fratris excludi deberet? quam questionem in terminis ponit Pelæ *ubi supra, numero* 35. ubi latè de illa agit: & ex eius dictis illa videtur melior opinio, quòd femina hoc casu non privetur majoratu per masculos postea supervenientes; ex doctrina Iacobi de Belviso. Bald. & Nicolai de Neapol. *in cap.* 1. *de eo qui sibi aut hered. in feudis.* De natura namque dominiorum est, quòd sint perpetua, postquam semel sunt quæsitæ, & radicata. Soar. *allegat.* 27. *numero* 14. *ad finem.* Et sic cum Francisca Perestrela (sic enim vocabatur filia Ægidij Vincentij) fratres non habuerit masculos, & jure proprio succederet in hoc majoratu, non poterat excludi ab illo per masculos supervenientes. Pelæ *ubi supra, numero* 42. obiter Molin. *diff. libro* 3. *capit.* 4. *numero* 41. & cum majoratus semel intraverit

verit prædictam lineam prædictæ Franciscæ Pere-  
streæ: non poterat reversio fieri ad alteram lineam,  
argum. text. ubi notant DD. in l. cum uxore usu-  
fructus, C. quando dies legati cedat. & in l. i. C. de con-  
dit. insert. Oldrad. cons. 21. Gamma decis. 354. nu-  
mer. 9. Molina de primogeniis, lib. 3. cap. 6. num. 33.  
Pelaes ubi supra, num. 57.

Et per hæc fundamenta confirmata fuit senten-  
tia iudicis, lata in favorem feminæ Don. Guiomar  
filix ultimi possessoris majoratus Emanuëlis de  
Mesquita, contra patrum masculum, Rodericum  
Sodrinho, anno 1585.

## D E C I S I O CCIX.

Quis iudex possit cognoscere de delictis  
officialium commissis durante officio?

## S U M M A.

1. Præses provincie non potest cognoscere de crimine  
commissis a iudice, durante officio: & acta re-  
mittere debet ad prætorem curialem, qui hoc  
casu iudex competens est.

**I**N civitate de Tavira regni Algarbij, quidam ju-  
dex litteratus, durante officio, quemdam homi-  
nem graviter vulneravit; vulneratus coram præsi-  
de provincie querelam dedit: qui præses contra ju-  
dicem processum formavit, iudex instrumentum  
gravaminis ab eodem præside interposuit ad sena-  
tum, dicendo, non esse iudicem competentem ad  
cognoscendum de prædicta querela, sed quod debue-  
rat querelare coram prætore curiali, & præses pro-  
vincie acta remittere debuerat ad prædictum præ-  
torem curialem qui erat iudex competens in præ-  
dicto casu.

Cum in senatu instrumentum gravaminis præ-  
sentatum fuisset, pronuntiatum fuit in favorem præ-  
dicti iudicis litterati rei quod præses non poterat  
cognoscere, ut remitteret acta ad prætorem curia-  
lem competentem iudicem prædicti officialis, juxta  
Ordin. lib. 3. tit. 6. & 8. pro quo faciunt tradita per  
Avendan. de exequendis mandatis. lib. 1. cap. 11. n. 9.  
& sic factum fuit anno 1591.

Vide tamen Iulium Clarum in pract. crimin. q. 35.  
num. 21. & 22.

## D E C I S I O CCX.

An in executione sententiæ possit quis  
fori privilegium allegare.

## S U M M A.

1. In executione sententiæ, fori privilegium allegari  
non potest.
2. Refertur tenor decreti senatus.
3. In sententiis Germanorum, illorum conservator  
executor est prædictarum sententiarum.
4. In executione sententiæ nova citatio requiritur.
5. Executio sententiæ non potest committi per com-  
promissum iudicibus arbitris.

**O**rdinatio nostra libro 3. titulo 71. in prin-  
cipio, præcipit iudicibus quibus sententiæ

aliqua præsentata fuerit, ut eam executioni dent,  
quam diligentissime: de qua materia ultra ordi-  
narios in l. a divo Pio. in principio. D. de re jud. vi-  
dendus est Marant. in specul. titul. de executione sen-  
tentia a principio. Hispanus Suares in praxi. 1. tom.  
tempore 12.

Sæpè tamen occurrit illud dubium, An privile-  
giatus, contra quem exequitur sententiæ, possit de-  
clinare ad suum iudicem? & decretum fuit in sena-  
tu non semel, in executione sententiæ fori privile-  
gium non prodesse: nam cum privilegiatus renun-  
tiat privilegio fori consentiendo in iudicem non  
suum in instantia principali, ut potest facere, nisi lex  
vetet, l. penult. D. de pact. Vaz. consult. 175. num. 16.  
non potest postea in executione, tali privilegio uti:  
& sic pronuntiatum fuit 29. die Iulij, anni 1601.  
in quadam avocatoria Conservatoris Academix  
Conimbricensis impetrata per quemdam privile-  
giatum contra Guilhelmum Lince Belgam, qui in  
iudicio oppidi de Aveiro sententiam, quam obti-  
nuerat, in iudicio auditoris Basilicæ mercium civi-  
tatis Olyssipponensis executioni dabat, contra Bla-  
sium Lopez, tenor autem decreti is est:

Acordão, &c. O supplicante he aggravado pello Con-  
servador, em se pronunciar por iuiz competente na exe-  
cução de que se trata, provendo em seu agravo, vistos os  
autos, & como se trata de execução de sentença dado no  
iuizo da Alfandega contra o reo, per virtude da confis-  
são feita per seu bastante procurador, & carta de ferra-  
mento, no qual iuizo consentio: pello que na execução  
da dita sentença não pode tratar de seu privilegio: o  
que visto, & o maes dos autos mandão o Conservador  
remetta a execução da dita sentença ao iuiz da Aveiro  
donde avocou. Scriba Hieronymo de Mendoça.

In sententiis Germanorum, illorum Conserva-  
tor, qui eas protulit, prædictarum sententiarum  
executor est, Extravag. part. 1. tit. 11. l. 1. §. 1. quæ  
videnda est.

Advertendum tamen est, quod in executione  
sententiæ, citatio requiritur, Ordin. dist. libro 3. ti-  
tul. 71. in principio, & lib. 3. tit. 8. Paragrapho 14.  
ultimis verbis. Bald. in l. meminerint. C. unde vi.  
Duenh. regul. 94.

Et an executio sententiæ possit per compromis-  
sum iudicibus arbitris committi? vide Bart. ad l. non  
ex omnibus. D. de arbitris. ubi tenet, quod non. Et  
in facto sic vidi iudicatum; est namque executio  
sententiæ iudicij ordinarij. Doctores in dist. l. a  
divo Pio, in principio, D. de re judic. & in l. cum an-  
te. C. de arbitris, Marant. ubi supra, a principio. Co-  
varruv. variarum libro 1. cap. 18. num. 4. versic. addu-  
citur. Ordin. libro 3. tit. 81. §. 2. quod valdè no-  
tandum est.

## D E C I S I O CCXI.

De legibus nostri regni.

## S U M M A.

1. Leges nostri regni sunt nobis jus commune.
2. Leges regni a seipsis interpretationem assumere  
debent, non a legibus Imperatorum.
3. Rex noster potest in suo regno facere legem contra  
jus commune.

Reges Hispania habent jura Imperij. Ibid.

Officiales hujus regni non arctantur ad observantiam juris communis nec Imperatorum, in casibus decisus per leges nostri regni. Ibid.

4. Pœna per leges nostri regni imposita, tollunt pœnas legum Romanorum.
5. Cessante lege regni, recurrendum est ad stylum curiæ, & consuetudinem regni; & quid cessantibus his, remissivè.  
Consuetudo in loco, dicitur jus commune. Ibid.
6. Ultima recopilatio legum hujus regni facta fuit tempore Regis Emmanuelis, anno 1521. qui fuit eius vite ultimus.
7. Rex noster Philippus, hujus nominis primus, alteram novam legum recopilationem jussit facere.
8. In casu dubio recurrendū est ad leges regni vicini.

**L**eges nostri regni jus commune nobis sunt, Palat. in repetit. rubrica. §. 68. num. 26. in fin. Covarr. practicarum. cap. 29. num. 4. ad fin. Avendan. tit. de las excepciones. num. 1. Gamm. decis. 50. numer. 6. & 348. num. 6. Molin. de primogeniis, lib. 3. cap. 12. num. 11. ut & de constitutionibus Neapolitanis testatur Afflict. in preludio constitut. Neapolit. quest. 1. num. 1.

2. Nec possunt appellari statuta, ut dicit Bald. de Rege Angliæ, in proamio decretal. colum. 3. & in cap. cum venissem. de eo qui mitt. in possessionem, causa rei servand. & in rubric. de consuetudine. Iason in §. sed ista quidem. ubi latè Gomez. institut. de actionibus. Alciat. in tract. de verborum signific. col. 3. & idè una lex regni, debet potiùs assumere interpretationem à se ipsa, quàm à legibus Imperatorum. Anchar. cens. 93. Dec. conf. 301. & conf. 923.

3. Et Rex noster in suo regno potest facere legem contra jus commune: latè Afflict. in prelud. constitutionum Neapolitan. quest. 2. Rebuff. 1. tomo, ad ll. Gallie. in proamio. glossa 1. numer. 4. & numer. 78. & glossa 5. num. 20. ubi latè Ordin. lib. 2. tit. 5. ibi, Num embargo ante que as leis imperiaes acerca do dito caso disponhão em outra maneira. Alia Ordin. lib. 1. tit. 38. §. 5. Garzia de expensis. cap. 14. numer. 17. Reges namque Hispaniæ habent jura Imperij: notatur in cap. Adrianus. 60. distinctione. ubi glossa reddit rationem, & in cap. & si necesse, de donationibus inter virum, & uxorem. & in cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi. unde officiales regni non arctantur ad observantiam juris communis nec Imperatorum, in casibus decisus per leges nostri regni. Oldrad. conf. 69. sed tenentur servare leges, & ordinationes regni, ut dicit Ordin. dict. lib. 2. tit. 5. in principio quæ formam dat iudicibus; & semper lex regni in ore iudicum esse debet; illas namque jurant observare. Ordin. lib. 1. tit. 1. §. 4. ibi, E asi juro, & prometto que as leis, & Ordenaçõis do dito senhor, inteira, & sãamente guardarei, & as comprerei como nellas he conteudo, &c.

4. Adèd, ut pœnæ impositæ in nostris legibus, & ordinationibus tollant pœnas legum Romanorum, Thom. Grammat. conf. criminal. 35. num. 56. Felin. in cap. quia super in, num. 9. de majorit. & obedientia. Henricus tract. de synodo 3. part. artic. 1. 13. conclus. Bernard. Diaz in pract. crimin. cap. 136.

5. Cessante autem lege regni recurrendum est ad stylum curiæ, & consuetudinem regni. Ordin. dict.

lib. 2. tit. 5. in principio. nec enim ab stylo & antiqua practica recedi oportet: notat Bald. per illum text. in l. illud. D. de excusat. tutorum. latè Dec. conf. 11. decisio. Pedemontan. 22. & consuetudo in loco dicitur jus commune. Bald. in tit. de pœc. Constantia. colum. 7. verb. jus Romanorum, & in l. constitutionibus, in fine. C. de bonis qua liber. Dec. conf. 685. colum. 1. latè Rebuffus, ubi supra, glossa 5. num. 131. Cessantibus autem his, servanda sunt ea, quæ jubet Ordin. dict. lib. 2. tit. 5. per totam. quæ videnda est.

Illud autem hic breviter notandum duxi, ultimam nostram legum & ordinationum recopilationem factam fuisse tempore Regis Emanuelis felicitis memoriæ, anno ultimo eius vitæ, qui fuit 1521. quo anno obiit prædictus Rex mense Decembris, die Sanctæ Lucæ: & hoc opere completo, tam regno & Reipublicæ utili, omnibus, quæ gloriôsè regnando gesserat, extremam addidit famam.

Nunc verò Rex noster Philippus hujus nominis primus, Rex Lusitaniæ recopilationem alteram novam jussit facere, eò quòd multæ leges regni conditæ erant, post illam ultimam, quæ non erant insertæ in volumine Ordin. & ignorabantur à iudicibus, ad quarum legum recopilationem ego (licet indignus) electus fui ab eodem Rege, ut assisterem cum aliis senatoribus: in quo opere per multos annos laboravimus, & Deo dante quàm citò in manus omnium venient.

Illud etiam advertendum est, quòd in casu dubio recurrendum est ad leges regni vicini, & secundum eas judicandum, cap. olim de consuetudine cap. super eo. de censibus. Paul. conf. 164. volum. 2. & consil. 372. volum. 1. Ias. in l. de quibus, num. 6. D. de legibus. Boërius decis. 263. num. 9. Butsar. conf. 46. volum. 1. quos vide.

## DECISIO CCXII.

An sententiis senatus standum sit ad similes causas decidendas?

### S U M M A.

1. Sententiæ senatus pro lege sunt observanda, secundum quosdam.  
Senatus Principem representat. Ibid.  
Magna est vis, & auctoritas senatus. Ibid.
2. Exemplis judicandum non est.
3. Sententiæ senatus coram Principe lata, & ab eo signata in causarum similium decisione vim legis habent.  
Principis est legem condere. Ibid.
4. Sententiæ senatus lata sine presentia Regis, quamvis sub nomine Regis exeant, vim legis non obtinent.
5. Nisi in eadem facti specie ter, aut quater ita senatus judicasset; tunc enim in vim consuetudinis robur habebunt.  
Quantum temporis ad introducendam consuetudinem requiratur, remissivè. Ibid.
6. Quando agitur de intellectu alicujus ordinationis, interpretatio senatus pro lege observanda est.
7. Iudices inferiores non errabunt, si sententiam senatus sequantur, etiam semel tantum in aliquo casu latam.

In



- 1** IN hoc dubio diversæ sunt Doctorum opiniones, alij namque dicunt sententias senatus pro lege observandas esse ad similes causas judicandas, Gamma decis. 31 n. 2. ad finem, & decis. 174. n. 10. & ex professo dec. 2. 8. per totam. quod & de ienatu Neapolitano tradit Affli. dec. 45 n. 4. & dec. 69. num. 11. & dec. 383. in fin. Vincentius de Franchis dec. 81 n. 2. p. 1. pro qua opinione facit text. in l. filius. D. ad l. Cornel. de fals. ibi: sic enim inveni senatum censuisse. tradit Bald. in l. ultim. C. de legibus; senatus namque Principem repræsentat, l. 1. §. de qua autem. D. de postul. l. quominus. ubi Iason. 2. notabil. D. de fluminibus. facit text. in l. unica. D. de officio præfect. prat. ibi: credidit enim Princeps eos qui ob singularem industriam, explorata eorum fide, & gravitate, ad hujus officij magnitudinem adhibentur, non aliter judicatuos esse pro sapientia ac luce dignitatis sua, quam ipse foret judicatuus. Bart. in l. Emilius, circa fin. D. minoribus, sequitur Aymon Cravet. conf. 144. num. 20. & conf. 198 n. 7. 1. p. & est glossa ordinaria in l. non ambigitur. D. de legibus. ubi Bart. & post alios notat Rolandus conf. 69. num. 26. & conf. 17. volum. 3. Magna enim est vis, & auctoritas senatus, ut per Rebuff. in proæmio concordat. verb. summ. in principio. Ias. in l. imperium, num. 2. ad medium D. de jurisdic. omnium judic. Conan. lib. 1. commentariorum jur. civil. c. 14. Gomez. l. 1. Tauri. num. 6. Menoch. de arbitrariis, casu 68. à. num. 29.
- 2** Alij contrariam sententiam tenent, eò quòd exemplis judicandum non sit, ex text. in l. nemo. C. de sentent. & interlocut. omnium judic. l. ultim. ubi Doct. C. quibus res judicata non nocet. Osalcus decis. Pedemontana 1. n. 43. Antonius Thessaurus in decis. Pedemontana, in præfatione. n. 32. Conanus ubi supra. cap. 15. num. 7. in fin. Vaz consul. 148. num. 27.
- 3** In hac Doctorum varietate dicendum est, sententias senatus latis coram Rege, in quibus Rex signum suum posuit, ut vidimus in aliquibus, omnino ad similes causas decidendas vim legis habere, l. ultim. ubi DD. C. de legibus, Ordin. lib. 2. tit. 5. §. ultimo. cap. in causis de re judicata, Rebuffus. in concordat. in proæmio, versic. Vigesimo tertio. Affli. & Vincent. de Franch. ubi supra. Osal. d. decis. 1. n. 44. Vaz ubi supra. & ultra illos Marant. de ordin. judic. 6. p. n. 252. pag. 511. Valconcellus frater meus in suo tractatu diversorum juris lib. 3. cap. 7. n. 23. ratio hujus rei est, quia cum condere leges sit de reservatis Regi, seu Principi, dict. l. fin. c. quoad translationem, ubi glossa, & scribentes de officio delegat. Bald. in l. rescripta. C. de precibus Imperat. offerend. Platea in l. contra. C. de re militari lib. 1. 2. quos sequitur Conradus in tract. qui inscribitur, Templum omnium judic. lib. 1. §. 4. n. 7. & alibi dicemus, Deo juvante: nihil refert, an Princeps lege condita in forma legis, seu sententia lata, & per illum signata, quæ in vim legis profertur, voluntatem suam declarat super casu proposito, est enim Princeps lex animata in terris. Auth. de consulibus, §. fin. ubi glossa, Cephal. conf. 186. num. 39. Ordin. lib. 3. tit. 60. §. 1. ibi, por- que o Rey hei lei animada sobre a terra, &c. Roland. conf. 66. num. 19. & 20. vol. 2.
- 4** Si autem sententiæ senatus proferantur per se, sine præsentia Regis, eo modo, ut supra diximus, quamvis sub nomine Regis exeant, ut de stylo nostri regni fit, veluti, Dom Philippe, &c. & ad fin,

el Rey o mandou per N. do seu desembargo, &c. tur c per se sumptæ vim legis non obtinent, tradunt Doctores supra relati. Franciscus Marcus in decisionibus Parliament. quest. 75. num. 2. Nicolaus Valla in lib. de rebus dubiis, tract. 1. versicul. hoc tamen, & versic. Illud quoque, ubi allegat. l. Proculus, in §. sed licet. D. de officio præsid. Vaz d. consultatione 148. n. 27. in fine.

Hoc tamen limitandum est, nisi in eadem facti specie, ter, aut quater ita senatus judicasset; tunc enim ad casus similes eadem erit observatio, ut in specie advertit Thessaurus ubi supra, n. 32. ad finem. multum enim semper similibus causarum decisionibus jura detulerunt, cap. in causis, versicul. cum in similibus. de re judicata, l. nam Imperator, D. de legibus, ibi, aut rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere. probat Ordinatio. libro 2. tit. 17. §. fin. & tit. 5. §. penultimo, & lib. 3. tit. 67. §. ultimo. in fine. integrum namque judicium est, quòd plurimorum sententiis confirmatur. cap. prudentiam in princip. de offic. delegat. Quod intelligendum est in casibus omnino similibus, ut supra diximus, tradit notabiliter Dominicus in cap. si postquam, §. ultim. de electione. lib. 6. ita tamen, ut hoc casu potius sententiæ senatus in vim consuetudinis robur habeant, quàm legis, notavit glossa. verb. magistratus, dict. l. nemo & in l. de quibus, D. de legibus, & in dict. l. nam Imperator. tradit Aymon. conf. 201. num. 12. Doctissimus Barbofa. l. post. dotem. n. 47. D. soluto matrimonio. ubi agunt de tempore ad introducendam hæc consuetudinem necessario: quos vide.

Ultimò, limitanda est regula prædicta, quòd non habeat locum, quando de intellectu alicujus ordinationis dubitatur: eo enim casu senatus cum præfecto prætorio, poterit prædictam legem interpretari, & quòd interpretando consiterit, pro lege observabitur, ut disponit Ordin. lib. 5. tit. 58. §. 1.

Et juxta superius dicta intelligenda est l. nemo. C. de sentent. & interlocut. omnium judic. de cujus intellectu agit Gamm. d. decis. 228. licet hos casus non distinguat.

Bene verum est, quòd si senatus semel tantum judicaverit causam aliquam, non errabunt iudices inferiores, qui in simili casu prædictam sententiam sequantur, Rebuff. in proæmio Concordat. vers. vigesimo tertio. dummodo tamen prædicta sententia contra jus lata non sit, dict. l. nemo. ibi, neque consultationes, quas non ritè judicatas esse putaverit, sequendum, & ibi, Non enim si quid non bene dirimatur, hoc & in aliorum judicium vitio extendi oportet: cum non exemplis, &c.

## DECISIO CCXIII.

## De privilegiis Senatorum.

## SUMMÆ.

- 1.** Privilegia senatoribus concessa ad anguem sunt observanda. Privilegia senatorum sunt clausa in corpore juris, & non egent confirmatione aliqua, sed semper sunt in viridi observantia tamquam leges generales. Ibidem.

Privile-

- Privilegia senatorum, jure commune quodammodo censentur. Ibid.
1. Privilegia senatorum, quando & quibus verbis intelligantur derogata. Ibid.
2. Decuriones civitatum, & oppidorum non possunt senatoribus prohibere, ne triticum, hordeum, & alia hujus generis, quod velint, exportare jubeant, etiamsi talia vendita habeant aliquibus publicanis.
3. Senatores senatus Portucalensis possunt interponere gravamina ob eorum privilegia non servata, ad senatores expeditores gravaminum senatus supplicationis.
- Senatores senatus Portucalensis, etiamsi habeant pratorum specialem in suo senatu ad eorum causas decidendas, poterunt tamen coram pratore curiali petere penam (dos encoutos) contra eorum privilegia impediens. Ibid.
4. Senator supplicationis potest interponere gravamen, in materia spoliij, seu possessoriij, ad expeditores gravaminum predicti senatus, seu ad iudices Regia corona ab officiali districti senatus Portucalensis, vel coram pratore curiali novam litem inchoare.
5. Vidua uxor illius, cui ex privilegio Regio concessum fuit, ut gauderet senatorum privilegium, tributum jugationis non solvit, sicut & uxor vidua senatoris.
6. Senator titularis gaudet eisdem privilegiis, tam fori, quam omnibus aliis, sicut senator actualis.
7. Colonus senatoris, equam habere non obligatur, si tamen sponte sua eam habuerit, non potest caudel, hoc invito, talis coloni equam equum adjungere.
8. Senatores possunt in agris suis facere contada, & nullus potest in illis animalia, aves, seu pisces venando, seu piscando capere.
9. Senatores possunt prohibere pascua; quod & aliis ex Regio privilegio permittitur.
- Vicini agri, quoad privilegiati, sunt vetiti. Ibid.
- Quod in privilegiatis per privilegia clausa in corpore juris locum non habet: hi enim possunt facere pascuorum prohibitionem, & vicini non possunt uti quoad illos prohibitionem aliqua. Ibid.
10. Ordin. nostra jubet nullam vim, nec violentiam fieri in rebus ad senatores pertinentibus.
- Privilegia senatorum non censentur derogata per mandatum, seu provisionem quantumcumque specialem, nisi derogatio illorum fiat in individuo. Ibidem.
11. Famuli, & coloni senatorum in Ordinatione contenti illorum privilegium gaudent.
- Privilegium hoc an ad filios extendatur in casibus, in quibus eis applicari potest, remissive. Ibid.
12. Famuli, & coloni senatorum tenentur solvere ad refectionem murorum, pontium, & fontium, si modo reficiantur in loco, seu territorio, ubi tales degunt: secus si in loco non sui domicilij, vel territorij fiat, vel si super hoc speciale privilegium habuerint.
13. Famuli, coloni, majordomi, & alij ex familia senatorum tenentur literas privilegiorum bullatas in cancellaria habere, & eas presentare, ad hoc ut gaudeant predicto privilegio.
- Quod tamen limitatur. Ibidem.
14. Cancellarius senatus Portucalensis literas privi-

legiorum famulis senatorum illius senatus concedit: quod etiam facere debuerat Cancellarius senatus supplicationis famulis senatorum eiusdem senatus supplicationis.

15. Licet iudices, seu praesides provinciarum, & alij officiales in Ordinationibus contenti, durante officio, absque licentia Regis in jus vocari non possint: si tamen senatorum privilegia offenderint, quasi in officio delinquentes absque Regia licentia accusari possunt.
- Etsi in forma Ordinationis justificatio fiat, cogi poterunt, quod in curia personaliter compareant. Ibidem.
16. Vxores senatorum viduae gaudent maritorum privilegiis.

**M**ERITO, atque optimo jure senatoribus privilegia concessa fuerunt, quae ad unguem eis observari debere jubet Ordin. lib. 1. tit. 1. §. 15. ob continuas occupationes, quas habent in suis officiis, Ordin. lib. 1. tit. 4. in principio. §. 2. & §. 6. & tit. 5. in principio. quae privilegia clausa sunt in corpore juris, in Ordinatione libro 2. titulo 43. & ob id non egent confirmatione aliqua, quia sunt tamquam leges generales, quae semper sunt in viridi observantia, l. Arriani C. de haereticis. Glossa in proemio, Clement. verb. de cetero. & quodammodo censentur jus commune. Decius in cap. de causis, ad finem. de officio delegat. tradit doctissimus Barbosa in rubrica. D. soluto matrimonio. num. 7. qui num. 10. videndus omnino est, & sequentibus. Nec censentur derogata per aliquod mandatum, seu provisionem quantumcumque specialem, Ordin. dict. lib. 2. tit. 43. §. 13. & necessum est ad hoc ut censentur derogata, quod in individuo derogatio illorum fiat per verba, sem embargo de serem desembargo adores, & similia, aliter non censentur derogata, tradit doctissimus Barbosa, ubi supra, numero 10. circa derogationem privilegiorum in corpore juris clausorum: & hic est stylus nostri regni. Vidimus namque duas Regias provisiones derogantes privilegia senatorum, unam circa exactionem pecuniae, quae fiebat ad refectionem aggerum, in campis fluvij Tagi, & Mondæ; & in illis jubebantur in individuo senatores solvere, non obstantibus illorum privilegiis, qui ibi habebant terras ad seminandum; cum enim ad eos commodum spectaret, æquum erat, ut solverent pro sua parte: alteram circa exactionem pecuniae, ad expellendas locustas, quae innumeræ fuerunt duobus annis, depopulantes agrorum semina in Transstagna provincia, iussi sunt solvere senatores, qui ibi fundos habebant. Prior illa est in lib. 6. senatus, fol. 32. verso: & si in individuo derogata non fuerint per illa verba superius posita, nullo modo censentur derogata, quantumcumque speciale sit mandatum, dict. Ordin. lib. 2. tit. 43. §. 13.

Quia autem vidi decreta aliqua senatus antiquitatis lata in materia privilegiorum senatorum & aliam meo tempore, nonnulla hic subjungam.

In libro Elpheræ, fol. 271 est transcripta sententia quaedam lata in senatu supplicationis per Doctores Ludovicum Alfonso, & Georgium Cabral, in qua continetur, quod decuriones civitatum, & oppidorum, nullo modo impediunt, quod senatores

tores triticum; hordeum, & alia hujus generis suorum fundorum, exportare possint quò velint, etiamsi talia vendita habeant aliquibus publicanis, seu mercatoribus; & condemnati sunt prædicti officiales in expensis, quas solvere jussi sunt de suis bonis, & non de bonis reipublicæ, sive conciliorum; & lata est hæc sententia in quodam instrumento gravaminis interposito per quemdam senatorem senatus civilium causarum, ob non servatum eius privilegium.

3 Et notandum est, quòd senatores senatus civilium causarum, seu nunc senatus Portucalensis, poterunt interponere gravamina ob non servata eorum privilegia, ad senatores expeditores gravaminum senatus supplicationis, ut factum fuit in casu superius dicto. Et ita etiam poterunt coram prætore curiali petere pœnam, *dos encoutos*, contra quoscumque privilegia eorum impediens, etiamsi habeant prætorem specialem ad eorum causas decidendas in suo senatu, ex *Ordinat. libr. 3. tit. 4. §. 2.* id enim ita decretum fuit ex generalitate Ordinationis *libro 2. tit. 43. §. 5.* est autem prædictum decretum in libro viridi senatus supplicationis, *folio 112.*

4 Vidi etiam decretum 16. die Junij anni 1599. quòd senator supplicationis poterat interponere gravamen ad senatum supplicationis in materia spolij, seu possessorij, ab officiali oppidi districti senatus Portucalensis; quamvis enim districta separata sint, id non habet locum in senatore senatus supplicationis, qui habet suum judicem in prædicto senatu; & juxta subjectam materiam potest, seu ad expeditores gravaminum, seu ad judices Regiæ coronæ gravamen interponere, per *Extravagant. 1. parte, tit. 7. libro 9.* vel coram Prætore curiali novam litem inchoare. Scriba Alvaro Pereira. Et quamvis super hoc exceptiones oppositæ fuerint ex parte altera, tamen pro senatore judicavit senatus; & conducit ad intellectum *Ordin. d. lib. 2. tit. 43. §. 5.*

5 Vidi etiam decretum in judicio Regiæ coronæ, quòd uxor vidua cujusdam, cui ex privilegio Regio concessum erat, ut gauderet privilegiis senatorum, tributum jugationis non solveret, ita ut non solvat hujusmodi tributum uxor vidua senatoris ex *Ordin. dict. lib. 2. tit. 43. §. 7. juncto §. 14.* Scriba Petro Almirante.

6 Et eodem modo dicendum est, quòd ille, qui habet privilegia senatorum, ut quia titulariter (ut nostri vocant) senator est, habet eadem privilegia tam fori, quam omnia alia, quæ habet senator actualis, quamvis in illis non militet ratio *Ordinat. libro 3. tit. 4. in princip. & tit. 5. in princip.* quæ fori privilegium concessit senatoribus ob occupationes continuas in officiis, tamen non cessat ratio generalis, & mens concedentis talia privilegia, & sic semper vidi practicum: & conducunt ad superius dicta, tradita per Alvarum Vaz *consult. 12.*

7 Vidi etiam decretum, quòd quamvis coloni senatorum non obligentur habere equam, juxta *Ordin. dict. lib. 2. tit. 43. §. 8.* & à tali onere excusentur per dictam Ordinationem; si tamen eam habuerint sponte sua, non poterit caudel illius loci, in quo colonus habitat, eo invito, equum deputatum ad jungendum equabus, talis coloni equæ adjungere.

Ita judicatum fuit in quodam instrumento gravaminis Gasparis Alfonsi coloni Comitis de Basto, qui privilegiis senatorum gaudet, ex privilegio Regio; cum senatus supplicationis esset in oppido de Arruda mense Junij, anno 1599. Scriba Alvaro Pereira.

Ex *Ordinat. dict. libr. 2. tit. 43. Paragrapho 11. 8* concessum est senatoribus facere in agris suis *contados*, (ut nostrorum verbis utar) & nullus potest in illis animaha venando capere. Dubitatum fuit, an comprehendantur aves, & pisces, ita ut nullus possit aves in senatorum agris venando capere, nec pisces in fluminibus, seu lacunis, paludibus, & stagnis? Decretum fuit, quòd aves comprehendantur, & pisces, in illa Ordinatione, ex traditis per Doctores in *§. jus naturale*, ibi, *omnium animalium. D. de justitia, & jure.* & ibi Bartholomæus de Capua, & eius additionator, & facit *Ordin. lib. 5. tit. 11. in principio*, ibi, *como nos rios, & a lagoas de peixes, & aves.*

Possunt etiam senatores prohibere pascua. *dict. 9* *Ordinat. Paragrapho 11. juncta Extravagan. part. 2. titulo 6. libro 4.* Non obstante Ordinatione *lib. 5. titulo 111.* de qua videndus est Vaz *de jure emphyteut. quest. 8. numer. 43. ver. & ex prædictis*, ultra Avendanum *de exequend mandat. libro 1. cap. 4. numero 32.* Chassaneum *de Burgundia rubric. 11. §. 7. a num. 1.* Guidonem *decis. §. 14.* Et notandum est circa hoc, quòd etiamsi ex dict. Ordinatione *lib. 5. tit. 111. §. 3.* aliqui habeant ex privilegio, quòd possint facere *contados*, vicini agri quoad privilegiatos sunt etiam vetiti, seu *contados*, hoc non procedit in privilegiatis per privilegia clausa in corpore juris, ut sunt senatorum; hi namque possunt facere prohibitionem, & vicini non possunt uti quoad illos prohibitionem aliqua, nec prædicta Ordinatio *dict. §. 3.* locum habet in senatoribus: & ita judicavit senatus in instrumento gravaminis senatoris Balthazaris de Afonseca contra decuriones oppidi de Portalegre, anno 1566. & hoc planè sentit prædicta Ordinatio, ibi, *per nosas cartas, & privilegios*, ubi de privilegiis impetratis loquitur, & non de privilegiis clausis in corpore juris, & vide supra *decis. 151. numer. 9.*

Per illam Ordinationem *libro 2. titulo 43. Paragrapho 11.* quatenus prohibet nullam vim, nec violentiam fieri in rebus ad senatores pertinentibus, judicatum vidi, Regium diploma, quo prohibitum erat, ne quis venderet sal nisi per distributionem in oppido de Setuual, non comprehendere senatores, cum in individuo in eodem Regio diplomate eorum privilegiis derogatum non fuisset: fuit latum arrestum anno 1599. vim enim suis rebus facit, qui eis liberè res suas vendere prohibet. argument. text. optimi in *cap. ultimo. de immunitate Ecclesiarum libro 6.*

In privilegiis autem senatorum illud continetur, ut eorum famuli, coloni, & alij contenti in *Ordin. libro 2. titulo 43. Paragrapho 3. & 4. & aliis*, illis utantur, forma contenta in prædictis *Ordinat. de quo vide DD. in l. 1. C. de Episcop. & Cleric. Lucam de Penna in l. in filiis. D. de decurionibus. libro 10. Oldrad. conf. 11. Dec. in l. 1. in omnibus. D. de reg. jur. DD. in reg. privilegium. de reg. jur. lib. 6. Capic. decis. 12. Boer. decis. 213. n. 6. & 7.*

Menoch. *casu* 336. num. 10. Doctissimum Barbo-  
sam in l. *quia tale. D. soluto matrimonio*, ubi latè, quod  
an etiam ad filios extendatur in casibus, qui eis ap-  
plicari possunt, apud Doctores supra relatos vi-  
debis.

12 Quæstionis tamen est: utrum famuli, & coloni  
senatorum, & alij contenti in §. 2. illius Ordinationis  
libro 2. tit. 43. teneantur solvere ad refectionem  
murorum, pontium, & fontium, & videtur, quòd  
teneantur solvere, ut est Ordin. lib. 2. tit. 39. §. ult.  
juncto §. 4. hujus Ordinationis tit. 43. libr. 2. Sed  
distingendum est, quòd si muri, pontes, & fontes  
reficiuntur, seu fiant de novo in loco, seu territo-  
rio loci, ubi tales degunt, & domicilium habent,  
tunc tenentur solvere, ut est expressa Ordin. lib. 1.  
tit. 47. §. 1. Si autem fiant in alio loco, seu ter-  
ritorio, in quo isti non habent domicilium, ex-  
cusantur à tali solutione, ut est Ordin. dict. lib. 2. ti-  
tul. 47. §. 1. nisi & super eo speciale habuerint pri-  
vilegium, & vide Avendanum de exequend. man-  
datis, libro 2. c. 14. & ante eum Guidonem Pap.  
decis. 376. & 403. & vide Extravagant. 2. part.  
tit. 6. libro 5.

13 Illud autem notabis, quòd famuli, coloni, &  
majordomi senatorum tenentur litteras privilegio-  
rum petere, & habere bullatas in Cancellaria;  
aliter, etiam si allegent esse senatorum famulos, &  
colonos, non eis proderit, ut privilegiis utantur, nisi  
litteras habeant. Sic judicatum fuit in senatu: pro  
quo decreto facit Ordin. lib. 2. tit. 39. in principio,  
ibi, *despois que as ditas cartas per nos l'he forem outor-  
gadas, & passadas pella Chancellaria.* & facit etiam  
Ordin. lib. 1. tit. 15. in principio, & lib. 2. tit. 26.  
§. 56. ad finem.

Quod tamen limitandum est, nisi senator ipse  
nomine proprio agat pro conservacione privilegio-  
rum suorum famulorum, & colonorum: tunc enim  
non tenetur ostendere chartas privilegiorum, quod  
probat Ordin. lib. 2. tit. 43. §. 11. cum enim sena-  
tor causam, & accusationem reassumat, sufficet  
docere illos esse famulos suos, & colonos: secus  
erit, si coloni & famuli agant nomine proprio; tunc  
enim chartas privilegiorum ostendere tenentur  
bullatas, ut diximus, & sic servat stylus.

14 Illud autem notandum est, quòd Cancellarius  
senatus civilium causarum, seu nunc senatus Por-  
tucalensis has litteras concedit senatorum famulis  
illius senatus ex decreto libri secundi Espheræ folio  
347. quod ita fieri debebat per Cancellarium se-  
natus supplicationis, famulis senatorum hujus se-  
natus: quo enim tempore Cancellarius maximus  
hoc faciebat, erat etiam Cancellarius senatus sup-  
plicationis, & postea distincta sunt officia, tem-  
pore Regis Ioannis III. anno 1534. & ita hoc  
emendandum erat.

15 Illud etiam notandum est, quòd quamvis per  
Ordin. lib. 3. tit. 8. & 9. iudices, seu præsides pro-  
vinciarum, & officiales contenti in illis Ordinationi-  
bus, non possint in jus vocari, absque licentia  
Regis, durante tempore, quo officiales sunt; si  
tamen eo tempore, privilegia senatorum offende-  
rint, possunt in jus vocari absque licentia Regis ad  
petitionem solum senatoris: ratio est, quia delin-  
quunt in officio, quo casu limitantur illæ Ordina-  
tiones, ut in illis continetur; cum enim tamquam

officiales teneantur servare privilegia senatoribus;  
juxta Ordin. lib. 1. tit. 43. §. 12. si id non faciunt  
delinquent in officio, & crimen committunt, &  
tamquam rei criminis absque licentia accusari pos-  
sunt. dict. Ordin. ibi, & *se os achar culpados, & ne-  
gligentes,* & sic servat stylus, & practica. Imò si fiat  
justificatio in forma illius Ordinationis, quòd non  
servarunt privilegia, possunt juberi, ut personaliter  
compareant in curia, ut vidimus jam factum.

Uxores autem senatorum viduæ gaudent mari-  
torum privilegiis, dict. Ordin. tit. 43. §. 14. l. *femina.*  
D. de senatoribus. Palat. in rubrica. §. 31. num. 6. Guido  
decis. 379. Tiraq. de nobilitate. cap. 18. num. 3. & di-  
ximus aliqua superius, decis. 98. Hæc pauca collegi  
ex multis quæ dici poterant in hac materia.

## DECISIO CCXIV.

### De Advocatis.

#### S U M M Æ.

1. *Advocatorum officium per quam utile est reipublica.*
2. *Advocati antequam admittantur ad officium advo-  
cationis exercendum in senatu supplicationis,  
examinandi sunt in forma, quam jubet Ordina-  
tio.*
3. *Numerus advocatorum in senatu supplicationis  
quotus erat & quotus nunc est.*
4. *Graduati in aliqua Vniversitate, antequam munus  
exercerent in senatu civilium causarum, seu  
nunc in senatu Portucalensi, examinabantur:  
secus si graduati erant in Conimbricensi Acade-  
mia: de stylo tamen omnes examinantur.*  
*Advocatis senatus civilium causarum prohibitum  
erat advocare in causis pendentibus in senatu  
supplicationis, & è converso. Ibidem.*
5. *An qui Advocatum offendit ratione officij resistentiam  
committat?*  
*Injuria ratione officij, personæ, & gradus multum  
atrox efficitur. Ibidem.*
6. *Advocati curiales extra curiam conveniri non pos-  
sunt: alios tamen ad curiam trahere ( nisi pro  
salaris sibi debitis ratione advocacionis, seu pa-  
trocinij ) non possunt.*
7. *Advocatus pro paupere cliente patrocinari compen-  
dendus est.*
8. *Quando duo famosi Advocati sunt in curia, non po-  
test unus ex litigantibus omnes suscipere; quòd  
si faciat, poterit altera pars unum ex illis petere.  
Patronus non cogitur patrocinari pro inimico, vel  
contra se, vel contra suos. Ibidem.*
9. *Procurator recusari non potest.*
10. *Inimicus contra inimicum advocare potest.  
Senatus tamen contra judicavit. Ibidem.*
11. *Advocati quo ordine proponere debeant in audito-  
rio, remissivè.*
12. *Procuratores Regij in partibus, omnes alios, licet  
antiquiores, precedere debent, in loquendo, &  
sedendo in auditorio.*  
*Sollicitatores causarum Regis in curia omnes ad-  
vocatos precedere debent, si Regius procurator  
in auditorio non extiterit. Ibidem.*
13. *Advocati non possunt infornare senatores in domo  
sua,*

sua, nec in illorum domos intrare, durante lite, in qua patrocinantur.

Intelligitur l. 1. C. de officio civil. judicium. Ibid.

14. Advocare, seu postulare quibus prohibeatur, remissive

Advocati, quibus patrocinari prohibitum est, an possint in domo sua privatim consulere? remissive. Ibidem.

15. Advocatus uni ex partibus consulere, & pro altera patrocinari non potest.

Hoc quomodo intelligatur, remissive. Ibidem.

16. Acquisita per Advocatum quasi castrensia censentur.

17. Advocati non possunt interesse questionibus, seu tormentis reorum, quibus patrocinantur.

**A**Dvocatorum officium perquam utile republicae est, & necessarium. l. laudabile. C. de advocat. divers. judic. l. advocati. C. cod. tit. Ordin. Regia libro 1. tit. 38. in princ. tradunt Afflict. in constitut. Neapolit. rubr. 80. Avil. pratorum. cap. 36. vers. Abogados, numero 1. Hispanus Suares in praxi, annotat. 4. & 5.

2. Ad hoc autem, ut in senatu supplicationis admittantur ad officium advocacy exercendum, examinandi prius sunt, juxta Ordin. ubi supr. in principio, & datis oppositionibus examinandi sunt, in forma qua jubet Extravag. 1. part. tit. 21. l. 3. de quo examine agit etiam l. nemini. C. de advocat. divers. judic. l. 1. tit. 16. lib. 2. nova recopilat. legum Castella.

3. In senatu autem supplicationis olim per Extravagant. vigintiquatuor erant Advocati, postea triginta per l. dominic. §. 29. nunc per Regiam provisionem ad quadraginta eorum numerus excrevit.

4. In senatu autem civilium causarum quando Olyssipponense erat, graduati in aliqua Universitate examinabantur, priusquam in illo senatu munus exercerent, Ordin. dict. tit. 38. §. 1. quod si erant graduati in Academia Olyssipponensi, seu nunc in Conimbricensi, id necessarium non erat, dict. §. ad finem. Sed de stylo semper vidi in illo senatu omnes, etiam graduatos in Academia Conimbricensi, examinari, & nunc id etiam fit in senatu civitatis Portucalensis. Et per l. dominicanam. §. 22. & 23. Advocatis senatus civilium causarum prohibitum erat advocare in causis pendentibus in senatu supplicationis, & e converso: & vide etiam illam legem in §. 21. 24. 25. & 26. in materia Avocatorum.

5. Illud autem notandum est, quod per Extravagant. 1. parte, tit. 21. l. 2. & in annotatiunculis positus in fine, fol. 2. verso. de advocatis inquiritur, inquit namque lex (sunt officiales justitiae.) Per quae verba ortum fuit dubium in senatu; an qui ratione officij Advocatum offendit, resistere dicatur? si enim officiales sunt justitiae, resistentia dicitur offensa illis ratione officij facta: Ordin. lib. 5. tit. 36. §. 2. & tit. 66. Contrarium tamen judicatum fuit, quia solum ad illum effectum, ut de illis inquiratur, officiales justitiae dicuntur, non ut contra eos committatur resistentia, ut videre est ex enumeratis in dict. Ordinatione. Bene verum est, quod ratione officij, & personae, & gradus, multum atrox dicitur injuria, §. Atrox. cum materia Institut. de injuriis. Quod notabile est.

6. Quando advocati curiales sunt rei, non possunt

Cabedo Pars I.

conveniri extra curiam, Ordin. libro 3. titulo 5. in principio, ibi, procuradores non tamen possunt in causis, in quibus sunt actores, ad curiam trahere quemquam, nisi pro salariis sibi debitis ratione advocacy, seu patrocinij praestiti, Ordin. libro 5. tit. 4. §. ultimo; licet meo tempore quidam doctus Advocatus per illam Extravagantem, quae eos officiales justitiae vocat, & per verba Ordinationis, libro 3. tit. 4. in principio, ibi, officiales de justitia, volebat ad curiam citare quemdam, cum quo litigare volebat; sed apud me non obtinuit, cum Cancellarius essem senatus supplicationis: Ordin. enim illa loquitur de aliis officialibus justitiae, ut in ea est videre.

Cogitur autem Advocatus pro paupere cliente 7 patrocinari, de qua materia vide Palat. in rubric. Paragrapho 6 §. num. 43. Menchac. de successione. Paragrapho 2, numer. 128. Covarruv. practicarum, cap. 6. num. 4. Symanc. de Cathol. institut. tit. 5. n. 5. Apud nos tamen, cum pauperes carcerati per ministros confratrie sanctae & pie Misericordiae liberentur, habent Advocatum deputatum ad patrocinandum pauperibus carceratis, & ei salarium solvunt, quod sat pie fit in nostro regno, & cum summa diligentia.

Et quando sunt duo Advocati famosi in curia, 8 non potest unus ex litigantibus omnes suscipere, quod si faciat, potest aliter ex litigantibus unum petere ex illis, Ordin. dict. lib. 1. tit. 38. §. 6. glossa in l. 1. verb. Non habebunt. D. de postulando. quae notabilis est, & per illam vidi in senatu excusari quemdam Advocatum petitem ab una parte, eo quod dicebat Advocatus, quod illa pars erat ei inimicus; non enim cogitur pro inimico patrocinari, ut nec contra se, nec contra suos, l. petitionem C. de advocat. diversor. judiciorum. & ibi Bald. argum. text. in l. amicissimos. D. de excusat. tutor. Antonius Peregrinus de jure fisci, lib. 6. tit. 2. num. 8.

Vidi tamen in senatu quemdam velle recusare 9 Regium procuratorem: dicebat namque quod erat sibi inimicus praedictus Regius procurator: sed non fuit admissa talis allegatio; nec enim in procuratore recusatio cadit.

Item inimicus contra inimicum non prohibetur patrocinari, imò eo casu minus suspectus erit parti, cui patrocinatur, & meliori animo (ut est hominum natura) contra inimicum patrocinabitur; & diversum est pro inimico patrocinari: cum enim cliens Advocati domum adire debeat, ad eum informandum, dict. Ordin. tit. 38. §. 36. non est conveniens, ut inimicus cliens inimici patroni domum adeat, & hoc posterius vult glossa d. l. 1. verb. non habebunt D. de postul.

Bene verum est, quod in senatu judicatum jam 10 vidimus, quod inimicus Advocatus contra suum inimicum non patrocinetur, in processu oppidi de Nisa de Ioanne Afonso contra licentiatum Hieronymum Rodriguez, decima-nona die Martij, de 602. & refert sententia jam in alio casu simili ita judicatum fuisse.

Quo autem ordine Advocati curiales in auditio 11 rio debent proponere, declarat l. dominic. §. 24. & ante eam Ordin. lib. 1. tit. 77. in principio.

Vidi tamen in senatu judicatum, quod procuratores 12 Regij in partibus, qui pedanei dicuntur,

R

ad

ad differentiam procuratoris Regij generalis, Rebuff. in concordatis 1. tom. fol. mihi 91. in loquendo & sedendo omnes alios licet antiquiores præcederent, in instrumento gravaminis licentiati Francisci Viera civitatis Visentis: est processus apud scribam processuum Regiæ coronæ.

Imò in curia vidi decretum, quòd sollicitatores causarum Regis, quando Regius procurator in auditorio non est (qui mos jam abolevit) præcederent omnes Advocatos in loquendo, eò quòd vices ibi gerant procuratoris Regiæ coronæ, & Regij patrimonij, & ob id prius proponere debent.

13 Advocati non possunt senatores in domo informare, nec in illorum domos intrare, durante lite, in qua patrocinantur, sub pœnis contentis in Ordin. lib. 3. tit. 35. in principio, quæ lex lata fuit per Regem Edoardum, anno 1434. die decima Julij, ut constat ex libello senatus, folio 23. & rationem adfert, porque não occupassem aos desembargadores em largas audiencias sem proveito nenhum, pella qual erão estorvados de ver, & estudar os feitos que avião de livrar, sunt verba legis; & vide Ordin. lib. 1. tit. 38. §. 31. in fine, facit l. 1. C. de officio civil. judic. quæ sic intelligenda est.

14 Quæ autem personæ postulare, advocareque prohibeantur, vide in Ordin. lib. 1. tit. 38. §. 17. & lib. 3. tit. 34. Avilez ubi supra. c. 3. & facit Ordin. lib. 1. tit. 39. §. 36. & lib. 5. tit. 57. §. 1. ad finem.

Utrùm autem Advocati, quibus est prohibitum advocare, possint in domo sua privatim consulere: vide Bartol. in l. 1. D. de postulando, & ibi additio. Alexand. Bernardum Dias in pract. cap. 59. Alciat. conf. 91. num. 4.

Non possunt item Advocati uni parti consilium præstare, & advocare pro altera parte, sub pœnis contentis in Ordin. libro 5. tit. 55. & vide glosam in ultim. D. de postulando, & ibi DD. Avendum de exequend. mandat. libro 1. cap. 2. numero 29. & vide Ordin. lib. 1. tit. 78. quod quomodo intelligendum sit, vide optimè per Marcum Anton. Peregrinum de jure fisci, ubi supra, num. 11. quem omnino lege.

Habent autem aliqua privilegia, ut per Peregrinum, ubi supra, num. 15. inter quæ illud unum est, quòd acquisita per Advocatos quasi castrensia censentur, l. fori. & ibi glossa. C. de Advocat. divers. judic. Anton. de Quesada in quest. jur. cap. 7. numero 3.

Non possunt autem Advocati interesse quæstionibus, seu tormentis reorum, quibus patrocinantur, l. reformationis. Paragrapho 10. Bartol. in l. legis virtus, numer. 1. D. de legib. sed solùm præsentibus esse debent personæ numeratæ in d. §. 10. l. reformationis. Et vide de materia Advocatorum in d. l. & sequentibus. tit. 16. lib. 2. nova recopilationis legum regni Castella.

FINIS.



ARRESTA

# ARRESTA SENATUS.

Studiosis Lectoribus.



**R**EM gratam studiosis me facturum existimavi, si nostri senatus Arresta aliqua, idiomate Lusitano scripta, hic adjungerem, quod & ante nos fecerunt auctores aliqui; id autem si displicuerit, non ea mihi mens est, sed omnibus placere; interim ea legite.

## ARRESTUM I.

**O**uve duvida, estando el Rey em Almeirim, & a casa da supplicação em Santarem, se se podia aggravar per petição do Corregedor que estava con a Corte em Almeirim pera a casa da supplicação: e determinou el Rey que não, e que elle nome aria pessoas pera quem se aggravasse.

E no mesmo tempo aconteço adoeecer o Corregedor da Corte mais antigo que andava com el Rey, & foi servir o outro Corregedor da Corte menos antigo que andava na casa.

*Quod nota ad Ordin. lib. 1. tit. 5. §. 12. si aliquando casus contingat.*

## ARRESTUM II.

**A**Cerca da Ordin. lib. 1. tit. 39. §. 6. in vers. (E esto) Hè de notar que este §. se entende nos feitos entre partes, em que elle mesmo falla, porque nos feitos da devassa que o Corregedor tirou na terra onde foy por correição, & nella achou culpados estes officiaes, de que falla este §. estes taes manda livrar, & leva os processos, & vão os que manda livrar com elle. *ista est antiqua practica hujus Ordinationis in hoc §.*

## ARRESTUM III.

**F**Oi determinado em Rellação que no caso do Ord. lib. 1. tit. 43. §. 7. na quellas palauras (tome effromento de agravo pera o Iuiz dos nossos feitos) que vindo algum feito destas materias, per appellação tambem pertencia ao Iuiz dos feitos del Rey: em hum feito dos tecelóis de Montemor.

## ARRESTUM IV.

**A**Cerca da Ordin. do libr. 1. tit. 44. §. 1. ibi (e bem assi tirarão inquirição devassa sobre arrancamento darma na Igreja, ou precisão, ou em qualquer lugar onde estiver, ou for o Corpo do Senhor posto que hi não aia ferimento.)

Hè de notar que arrancamento em procissão, ainda que nella não vâ o corpo do Senhor, hè caso de devassa, por hum assento da relação da casa da supplicação que està no livro verde. fol. 127.

*Cabedo Pars 1.*

ção da casa da supplicação que està no livro verde. fol. 127.

## ARRESTUM V.

**D**Eterminouse na Rellação, que os feitos sobre forças de serventias urbanas pertencem as justças ordinarias, & não aos Almotaccis, & foy hum assento que se tomou per ante el Rey, que està no livro da esphera. fol. 359.

E no desembargo do paço, se determinou que os feitos sobre as serventias rusticas do termo de Lisboa, pertencião as justças ordinarias, & não ao iuiz das propriedades, no anno de 601. & foy ouvido o Syndico da cidade.

*Quod conducit ad Ordin. lib. 1. tit. 49. §. 25.*

## ARRESTUM VI.

**V**I duvidado se se diz commetter falsidade per hum escrivão acerca do que escreve no protocollo, & alguns dezião que não, & assi se determinou, ex traditis per Salon. conf. 13. Porem, não carece de duvida, pella approvação, & authoridade que a ley daa aos ta es protoccollos, ex Ord. lib. 1. tit. 60. §. 1. mas a primeira opinião he mais benigna.

## ARRESTUM VII.

**A**Cerca da Ord. do lib. 1. tit. 63. §. 26. foi determinado, estando a Rellação na Golegaã que se não entendião os seis meses de que esta Ordenação falla, quando o feito està na mão dos advogados.

Tambem se julgou que os dous mezes do espaço, ou ferias, se não contam pera effeito de se contarem os seis meses, & se citar a parte, visto como no espaço não hà audiencias.

 fructus. *verb.* *Restitutio.*  
*Fuga à carcere*, licet delictum sit tantum quia prohibitum, & puniatur, licitum tamen est è carcere aufugere. *dec.* 58. num. 5.  
 fugiens factus clericus, qui laicus captus est. *verb.* *Clericus.*  
 fugitivus. *verb.* *Servus.* & *verb.* *Monachus.*  
*Furiosi*, impuberes, dementes, & mente capti testamentum facere non possunt. *dec.* 97. n. 3. & his parentes substituere possunt ad exemplum pupillaris. *ibid.* n. 4.  
 furiosus non potest facere procurationem, quia nec voluntatem, nec consensum habet. *dec.* 97. nu. 6. & ad notarios non pertinet judicare de sana mente. *ibid.*  
 furiosus filius, in patria potestate constitutus, curatorem habere non potest. *dec.* 99. n. 7.  
*Furii* actione conventus si delato juramento jurat se non rapuisse non concludit se liberatum. *dec.* 34. n. 16.

G.

**G**abella non solvitur de sententia de præcepto de solvendo, stante statuto, quod de sententia condemnatoria solvatur gabella. *dec.* 16. n. 6.  
 super gabellæ solutione decretum senatus Portucalensis. *dec.* 11. n. 20.  
 gabella ex contractu nullo non debetur. *dec.* 18. n. 4.  
 gabella non solvitur pro dote æstimata. *dec.* 104. n. 6.  
 gabellam, seu decimam an teneatur solvere clericus exemptione ædium, quas emit ad locandum, licet redditus convertat in suum usum. *dec.* 189. n. 1. & 2. & quando censetur emere ad suum usum. *ibid.* n. 2. & 3.  
*Generalis* regula non debet violari per regulam accidentalem, & non multum necessarium. *dec.* 32. n. 5.  
*Glandis* appellatione omnes arborum fructus continentur. *dec.* 126. n. 2.  
*Gratia* facta per solam signaturam valet, nec requiritur de substantia, quod sint de ea litteræ confectæ, aut expeditæ. *dec.* 3. n. 6.  
 gratia facta requiritur scriptura ad probationem tantum, non ad essentiam. *ibid.* n. 6.  
 gratia Papæ potest probari per testes attento jure communi: fecus de stylo curiæ. *ibid.* n. 6.  
 gratia ut valeat sufficit solum concessio per verbum fiat. *ibid.* n. 6.  
 gratia facta & signata à Principe etiam litteris de ea confectis non valet in nostro regno, nisi prius in Can-

*Index Partis I.*

cellaria litteræ sint expeditæ. *ibid.* n. 7.  
 à gratiæ factæ tempore solvuntur annonæ civiles (vulgo tenças.) *dec.* 8. n. 31.  
 gratia. *verb.* *Data.*  
*Gravamen* seu interlocutoriam potest iudex à quo revocare, de jure communi intra quatuor menses, de jure nostro intra decem dies, parte citata. *dec.* 59. n. 3.  
 gravamina intra quem terminum presentari debeant. remissivè. *dec.* 59. n. 9.  
 per gravaminis instrumentum cognosci debet, quando agitur de incomperentia iudicis. *dec.* 156. n. 1. & 2.  
 per gravaminis petitionem an possit conqueri ad senatum supplicationis à sententia lata per Cancellarium maximum, in qua pronuntiavit iudicem non suspectum. *dec.* 207. n. 1.  
 gravaminum causæ, *verb.* *Expeditores.* *verb.* *Prætores.* *verb.* *Senatores.* *verb.* *Curiales.*  
*Gubernator* civilium causarum olim rector etiam justitiæ vocabatur. *dec.* 1. n. 16. & quis primus fuit appellatus gubernator justitiæ in eod. senatu. *ibid.* n. 16.  
 gubernatores civiles curiæ, & rectores justitiæ non pauci fuerunt litterati, quorum nomina ponuntur. *dec.* 2. n. 3.

H.

**H**abitus malus tollitur per triennium, & cessat præsumptivè. *dec.* 55. n. 2.  
*Heres* creditoris debet prius legitimare suam personam, ut possit agere, alioquin caret actione. *dec.* 33. num. 5. & *dec.* 197. n. 6.  
 heredes mortui rei sufficit solum citari, nec actor tenetur facere articulos habilitationis: secus si actor moritur, vel non prosequitur causam, quia tunc vel suorum heredum habilitatio est necessaria, vel ipsi heredes rei possunt se habilitare. *dec.* 197. n. 11.  
 heredum personæ, quamvis instantia litis in eos transeat, debent prius legitimari. *ibid.* nu. 6. & in materia, quid in aliis successoribus. *verb.* *Successor.* *verb.* *Citatio.* *verb.* *Instantia.* *verb.* *Mortuo.*  
 heres eandem personam cum defuncto habere censetur. *dec.* 33. n. 6.  
 hereditatis quæstio, vivente patre tractari non potest. *dec.* 43. n. 2.  
 hereditate nondum adita, nullum jus considerabile quæritur. *dec.* 109. n. 2. & adeundi jus non est in bonis. *ibid.*  
 hereditatem repudiare potest pupillus auctoritate tutoris interveniente, si tamen hereditas jam sit in bonis pupilli, decretum iudicis necessarium est. *ibid.* n. 2.  
 hereditatem Ecclesiæ repudiare non potest Prælati sine solemnitatibus à jure requisitis. *ibid.* n. 4.  
 hereditas ipso jure acquiritur Ecclesiæ. *ibid.*  
 hereditatis renuntiatio in scriptis fieri debet. *ibid.* n. 5.  
 hereditatem simpliciter adiens tenetur debita defuncti exolvere, & factum ejus approbare, etiam si ex hoc plus amittat, quam ex testamento consequatur. *dec.* 134. n. 2.  
 heres filius tenetur alienationem emphyteusis à patre factam approbare. *ibid.* n. 3. & *verb.* *Filius.*  
 heres non tenetur confecto inventario ultra quantitatem bonorum, quæ ex hereditate capit, quod si inventarium non fecit, tenetur pro quota. *ibid.* n. 4. & idem in filio, qui se immiscuit hereditati. *ibid.* n. 5.  
 hereditatem paternam potest filius pro parte adire, & pro parte repudiare. *ibid.* n. 5.  
 heres, qui tenetur restituere, & sic rationem reddere, si inventarium non fecerit, videtur esse in dolo. *dec.* 136. n. 3. & idem in satisfactione legatorum. *ibid.* idem si heres contra formam statuti requirentis inventarium, illud recuset. *ibid.*  
 heredes non remouentur à successione si cogant uxorem ad inventarium, etiam si testator eos removeat à successione si contra fecerint. *dec.* 136. num. 7. & in materia. *verb.* *Inventarium.*  
 ab herede facta alienatio usque ad quartam valet, ubi bona sunt pro indiviso. *dec.* 146. n. 1.  
 de hereditate alterius fratris, frater disponere non potest, nisi prius illam acquirat. *dec.* 164. n. 2.  
 de hereditate patris pactum post ejus mortem inter ipsos dividenda, non valet, etiam causa dotis, nec libera testandi facultas patri aufertur. *ibid.* n. 4.

# I N D E X.

de hereditate viventis pactum non valet, nisi ipse consentiat in contractu, & in eodem consensu perseveraverit usque ad mortem. *ibid.* n. 5.  
 hereditatem renuntians, vel donans, in qua successurus erat ab intestato, illa privatur tamquam indignus, & fisco applicatur. *ibid.* n. 5. quod in filio renuntiante procedit. *ibid.*  
*Hypothecatus* censetur fundus ex quo alimenta præstantur. dec. 149. num. 2. idem in beneficio, vel commenda pro debitis pensionibus. *ibid.* num. 3. idem in emphyteusi. *ibid.* n. 4.  
*Hospitale* institutum à laico sine auctoritate Prælati non dicitur locus religiosus, nec subest Episcopo nisi quoad visitationem, & exequenda opera pia, nec Seminario contribuere tenetur. dec. 204. n. 1.  
 ad hospitandum nemo invitus compellitur, nisi ad id ex officio teneatur. dec. 93. n. 2.

## I.

**I**gnorantia legis probari non potest per juramentum partis, licet in aliis casibus juramentum partis de ignorantia admittatur. dec. 184. n. 5.  
 ignorantia legis. *verb. Lex.*  
*Impedito* non currit tempus. dec. 28. num. 2. & dec. 76. numer 5. & impedito non currit annus, quando annus utilis est. *ibid.*  
 impedito qui potuit impedimentum remove, currit tempus. dec. 30. n. 5.  
*impedito. verb. Tempus.*  
*Impetratio. verb. Prius. verb. Data. & verb. Revisionis impetratio.*  
*Incarceratus* dicitur datus sub fidejussoribus: secus ille, qui chartam securationis sumit. dec. 67. n. 1.  
 incarcerari non debet ille de quo querela data fuit, absque eo quod summarium testium fiat. dec. 56. n. 1.  
 ab Incendio ut quis se liberet, potest vicinas ædes destruire. dec. 93. n. 2.  
*Includens* lex certos casus, alios excludit. dec. 43. n. 1.  
*Incompetentia* lata sententia, est interlocutoria, & per instrumentum gravaminis expediri debet, & non per appellationem. dec. 156. n. 1.  
 super incompetentia judicis, iudex ipse jurisdictionem non habet, sed ab illo supplicari potest. dec. 48. n. 2.  
 incompetentiæ exceptio. *verb. Exceptio.*  
*Incontinenti* quid fieri, vel non, iudicis arbitrio relinquatur. dec. 172. n. 4. & quando dicatur incontinenti quid fieri. *ibid.* num. 5.  
*Indignus* hereditate fit, qui hereditatem viventis renuntiat, vel donat; in qua ab intestato successurus est. dec. 164. n. 5.  
*Indulgentiarum* bullæ. *verb. Bulla.*  
 ob Infamiam arcetur quis à tabellionatus munere. dec. 71. num. 4.  
*Inferiores*, contra legem statuere non possunt. dec. 61. n. 6. 7. & 8. nisi subjecta materia, aut verba rescripti aliud suadeant. *ibid.* n. 3. & 4.  
*Infinitas* est vitanda. dec. 168. n. 2.  
*Injuria* ratione officij, personæ, & gradus multum atrox efficitur. dec. 214. n. 5.  
 injuriarum actio an civilis, an criminalis sit. dec. 14. n. 7.  
*Inopes* non sunt eligendi ad officia publica. dec. 2. n. 2.  
*Inquisitio* contra aliquem fieri non debet, nisi infamia præcesserit: inquisitio autem generalis, etiam non præcedente infamia, fieri potest. dec. 78. n. 2.  
 inquisitiones non solum permittuntur, sed etiam jubentur à iudicibus fieri. *ibid.* n. 1.  
 inquirere de criminibus, & visitare possunt Archiepiscopi suam provinciam, etiam si non appareat de negligentia suffraganeorum. *ibid.* n. 2.  
 inquirere potest superior etiam nulla præcedente infamia, quando delictum est notorium. *ibid.* n. 3.  
 inquirenti iudici generaliter vel specialiter, an testis teneatur revelare delictum secretum, de quo solus scit. dec. 79. n. 1. 2. & 3. vide *verb. Testis.*  
*Insinuatio* non requiritur in donatione causâ dotis, alimentorum, vel alterius piæ causæ. dec. 135. n. 6.  
*insinuatio. verb. Donatio.*  
*Institutio* de extraneo, conservandæ agnationis causâ facta

non præsumitur, sed solum ad effectum exequendæ ultimæ voluntatis. dec. 208. n. 3. & 4. & *verb. Majoratus*, institutioni adjecta forma, conditio, & voluntatis expressio, censetur repetita in substitutionibus successivè sequentibus. dec. 143. n. 24.  
*Instrumentum* in quo quis promittit certam summam, nisi aliter ex calculo appareat, liquidum est, & executionem meretur. dec. 62. n. 6.  
 instrumentis dierum apparitionum potest pars uti in supplicationibus ordinariis. dec. 40. n. 2. is contra quem dici apparitionibus instrumentum recipitur, expectatur intra tres dies, quos (de Corte) vocant. *ibid.* n. 10.  
*Instantia* litis, quamvis transeat in heredes, tamen, ut iudex possit procedere in causâ, debent personæ eorum legitimari. dec. 197. n. 6. & 11. & vide *verb. Heres*  
 instantia transit activè in Prælaturam successorem, ubi actus est nomine Ecclesiæ, seu dignitatis. dec. 198. n. 1. secus si actum fuit nomine proprio. *ibid.* n. 2. & quid in successore in commenda. *ibid.* n. 1. & quid in successore majoratus. *ibid.* n. 6. & quid in novo donatario successore alterius donatarij. *ibid.* n. 7.  
 instantia transire debet in successorem, quando res, vel actio necessariò transit. *ibid.* n. 5.  
*Interdicti* unde vi, annus utilis est. dec. 82. n. 6.  
 interdictum unde vi intentans duo tenetur probare, possedisse, & spoliatum fuisse. dec. 172. n. 1. & an competat commendatario, qui mortuo vicario possessionem ædium cepit, & à vicario successore statim vi dejectus fuit. dec. 172. n. 6.  
*Interesse* singulare actoris nõ solet considerari. dec. 69. n. 4.  
 ad interesse an teneatur, qui promissionem contra jus non adimplet. dec. 138. n. 5.  
 ad interesse non tenetur, qui culpam non commisit. dec. 8. num. 24.  
*Interlocutoria* causæ sunt levis momenti, & in illis minoribus non conceditur restitutio, nisi notabiliter læsi sint. dec. 20. n. 5.  
*Interpretatio* fit contra eum, qui potuit apertius jurare, & juramentum declarare tamquam contra probantem ambiguit. dec. 34. n. 24.  
 interpretari debent strictè statuta exorbitantia, & prohibitoria. dec. 106. n. 9.  
 interpretatio illa amplectenda est, per quam magis reducitur ad jus commune. dec. 74. n. 5.  
*Intestatus*. vide *verb. Testamentum.*  
*Inventarium* bonorum clerici mortui, qui filios minores reliquit, ad iudicem pupillorum pertinet facere. dec. 81. num. 1.  
 inventarium bonorum Episcopi vita functi, & ejus bona defendere à latrocinij, quæ ejus morte contingunt, ad officium iudicis secularis spectat. dec. 84. n. 1.  
 inventarium an teneatur facere Episcopus tempore suæ promotionis eorum, quæ ipsè ex patrimonio, vel alio titulo acquisivit. remissivè. *ibid.* n. 5.  
 inventario non confecto heres tenetur pro quota, sed si inventarium fecerit non tenetur ultra quantitatem bonorum, quæ ex hereditate capit. dec. 134. n. 4.  
 inventarium cogitur uxor facere etiam si testator expressè vetuerit, ne id faciat. dec. 136. n. 1.  
 inventarium. *verb. Heres. & verb. Testator.*  
*Iudex* à quo potest interlocutoriam, seu gravamen revocare, de jure communi intra quatuor menses, & de jure regni intra decem dies, parte citata. dec. 59. n. 3.  
 iudex ad quem potest revocare attentatum, vel innovatum, appellatione pendente. *ibid.* n. 4.  
 iudicem potest eligere actor ad actionem suam prosequendam, quando reus habet plures iudices jure communi; si autem ex privilegio, tunc reus eligere debet. dec. 54. n. 2. & si eligat non poterit iterum variare. *ibid.* n. 7.  
 iudicem potest eligere persona miserabilis conventa ab alia, simile privilegium habente. *ibid.* n. 12.  
 iudicem eligere non possunt exempti, qui privilegio miserabilium personarum non gaudent, sed actoris est electio. *ibid.* n. 16.  
 iudex potest scribere acta coram se in causis modici præjudicij. dec. 60. n. 2.  
 iudex potest esse, simul & notarius de mandato summi Pontificis, aut Principis non cognoscentis superiorem. *ibid.* n. 4.  
 iudici

- judici justè procedenti tenemur obedire. Intellige, ut  
dec. 79. n. 5.
- super judices, qui olim dicebantur. dec. 11. n. 23.
- judex in causa principali est judex in accessoriis. dec. 17.  
num. 3.
- judici facta donatio an valeat. remissivè. dec. 19. n. 11.
- judex potest esse advocatus alicujus, in causa penitus di-  
versa. dec. 20. n. 2.
- judex ob levia non solet suspectus judicari, maximè si sit  
vir integræ, & probatæ fidei. ibid. n. 4.
- judices discordantes in summis, in minorem consentire  
videntur. dec. 7. n. 3.
- judex, qui tulit sententiam, privativè, habet jurisdictionem  
etiam super appendicibus executionis. dec. 22. n. 1.
- judex speciatim datus ad certas causas cum ordinario po-  
test concurrere: secus cum illo qui privativè habet ju-  
risdictionem ad certas causas, & si eum illo cognoscat,  
nihil agit. ibid. n. 2. & 3.
- judex de cujus jurisdictione dubitatur, si se pronuntia-  
verit judicem, tenebit judicium, & potest procedere  
non solum ad missionem ex primo, & secundo decre-  
to: sed etiam ad sententiam diffinitivam, in casi-  
bus in quibus litis contestatio necessaria non est. ibid.  
num. 6.
- si judex competens est tam in possessorio, quàm in petito-  
rio, conventus super proprietate alicujus rei non po-  
test actorem super possessione ejusdem rei coram alio  
judice convenire. dec. 32. n. 2.
- à judice Regiæ coronæ Portugalensi ad quem supplica-  
tur. verb. *Supplicatio*.
- judex executor an possit cognoscere in causis criminali-  
bus de exceptionibus oppositis. dec. 47. n. 1.
- judex tenetur adimplere precatoriam seu requisitoriam  
judicis deprecantis, & exceptiones coram illo proposi-  
tas debet remittere. dec. 49. n. 1.
- judex deprecatus est merus executor. ibid. n. 2.
- judex tenetur litteras commissionis inserere in litteris re-  
quisitoriis, si non constat de jurisdictione illius. ibid.  
num. 2.
- judicis datio adversus eum, qui in rebus humanis non est,  
invalida est. dec. 197. n. 3.
- judices arbitri minorem habent jurisdictionem, quàm  
ordinarij. dec. 41. num. 2. & possunt cognoscere, an  
casus contineatur in compromisso. ibid. num. 2. quod  
procedit, etsi ex tali pronuntiatione interesse præten-  
dant. ibid. n. 3. præcipuè si viget consuetudo, ut in hoc  
regno. ibid. n. 4.
- judices electi non eximuntur ab onere tutelæ ante ele-  
ctionem in junctæ. dec. 25. n. 3.
- judex Ecclesiasticus tam ordinarius, quàm delegatus po-  
test requirere auxilium brachij sæcularis. dec. 9. n. 3.
- quod conceditur etiam si de nullitate sententiæ Eccle-  
siasticæ judicis opponatur, & exceptiones ad judicem  
Ecclesiasticum remittuntur. ibid. n. 4.
- de judicis Ecclesiastici incompetencia in hoc casu excep-  
tiones admittuntur. ibid. & in materia. verb. *Auxi-  
lium*.
- coram judice Ecclesiastico reus conventus super contra-  
ctu usurario, potest reconvenire actorem super posses-  
sione coram judice laico. dec. 32. n. 6.
- in judicem Ecclesiasticum laicus non potest consentire  
in casibus, quibus jurisdictione ad judicem sæcularem  
pertinet. ibid. n. 6.
- & quid si per reconventionem agatur. ibid. n. 8.
- judex Ecclesiasticus, & Prælati possunt imponere pœnam  
pecuniariam laicis. dec. 85. n. 1.
- judex Ecclesiasticus non potest arrestare debitum in ma-  
nibus laici. dec. 86. n. 2.
- ad judices Ecclesiasticos pertinet cognitio, si agatur de  
materia peccati. dec. 87. n. 5.
- judex Ecclesiasticus, qui de matrimonio cognoscit, po-  
test in consequentiam judicare de causa dotis. dec. 125.  
n. 4. 5. & 7.
- judex Ecclesiasticus residuorum, per quos officiales pos-  
sit citare ad executionem testamentorum. dec. 157. n. 1.  
& 2.
- judices sæculares cognoscunt in certis casibus de causis  
exemptorum. dec. 17. n. 1.
- judex sæcularis an possit personaliter punire clericum in  
minoribus, qui habitum, & tonsuram reassump-  
sit, postquam præventus est à judice sæculari. dec. 58.  
num. 8.
- judex laicus potest desinare quæstionem facti, & non ju-  
ris, de re spiritali. dec. 82. n. 2. & potest cognoscere de  
spolio intra annum & diem. ibid. n. 1. & 3.
- judex sæcularis cognoscit de causis circa servitia famulo-  
rum Archiepiscopi, & Episcopi vita functi, ut eis debi-  
tum salarii persolvatur. dec. 84. n. 4.
- judices ordinarij cognoscunt, an sua sit jurisdicção, &  
pronuntiant super exceptionibus sui fori declinatorij,  
& incompetentiæ. dec. 41. n. 1. & quid in delegatis. ibid.  
num. 2.
- judex ordinarius incompetens an possit punire testem  
coram eo falsum deponentem. dec. 77. num. 3. & quid si  
clericus coram judice laico falsum testimonium dicat.  
ibid. n. 9. & quid si judex sit delegatus à Principe, an  
possit punire testem falso jurantem: & quid si delega-  
tus sit ab inferiori. ibid. n. 4.
- judex. verb. *Officium*. verb. *Jurisdicção*. & verb. *Incompe-  
tentia*.
- judices inferiores infra, verb. *in judicando*.
- judicia, & sententiæ sunt de jure civili. dec. 12. n. 3.
- judicia juris publici esse dicuntur, & propter publicam  
utilitatem jure gentium instituta sunt. ibid. n. 5.
- judicium ubi cœptum, ibi finire debet. dec. 25. n. 2.
- etsi iudicio plenario sententia secundum petita, & non  
ultra proferri debeat, in summatim tamen attendendum  
est, an secundum facti narrationem, & probationem  
lata sit. dec. 72. n. 3. & 4.
- à iudicio summatim partes non censentur recedere, nec  
ad libellum attendi debet, nisi tamquam ad simplicem  
facti narrationem. ibid. n. 5. nisi expressè partes iudicio  
summatim renuntient. ibid. n. 5. & vide verb. *Sum-  
marie*.
- iudicio executivo sibi competenti an præjudicet pars,  
quæ eodem casu via ordinaria egit. ibid. n. 6.
- in iudicando opinio communior sequenda est. dec. 133.  
num. 11.
- iudicandum non est exemplis. dec. 212. n. 2.
- in iudicando si iudices inferiores sententiam senatus se-  
mel in uno casu latam sequantur, non errabunt. ibid.  
num. 7.
- iudicium statim cessat mortuo uno ex litigantibus. dec.  
197. n. 1.
- iudicium famil.erciscundæ. verb. *Diviso*.
- Jurisdicção* improrogabilis quæ sit. dec. 21. n. 1.
- jurisdicção iudicis data ad universitatem causarum, etiam  
inter certas personas potest prorogari de partium con-  
sensu. ibid. n. 5. & de jure nostro statim ut pars contra-  
dicat fit jurisdicção improrogabilis. ibid. n. 5.
- jurisdicção ubi est prorogabilis, qui citatus coram suo ju-  
dice non comparet, & non opponit declinatoriam, an  
videatur in iudicem consentire. ibid. n. 6. & 8.
- de jurisdicção si dubitat citatus debet comparere ad  
allegandum privilegium. ibid. n. 7.
- jurisdicção ubi est prorogabilis exceptio incompetentiæ  
non potest opponi, si talis jurisdicção fuit prorogata.  
ibid. n. 9. si tamen est improrogabilis, etiam post tres  
sententias potest opponi. ibid. n. 10.
- jurisdicçãois prorogatio iudicis causarum Indiæ quomo-  
do intelligatur. ibid. n. 11.
- jurisdicçãoem iudicis quando excedunt summæ petitiæ  
ab actore in libello, diversis actionibus, an cumulandæ  
sint, ut sciamus, quod jurisdicçãoem excedunt. dec. 21.  
n. 1. 2. & 3. & sequentibus. & vide verb. *Conventi*. verb.  
*Appellatio*.
- jurisdicção est quid reale. dec. 35. n. 2.
- jurisdicção ordinaria non debet frustrari, nec minui per  
delegatam. dec. 168. n. 2.
- jurisdicçãois præventio. verb. *Præventio*. & verb. *Citatio*.
- jurisdicção. verb. *Judex*.
- Jus commune* apud nos sunt Ordinationes Regiæ. dec. 54.  
n. 3. & verb. *Ordinationes*.
- contra jus commune statuere non possunt Prælati infe-  
riores. dec. 61. n. 7. & 8.
- ius tertij non licet allegare, nec de eo opponere: nisi sit  
exclusivum juris agentis. dec. 63. n. 1. 2. & 4. vel is qui  
allegat, jus illud habeat à tertio. ibid. n. 3.

# I N D E X.

jus tertij potest allegari, quando nullitas actus ipso jure inducitur. *ibid.* num. 5. secus si voluntas tertij requiratur ad nullitatem actus. *ibid.* num. 6. & *ibid.* multa exempla.  
 jus superveniens de novo actori lite pendente prodest illi, si causam habeat de præterito. *dec.* 120. n. 11. & *quæ* n. 13. & 14. & in materia. *verb.* *Lite pendente*, & *verbo*, *Privilegium*.  
 juri accrescendi an sit locus, in legato alimentorum, vel donatione. *dec.* 145. n. 4. & 5.  
 jus commune servatur in casibus, quos leges Regiæ non decidunt. *dec.* 161. n. 1. & *dec.* 211. n. 3.  
 juri adhuc non competenti nullus visus est renuntiare. *dec.* 173. n. 3.  
 juri alicui quæsitto Princeps non intelligitur præjudicare. *dec.* 5. n. 3.  
 nisi in provisione Regiæ de eo expressa mentio fiat cum derogatione. *ibid.* n. 7.  
 juri alterius Princeps potest præjudicare, quando id non principaliter facit, sed causative. *dec.* 132. nu. 3. & *vide* *verb.* *Princeps*.  
 ad jus commune officiales hujus regni non coarctantur in casibus decisus per leges regni. *dec.* 221. n. 3.  
 jus piscandi. *verb.* *Piscandi*, & *verb.* *Venandi*.  
 jus primogenituræ. *verb.* *Primogenitura*.  
 jus spirituale. *verb.* *Præscribere*.  
 jus decimandi. *verb.* *Decimarum*.  
 jura Regalia. *verb.* *Regalia*.  
*Inquisitio* unde dicatur. *dec.* 188. n. 1.  
 à jugationis tributo excusatur terra, ex qua pensio solvitur Regi. *ibid.* n. 3. quod intellige, quando per ipsum emphyteutam, qui pensioem solvit, terræ arantur, & colliguntur, secus si seminandas alteri tradiderit. *ibid.* num. 4.  
 jugationis tributum solvit semper, & omni casu terra, ex qua pensio solvitur privatae personæ. *ibid.* n. 6.  
 à jugationis tributo excusantur agricolæ monasterij Alcobacis ex privilegio: & prædictum privilegium tantum comprehendit colonos partiaros, non autem emphyteutam. *ibid.* n. 7. 8. & 9.  
*Juramentum* habet vim plenæ probationis. *dec.* 34. n. 20.  
 juramento decisorio an standum sit, etiam in qualitate, quæ præcisè non concludit jurantem non esse debitorem. *ibid.* 34. n. 1.  
 juramento à parte delato, creditur juranti non solum circa principale debitum, sed etiam circa qualitatem adjectam, qua concludit se non esse debitorem. *ibid.* num. 2.  
 juramenti decisorij quæ sit vis, & quos producat effectus. *ibid.* n. 2.  
 jurans se non esse debitorem ex duplici causa; altera sterilitatis, altera læsionis, an absolvendus sit. *ibid.* n. 3.  
 jurans se debere ex contractu, sed liberatum ob sterilitatem non concludit se liberatum. *ibid.* n. 5. & quid in jurante se non debere ob læsionem ultra dimidiam. *ibid.* num. 9.  
 jurans se non rapuisse conventus actione furti, non concludit se liberatum. *ibid.* n. 16.  
 jurans simpliciter se non dare oportere conventus ex stipulatu judicatum solvi, poterit iterum conveniri actione judicati. *ibid.* n. 17.  
 jurans se non teneri de constituta pecunia conventus ex mutuo non liberatur. *ibid.* n. 18.  
 jurans debet certitudinaliter, & præcisè jurare, nec sufficit si dicat se putare, aut credere non debere. *ibid.* n. 19.  
 juramentum continens causam ambiguum, sicut probatio incerta, & ambigua, non relevat jurantem. *ibid.* n. 20.  
 juramento delato si quis falsum juret contrarium amplius probari non potest, nec de veritate debiti queri. *ibid.* num. 21.  
 de juramenti tamen qualitate potest conqueri, an sit legitime, & concludenter juratum. *ibid.* n. 21.  
 jurantis non esse debitorem, causa & qualitates concludentes ponuntur. *ibid.* n. 22. & quæ non sufficiunt. num. 23.  
 contra jurantem qui potuit apertius juramentum declarare sit interpretatio, tamquam contra probantem ambiguum. *ibid.* n. 24.  
 juramentum defertur parti in supplementum probatio-

nis, quando semiplenè probavit senatorem esse suspectum. *dec.* 45. n. 1.  
 juramentum deferre licitum est in omnibus casibus, ubi semiplenè fuit probatum, exceptis his in quibus specialiter prohibetur. *ibid.* num. 2. & quinquagintaseptem fallentias remissivè ad prædictam regulam, vide *ibid.* num. 3.  
 juramentum an possit deferri recusanti, quando causa recusationis potest afferre infamiam recusato. *ibid.* n. 5. & quid judicatum sit. *ibid.* n. 6.  
 juramentum partis, licet in aliquibus casibus admittatur, quando agitur de ignorantia, non tamen admittitur, si agatur de ignorantia legis. *dec.* 184. n. 5.

## L.

**L**æso ultra dimidiam non potest intelligi, si justa pensio non exprimat. *dec.* 34. n. 10.  
 si læsio in conductione interveniat, locator potest eligere vel rescissionem contractus, vel reductionem ad justam pensionem. *ibid.* n. 11.  
 læsione enormissima interveniente, an debitor audiendus sit, non obstante clausula in scriptura posita, quod non audiatur, quod ad debitum deponat. *dec.* 37. n. 5. & quid si agatur remedio l. 2. C. de rescind. vendit. *ibid.* n. 5.  
 læsio enormissima quæ dicatur. *dec.* 70. n. 1. & 2.  
 læsione enormissima data, venditio propter dolum censetur facta. *ibid.* n. 3.  
 læsione enormissima data perpetuo agi potest, nullaque præscriptio procedit. *ibid.* n. 3. & quemadmodum venditor agere potest, ita & ejus heres. *ibid.* n. 2.  
*Laicorum* statutum inductum in adjutorium observantiæ Sanctorum, & non per modum superioritatis est observandum. *dec.* 87. n. 9.  
*laicus* judex. *verb.* *Judex*, & *verb.* *Chapuis*.  
*Laudemium*. *verb.* *Emphyteusis*.  
*Legatus*, si non data opera in legationem sit missus, à causis antea inchoatis interim excusatur. *dec.* 24. n. 4.  
 legatum servitij, an concubina possit petere. *dec.* 116. n. 3.  
 legatum morte testatoris statim recta via transit in legatarium. *dec.* 109. n. 3.  
 legatum Prælati repudiare non potest, sine solemnitatibus à lege requisitis. *ibid.* n. 4.  
 legatum alimentorum, an transmittatur ad heredes, quando res certa legatur pro alimentis, & in eo an detur jus accrescendi. *dec.* 145. n. 3. 4. & 5.  
 legatario, cui legaverat testator tertiam partem bonorum, si postea vivente testatore plura bona sunt acquisita, an etiam tertia ex bonis acquisitis ei debeatur. *dec.* 108. n. 9.  
*Lex* antiqua, quando ponit unum casum specialem, lex nova generaliter corrigens, non censetur corrigere casum illum specialem, nec ad illum se extendere. *dec.* 11. num. 6.  
 lex nova specialiter debet corrigere legem antiquam. *ibid.* num. 11.  
 lex nova intelligi debet secundum antiquam. *ibid.* n. 6.  
 leges absque justa causa per Principem revocari non possunt. *dec.* 12. n. 17.  
 lex intelligitur secundum materiam tituli, in quo posita est. *dec.* 33. n. 2.  
 lex ubi non distinguit, nec nos distinguere debemus. *dec.* 47. n. 1 & *dec.* 108. n. 1.  
 lex specialis in uno casu ad alium extendi non debet. *dec.* 100. n. 2.  
 lex correctoria juris communis non debet extendi. *dec.* 100. n. 4.  
 lex ut dicatur favorabilis attendendum est ad principalem illius legis effectum. *ibid.* n. 10.  
 à lege proveniens macula illegitimitatis & obstaculum succedendi, lege etiam tolli potest. *dec.* 100. n. 11.  
 lege quando aliquid fieri permittitur, intelligitur, nisi alia lege fieri prohibeatur. *dec.* 114. n. 13.  
 lex quemadmodum intelligitur in casu expresso, etiam intelligenda est in simili casu, ad quem extenditur. *dec.* 170. n. 2.  
 lex animata est Princeps, & Principis est legem condere. *dec.* 212. n. 3.  
 legis ratio vel ampliat, vel restringit dictum legis. *d.* 24. n. 2. legca

noviter lata in Cancellaria maxima ligant in partibus transactis tribus mensibus à die publicationis, in curia verò, transactis octo diebus. dec. 184 n. 1.  
 leges ut subditos ligent, earum receptio de essentia non requiritur. ibid. n. 2.  
 legis ignorantia quando admittatur quæ regulariter non admittitur post legis promulgationem. ibid. n. 3.  
 & quid si lex ob aliquas causas ignorantes etiam comprehendat. ibid.  
 legis ignorantia à poenis in ea contentis non excusat, quando communiter scitur. ibid. n. 4. & ad probandam ignorantiam juramentum partis non sufficit, sed requiritur probatio ordinaria. ibid. n. 5.  
 ex legibus abrogatis non potest sumi argumentum ad declarationem causarum. ibid. n. 6.  
 leges noviter compilatae, sine emendatione, additione, seu declaratione antiquarum, novae non dicuntur, sed antiquae. ibid.  
 legis nostri regni sunt nobis jus commune. dec. 211. n. 1. & verb. *Ordinationes*.  
 leges nostri regni à seipsis interpretationem assumere debent, non à legibus Imperatorum. ibid. n. 2.  
 legem contra jus commune potest facere Rex noster, in suo regno. ibid. n. 3.  
 legibus nostri regni poenae impositae, tollunt poenas legibus Romanorum impositas. ibid. n. 5.  
 lege regni cessante, recurrendum est ad stylum curiae & consuetudinem regni, & quid his cessantibus remissivè. ibid. n. 5.  
 legum nostrarum recopilatio ultima facta fuit tempore Regis Emanuelis, anno 1521. qui fuit ejus vitae ultimus. ibid. n. 6.  
 legum novam alteram recopilationem Rex noster Philippus hujus nominis Primus jussit facere. ibid. n. 7.  
 ad leges regni vicini in dubio recurrendum est. ibid. num. 8.  
 legis vim non obtinent sententiae senatus: secus si coram Principe latae sint & ab eo signatae. dec. 212. numer. 1. 2. & 4. & vide in materia. verb. *Senatus sententia*.  
 lex, verb. *Stylus*. verb. *Princeps*.  
 lege, Diffamari, C. de Ingeniis, & manumiss. an possit agi super filiatione. dec. 43 n. 1. & casus certi praedict. legis. ibid. remissivè.  
 Legitima filiorum suppleri debet ex bonis, & substantia patris. dec. 108. n. 2. & in aliis rebus vel pecunia non coguntur supplementum accipere. ibid. n. 5.  
 in legitimis filiorum nullum gravamen, nec conditio praedicta ponitur. ibid. n. 6.  
 legitimis filiorum non praedictabit, quod testator prohibeat rei alienationem. ibid.  
 legitima quando assignatur in rebus per filium optatis, debet eas eligere civili modo, & secundum arbitrium boni viri. ibid. n. 9.  
 in legitimam suam rem dotatam à patre potest filius computare, si id possit fieri sine praedicta aliorum filiorum. ibid. n. 3.  
 legitimam assignare potest pater in vita filio. dec. 127 num. 6. & licet utitur verb. *Dono*, non requiritur insinuatio, in quantum non excedit legitimam. ibid. num. 8.  
 legitima sobole existente tam pater, quam nepos naturalis de jure communi avo non succedunt. dec. 100. n. 5. & vide verb. *Filius legitimus*.  
 legitimatus à Principe ad successionem patris fit etiam legitimus omnibus agnatis. ibid. n. 16.  
 legitimatio patris legalis ex vi magis comprehensiva, quam extensiva comprehendit filium, & sic nepotem respectu avi. dec. 100. n. 16.  
 legitimato filio de jure Regio succedit soror non legitima, una cum aliis sororibus legitimis. dec. 35. n. 5.  
 Leuca quomodo commensurari debeant in facto agitata fuit. dec. 13. n. 4.  
 leucas mensurari jussit Rex Sebastianus in Transagana regione, & in aliis. ibid. n. 4.  
 Libellus alternativus non potest esse regulariter. dec. 62. num. 3.  
 libelli verba ambigua in favorem libellantis sunt interpretanda. ibid. n. 3.

libellus quando alternativus esse non potest, actor eligit, & libellum ad certam summam petitionem adaptare potest. ibid. n. 4.  
 libelli supplicatorij qui sint apud nos. dec. 1. n. 8.  
 libelli supplicatorij gratiae apud nos expediuntur in senatu palatii. ibid. n. 14.  
 Liber homo si ab hostibus redimatur, tenetur redimenti, vel ad pretium redemptionis, vel ad operas quinque annorum. dec. 194. n. 7.  
 libertatis datio non inducitur ex verbis enuntiativis. dec. 186. n. 1.  
 libertas sicut semel praestita non revocatur, ita non censetur data per ea, quae domini non manumittendi causa cum servis suis agunt. ibid. n. 2.  
 libertatem an consequatur servus habitus pro derelicto. ibid. n. 3. & 4. verb. *Servus*.  
 Lite pendente exceptio de novo superveniens quomodo cumque potest opponi. dec. 24. n. 3. & jus superveniens lite jam coepta prodest actori. dec. 110. & n. 11. & 12.  
 ad litem jam coeptam extenditur, & prodest statutum tribuens privilegium, non inducendo actionem, sed exceptionem. dec. 24. n. 5. & verb. *Privilegium*.  
 & quid in viduis, & in minoribus 14. vel duodecim annorum, an ad suos judices possint trahere lites jam coeptas. dec. 25. n. 8.  
 lis pendere dicitur statim post factam citationem, vel litis contestationem. dec. 120. n. 1. & nova citatio filij requiritur ut lis pendere dicatur, quamvis instantia in eum transeat. ibid. n. 13.  
 lite pendente potest Rex privare vasallum Ecclesiasticum jurisdictione alicujus castri, si Regiam donationem, aut alium titulum non offendat. ibid. n. 3.  
 lite pendente jus novum impetrans attentatum non committit. ibid. n. 13. & an impediatur litis pendentiae renovationem, seu nominationem emphyteusis. ibid. num. 18.  
 lis pendere necessarium est saltem per citationem, ut attentata revocentur. ibid. n. 14.  
 litis contestatio in judicio revisorio quomodo inducatur. dec. 144. n. 1.  
 per litis contestationem efficitur quis malae fidei possessor, & fructus veniunt. dec. 155. n. 1. & restituere tenetur debitor ea quae tempore litis contestatae habiturus esset petitor. ibid. n. 2. & verb. *Fructus*.  
 litis decima. verb. *Decima*.  
 litis instantia. verb. *Instantia*.  
 ex litibus solent oriri maximae inimicitiae. dec. 178. n. 1.  
 Locatio contrahitur ubicumque suscipitur officium interveniente mercede. dec. 8. n. 11.  
 locans operas pro aliquo tempore totius temporis mercedem accipere debet, licet eas non praestiterit, si tamen per eum non steterit. ibid. n. 12.  
 locatio ad decennium dicitur alienatio. dec. 92. n. 1.  
 locare ad longum tempus non potest emphyteuta sine consensu domini. ibid. n. 2.  
 locator non potest expellere conductorem ad longum tempus ob non solutam mercedem in primo anno: imò tenetur expectare biennium, si res conducta sit Ecclesiastica, si prophana triennium. ibid. numer. 4. & an superveniens casu possit eum expellere: & an ob non factas meliorationes. verb. *Conductor*.  
 locatio. verb. *Conductio*. verb. *Salarium*. & verb. *Locatio*.  
 locator gabellarum in ultimo anno suae locationis conventiones, seu avenas multas faciens in fraudem sequentium annorum videtur eas fecisse, & ideo sequenti locatori non nocet. dec. 187. n. 1.

M.

**M** Agistratus municipales, quibus equiparantur nostri decuriones, de jure communi nec merum, nec mixtum habent imperium. dec. 73. n. 3.  
 Majori parti votorum semper standum est. dec. 6. num. 3.  
 etiam si major pars sit minus peritorum. ibid. num. 5. & ibidem, casus in quibus statatur minori parti. ibid. n. 6.  
 in majori summa inest minor. dec. 7. n. 2.  
 major numerus trahit ad se minorem. dec. 88. n. 2.  
 Majora-

# I N D E X.

*Majoratus* institutus censetur per verba prohibentia alienationem in perpetuum. dec. 96. n. 1.  
*majoratus* juri an possit renunciare frater clericus in foro, quæ mortuo illo successura erat. ibid. n. 3.  
*majoratus* jus possunt præscribere collaterales consanguinei descendentes ex primo instituente. ibid. n. 4.  
*majoratum* de novo instituere patrem in filio sequenti, si filius major consentiat, omnino excluditur ab omni successione. ibid. n. 8.  
 in *majoratu* an possit succedere clericus, consuetudine legitimo tempore introducta, excluso laico, contra clausulam institutionis, per quam testator clericum ex familia vocat. dec. 121. n. 1.  
*majoratus* institutionis forma ad unguem est observanda, & pro lege servanda; secus si consuetudine longissima introducta contrarium observetur. ibid. n. 2.  
 in *majoratibus* succedendi consuetudo ex bino actu introducit. ibid. n. 3.  
*majoratus* vinculari an possit emphyteusis, verb. *Emphyteusis*.  
*majoratus* ad quem finem instituitur. dec. 133. n. 1.  
*majoratum* instituens expressim propter ipsius instituentis memoriam & familiæ propagationem, non præsumitur facere vocationem, ex qua familia ejus extinguitur. ibid. n. 2.  
 si in *majoratus* successione quis vocavit filium secundogenitum, excluso primogenito, non censetur vocare filium secundogenitum clericum. ibid. n. 5.  
 in *majoratu* an possit succedere monasterium. ibid. n. 7. 8. & 9.  
 in *majoratus* bonis, quæ veniunt per nominationem, potest nominari ea persona, quam voluerit is, qui potestatem habet nominandi, etiam si femina sit, excluso masculo. dec. 143. n. 1.  
 in *majoratus* successione, an nepos cujus pater in bello mortuus est excludat patrum. dec. 147. num. 1. & 2. & verb. *Mortuus*.  
*majoratus* bona, facultate Regia, possunt permutari pro aliis ipsi *majoratus* utilioribus. dec. 176. n. 1. si consensus sequentium successorum legitime interveniat. ibid. n. 2. & bona sic permutata in eorum locum subrogantur, & eisdem conditionibus subjiciuntur. ibid. n. 3.  
 in *majoratus* successorem transit instantia litis. dec. 198. n. 3. & 6.  
 in *majoratibus* exclusio feminae propter masculos facta à testatore per verba generalia, non porrigitur ad masculos remotiores. dec. 208. n. 1. & 6. nisi ex aliis conjecturis id colligatur. ibid. n. 2. & talis exclusio restringitur, utpote odiosa. ibid. n. 5.  
 in *majoratu* femina, quæ deficientibus masculis succedit, jure proprio succedere dicitur. ibid. n. 7.  
 & quæ in *majoratu* semel jure proprio succedit, propter masculos remotiores postea supervenientes, *majoratu* non privatur. ibid. n. 8.  
*majoratus* semel in una linea radicans, ea durante ad aliã reverti non debet. ibid. n. 8.  
*majoratus* verb. *Institutio*.  
*Masculis* existentibus, feminas excludens statutum, dicitur favorabile. dec. 100. n. 10.  
*Maritus* potest conveniri ex contractu, quem uxor ante matrimonium celebravit. dec. 33. n. 8.  
*marito* privilegium concessum, videtur etiam concessum uxori, & è contra. dec. 114. n. 5. nisi diversa ratio detur. ibid. n. 7.  
*maritus* & uxor dicuntur bona simul possidere. dec. 106. num. 5.  
*marito* quod specialiter permittitur, à contrario videtur uxori denegatum. ibid. n. 4.  
*maritus* non tenetur solvere debita uxoris, quæ durante matrimonio contraxerat sine ejusdem consensu. ibid. num. 10.  
*maritus* non potest alienare absque uxoris consensu. dec. 109. num. 1. potest tamen hæreditatem repudiare. ibid. n. 2.  
*mariti* bona absentis, quæ publicata sunt, fisco an habere possit. dec. 183. n. 7.  
*maritus* verb. *Vir*. verb. *Mulier*. verb. *Vxor*.  
*maritus* dicitur dominus rerum dotalium. dec. 154. n. 1. & vide n. 7. ibid.

*maritus* non præjudicat uxori. ibid. n. 3. & 6.  
*Massinissa*, senex in octuagesimo suæ ætatis anno filium generasse fertur. dec. 114. n. 8.  
*Mater* consentiens, ut filij inter se bona dividant, censetur divisionem post ejus mortem prævenire. dec. 127. n. 2. & an possit divisionem revocare. ibid.  
*matri* ad secundas nuptias transcunti, nec filiorum educatio, nec eorum tutela committenda est. dec. 99. n. 10. & 13.  
*Matrimonium* contrahere mulier non permittitur nondum certiorata de morte viri, etiam habita verosimili præsumptione, si tamen contrahat, matrimonium sustinetur. dec. 101. n. 3. & vide quæ n. 2. ibid.  
*matrimonio* contracto, communicatis tantum bonis (licet iudex Ecclesiasticus competens sit in causa dotis incidenter) tamen circa bona communicata se intromittere non potest. dec. 125. n. 5. & 7.  
*matrimonio* durante, debita contracta ante matrimonium petenda sunt, non autem eo finito. dec. 131. n. 1. & 3.  
*matrimonium* quibus modis contrahatur in hoc regno. dec. 183. n. 1. 2. & 3.  
*matrimonium* censetur contractum regulariter secundum consuetudinem regni. dec. 165. n. 3.  
*Mauri* salvum conductum habentes, propter dolum & fraudem non possunt puniri in amissione libertatis, possunt tamen poena arbitraria. dec. 90. n. 3.  
*cum Medico* pactum, an reprobetur, quemadmodum cum advocato de quota litis. dec. 19. n. 5.  
*Meliorationum* pretium juratum à parte, apud quem depositum debet, ante quam liquidatio fiat. dec. 261. n. 2.  
*meliorationes* factæ in emphyteusi magnæ aut parvæ judicantur secundum qualitatem rei. dec. 203. n. 10.  
*Mercedem* totius quarterij ac si viveret consequitur magistratus, si decedat incepto quarterio. dec. 8. n. 20. & vide verb. *Salarium* verb. *Locatio*.  
*Metus* iustus debet probari, ut charta securationis concedatur. dec. 29. n. 3.  
*Militis* stipendiarii hujus temporis, qui continuo ad bellum parati sunt, gaudent privilegiis militaribus. dec. 129. num. 5. idem in militibus, qui sunt in arce apud Indos. ibid. num. 7. idem in militibus Hierosolymitanis, quamdiu sunt in arce celebri Meliteni. ibid. n. 6.  
*militis* stationarij, seu limitanei, & qui sunt in arcibus, non gaudent privilegiis militaribus circa confectio-nem testamentorum. ibid. n. 8.  
*militis* cum sunt in procinctu, aut in bello, absque testibus in pulvere, vel clypeo, & quomodo voluerint, testari possunt. ibid. n. 8.  
*militarium* ordinum magister est tamquam quilibet Præ-latus. dec. 61. n. 6. & militis chirographum tamquam publica scriptura non valet. ibid. n. 5.  
*militi* advocatus comparatur. dec. 8. n. 25.  
*Minor* petens rem simpliciter, videtur etiam de jure petere restitutionem. dec. 50. num. 1. & quid præcturatur. ibid. n. 1.  
*minoribus* non conceditur restitutio in causis interlocutorijs, quæ sunt levis momenti, nisi notabiliter læsi sint. dec. 20. n. 5.  
*minori*, vel ejus curatori debet notificari restitutio dilationis, vel temporis decursi, ut illi currat. dec. 50. num. 2. & per stylum observatur in auditorijs curiæ, ut procuratori minoris notum fiat de restitutione, ut ei currat tempus: secus in auditorijs extra curiam. ibid. n. 3.  
*minorum* filiorum cura, qui relictæ sunt à monachis, & religiosis, pertinet ad judicem pupillorum. dec. 81. num. 1.  
*minori* an currat tempus anni & diei intra quod potest litem spoliij movere coram iudice seculari. dec. 82. num. 7. & 8.  
*minor* in judiciis restituitur. ibid. n. 7.  
*minori* ad agendum tempus non currit, nisi certis casibus in quibus restituitur. ibid. n. 7.  
*minori* etiam in eremodiciis subvenitur. ibid. n. 7.  
*minor* restituitur, si oneri, quod suscipere non licuit, se obligavit. ibid. n. 7.  
*minor* restituitur adversus negligentiam in non petendo reno-

renovationem emphyteusis. dec. 203. n. 8. & etiam non  
 petenti conceditur restitutio si ex actis constet de læ-  
 sione. ibid. n. 5.  
 minor. verb. *Restitutio*. & verb. *Vidua*. & verb. *Clerico mi-*  
*nori*.  
 Miserales personæ quæ sint, arbitrio iudicis relinquitur  
 dec. 54. n. 9.  
 miserabilium privilegium habent Ecclesia, moniales cu-  
 juscumque Ordinis, & monasteria ex quatuor Ordini-  
 bus, S. Francisci, S. Dominici, Divi Augustini, & Car-  
 melitarum. ibid. n. 9.  
 miserales personæ habent multos iudices ex privilegio,  
 non jure communi, & illarum est electio. ibid. n. 11.  
 Monachus quidquid acquirit, monasterio acquirit. dec. 163.  
 num. 1.  
 monachus dicitur filius monasterij. ibid. n. 1. & quid si re-  
 licto primo monasterio ad aliud transiit, cuiam ac-  
 quirat, multipliciter declaratur. ibid. n. 3. 4. & 6.  
 monachus vel monialis non succedunt quando fideicom-  
 missum fuit familiæ relictum: etiam si monasterium sit  
 capax successionis. dec. 133. n. 3. & 4.  
 monasterium ingredienti monacho non cedit dies fidei-  
 commissi nisi post ejus mortem. dec. 133. n. 10.  
 monasterium an possit succedere in majoratu. verb. *Ma-*  
*ioratus*.  
 monachus transiens ad alteram religionem nisi fuerit de  
 licentia sui Prælati, & cum requisitis necessariis non  
 potest præscribi à secundo monasterio contra priorem.  
 dec. 196. n. 1. imò potest vendicari Abbate sicut filius  
 à patre. ibid. n. 2.  
 monachus jus est quid spirituale. ibid. n. 3.  
 monachus qui recessit à monasterio, æquiparatur servo  
 fugitivo. ibid. n. 4.  
 Moniales an sint miserales personæ. dec. 54. n. 8. & quid  
 in monachis. ibid. n. 9.  
 moniales ratione privilegij possunt eligere iudicem sui  
 domicilij, & ad illum remittendæ sunt. ibid. n. 1. &  
n. 10. & licet sint divites non excluduntur à prædicto  
 privilegio. ibid. n. 13.  
 Mora ultima nocet. dec. 58. n. 2.  
 mora non committitur, nisi post lapsum diei. dec. 92. n. 5.  
 Mors naturalis nemini imputatur. dec. 93. n. 6.  
 mortui in bello pro defensione reipublicæ, an per gloriam  
 vivere intelligantur ad effectum, ut nepos patruum ex-  
 cludat. dec. 147. n. 2. & quid si ex vulneribus in prælio  
 acceptis moriatur. ibid. n. 5. & quid si in captivitate cap-  
 tus ab hostibus. ibid. n. 6.  
 mortuo uno ex litigantibus statim iudicium cessat, & sen-  
 tentia lata nulla est. dec. 197. n. 1. quod procedit etiam  
 iudice ignorante: & in favorem mortui data sententia.  
ibid. n. 4. & mortuo reo in uno casu, fuit lata sententia.  
ibid. n. 5.  
 mortuo litigante, iudicis datio est nulla. ibid. n. 3.  
 morte rei solvitur edictum peremptorium, & citatio. ibid.  
num. 3.  
 mortuo uno ex litigantibus, ut processus currat, necesse  
 est, ut heredes citentur. ibid. n. 6. & in materia. verb.  
*Heres*. & verb. *Citatio*.  
 usque ad mortem actus supremi iudicij revocari possunt.  
 dec. 127. n. 2.  
 mors. verb. *Absentia*.  
 Mox, dictionis natura. dec. 183. n. 9.  
 Mulier honesta dicitur, quæ per triennium in clausura, &  
 honestate perseveravit, ad effectum, ut si quis rapiat  
 eam, incurrat pœnam legis. dec. 55. n. 3.  
 mulier nec donare, nec contrahere potest, si vir longius  
 absit, sine ejus consensu, vel iudicis auctoritate. dec. 106.  
n. 5. & quid si detur justa causa. ibid. n. 6. & in materia.  
 verb. *Alienare*.  
 mulier in iudicio stare non potest, sine consensu viri, vel  
 iudicis auctoritate. ibid. n. 7.  
 mulier quinquagenaria secundo nubens, si descendentes  
 habeat, non potest marito relinquere ultra tertiam bo-  
 norum, nec eadem communicare, nec alio quocumque  
 titulo acquirere. dec. 114. n. 1. quod procedit etiam si  
 descendentes habeat, & postea habere desinat. ibid. n. 4.  
 & quid in marito. n. 2. & 3. 16. & 19.  
 mulier quinquagenaria regulariter concipere non potest.

ibid. n. 8. secus in viro, quia sexagenarij habiles sunt ad  
 generandum. ibid. n. 9.  
 mulieris ingenium mobile ac mutabile, hominis vero fir-  
 mum ac constans. ibid. n. 9.  
 mulier quinquagenaria in emphyteusi virum nominare  
 non potest, & quid è contra in viro. ibid. n. 15. & 19.  
 mulier, si non habeat bona emphyteutica, poterit à marito  
 nominari in emphyteusi mariti, etiam si sit quinquage-  
 naria: secus si mulier emphyteusim habeat. ibid.  
num. 17. & 18.  
 mulier non amittit bonorum dimidiam, nisi in casibus in  
 ordinatione expressis. dec. 125. n. 6.  
 mulier potest repetere coram iudice sæculari dimidiam  
 bonorum ad se ex conjugio pertinentem, non obstante  
 sententia super divortio, & bonorum amissione ob ad-  
 ulterium ab Ecclesiastico lata. ibid. n. 1.  
 mulier honesta, quæ numquam nupsit, etsi in ætate sit, ut  
 nubere possit, tamen privilegio viduæ potitur. dec. 180.  
num. 1.  
 mulier potest petere dotem, si maritus bannitus sit, etiam  
 bonis non publicatis, & hoc casu maritum absentem  
 alere tenetur, & filios. dec. 183. n. 6.  
 mulier manet in possessione bonorum, & potest retinere  
 dotem, si maritus commisit crimen læsæ majestatis.  
ibid. n. 10.  
 mulier. verb. *Maritus*. verb. *Vxor*. & verb. *Vir*.  
 Mutare non videtur, qui detrahit, quod superfluum est, &  
 jure reprobatur. dec. 62. n. 4.

N.

**N**aturalis filius, verb. *Nepos*. verb. *Legitima*.  
 Necessaria ad aliquid consequendum petita videntur,  
 si unum petatur. dec. 50. n. 1.  
 Negligentia officiali, per quem stetit est imputanda, non  
 parti. dec. 28. n. 3.  
 Nepos naturalis succedit avo in omnibus casibus, in quibus  
 filius naturalis patri succedere potest. dec. 100. n. 8.  
 nepotes ex bastardo numquam succedunt avo ab intesta-  
 to. ibid. n. 3.  
 nepoti naturali potest avus relinquere quintam partem  
 bonorum suorum de jure regni Castellæ, sicut etiam  
 pater filio naturali. ibid. n. 8.  
 nepos ex filio legitimito per Principem, avo etiam succe-  
 dit. ibid. n. 9.  
 nepotes æqualiter cum patris avo succedunt. dec. 100.  
num. 13.  
 nepos dicitur natus ex corpore avi. ibid. n. 13.  
 nepotes si prætereantur, dicunt testamentum nullum.  
ibid. num. 13.  
 nepos respectu avi eundem locum habet, quem tenebat  
 ejus pater. ibid. n. 13.  
 nepos ex sua persona, & ex suo jure privato succedit, non  
 ex persona patris, nec ex jure ab eo transmissio. ibid.  
num. 13.  
 neptis ex filia spuria potest institui ab avo in testamento.  
dec. 135. n. 2.  
 nepos cujus pater in bello mortuus est, an excludat pa-  
 truum. dec. 147. n. 1.  
 Nobiliores eligendi sunt ad munera publica. dec. 2. n. 1.  
 Nominatio emphyteusis cum rei traditione, revera donatio  
 est. dec. 103. n. 2.  
 ad nominationem faciendam non est necessarius consen-  
 sus domini: & quid si interveniat traditio rei. ibid.  
num. 2.  
 nominandi potestas ad emphyteusim aliquam personam  
 expressim nominatam, ad alteram personam extendi  
 non debet. dec. 140. n. 1. & 4. & vide verb. *Eligendi*. verb.  
*Emphyteusis*. verb. *Majoratus*.  
 Notarius & iudex simul quis esse non potest in actis con-  
 tentiosæ jurisdictionis: potest tamen in actis voluntariæ  
 jurisdictionis. dec. 60. n. 1. 2. & 4.  
 notarij creantur à Principe. ibid. n. 4.  
 ad notarios non pertinet iudicare de sana mente. dec. 97.  
num. 6.  
 Nova causa, quando dicatur. dec. 200. n. 5.  
 de novo jus veniens actori lite pœdente, prodest illi si cau-  
 sam habeat de præterito. dec. 120. n. 1. & quid si à prin-  
cipio

# I N D E X.

cipio malè agat. ibid.n.12.& 13.  
 novæ non dicuntur leges, sed antiquæ, quæ noviter cop-  
 latae sunt sine emendatione, additione, seu declaratione  
 antiquarum. dec.184.n.6.

## O

**O**bedire tenemur judici, seu superiori justè procedenti:  
 nisi ex tali obedientia sequatur præjudicium rei-  
 publicæ, proximo, aut ipsi subdito obedienti. dec. 79.  
 n.5. & 6.  
*Officium* judicis datur instar realis actionis. dec. 155.n.4.  
 & est in rem scriptum. ibid.n.4.  
*officium* judicis non præsupponit obligationem verè &  
 propriè, sed tantum quasi obligationem. ibid.n.4.  
 quando officio judicis aliquid petitur, fructus veniunt, ut  
 in aliis actionibus stricti juris. ibid.n.5. & verb. *Fructus.*  
*officiales*, qui pro certo & aliquo tempore serviunt cen-  
 sentur operas locare. dec.8.n.11.  
*officio* durante magistratus conveniri nõ possunt. dec.24.  
 n.1. & quid si jam lis cõpta sit. ibid.n.1. si tamen privi-  
 legia senatorum offenderint, accusari possunt absque  
 licencia. dec.213.n.15.  
*officiali* per quem stetit, imputanda est negligentia, & non  
 parti. dec.28.n.3.  
*officialium* electionem factam à præside, an quilibet pos-  
 sit impugnare. verb. *Electio.*  
 de officiis ad beneficia valet argumentum, & è converso.  
 dec. 132. n. 1.  
*officij* renuntiatio fieri non potest, nisi impetrata licentia  
 Principis. ibid. in princ.  
*officium* vacare non videtur per renuntiationem factam  
 cum licentia Regis. ibid.n.2.  
*officio* alieno nullus artifex uti debet, sed suo tantum ne-  
 officia turbentur. dec.158.n.1.  
*officio* alterius qui se immiscet punitur. ibid.n.2.  
*officio* artificis qui utitur oportet ut sit examinatus, & fiat  
 de collegio illorum artificum ad hoc ut teneatur ad  
 onus, vel munus illi collegio junctum à Rege, vel  
 Republica. ibid.n.3.  
*officialibus* si indigeat civitas, an possit compellere ali-  
 quos, ut officia exerceant, remissivè. ibid.n.4.  
 in officiis mechanicis famulus, qui docetur est qui solvit,  
 non verò ei solvitur salarium. dec.162.n.4.  
 de officialibus Ecclesiasticis taxam in scriptura excedenti-  
 bus, an possint præsidet provinciarum inquirere. dec.  
 202.n.4.  
*officiali*, qui ex officio tenetur delinquentes apprehende-  
 re, vel aliquid aliud facere, si faciat, præmium non de-  
 betur. dec.191.n.2. & 5.  
*officium*. verb. *Inopes* verb. *Rektor*. verb. *Salarium.*  
*Opinio* communior in judicando est sequenda. dec.133.  
 n.11. & dec.203.n.5.  
*Ordinationes* Regiæ apud nos jus commune dicuntur. dec.  
 53. n. 3. & dec.100. n.15. & dec.206. n.9. & dec.211.  
 num. 1.  
*ordin.* verb. *Leges Regni.*  
*Ordo.* verb. *Antiquitas.*  
*Origo* contractus semper attendi debet. dec.110.n.2.

## P

**P**actum quid sit. dec.19.n.3. & pactum non est donatio  
 ibid.n.7.  
 pactum cum Advocato, vel Medico an valeat. ibid.n.2.  
 & 5.  
 pactum non extenditur ad alias personas, quàm in pacto  
 comprehensas. dec.122.n.3.  
 pactum in quo deducitur spes futuræ successiois regula-  
 riter improbat. dec.164.n.1. & 3. & verb. *Hereditas.*  
*Pacisci* in causâ criminali. verb. *Crimen.*  
*Palatium*, & aula in quo differant. dec.1.n.13.  
*Parochiani* tenentur ad refectioem Ecclesiæ, si redditus  
 non sufficiant. dec.91.n.8.  
 parochiani qui dicantur. ibid.n.9.  
*Pascere* herbam alieni prædij invito domino non licet, nec  
 ei liberum usum prati sui impedire. dec.151.n.2.  
 pascens herbam dictam tenetur l. Aquilia. & de pastu pe-

coris. ibid.n.3.  
 pabulare equum in alieno prato non licet, nisi causa ne-  
 cessitatis. ibid.n.4.  
 ad pascendum venientes potest dominus prohibere etiam  
 vi armata. ibid.n.4.  
 pascua an possint prohibere decuriones. verb. *Decurio-  
 nes.*  
 pascua possunt prohibere senatores, & alij, quibus id per-  
 mittitur ex privilegio, & vicini agri quoad privilegia-  
 ros sunt veriti. dec.213.n.9. & quomodo id intelligatur.  
 ibid.n.9.  
*Pater* transiens ad secundas nuptias filios in potestate reti-  
 net, & remanet legitimus illorum administrator, suo-  
 rum bonorum usufructum habet, & tutela & filiorum  
 vendicatio illi competit. dec.99.n.4. & 8.  
 patri, quod non est prohibitum, ei censetur permissum,  
 ibid.n.5.  
 patri qui ex aliqua justa causa suspectus non est, libero-  
 rum educatio committenda est. ibid.n.12.  
 pater & filius una & eadem persona censentur. dec.208.  
 num.1.  
 pater de jure naturæ est filio obligatus. ibid.n.1.  
 pater potest de una re disponere in extraneum, dum ta-  
 men filiorum legitima salva maneat. ibid.n.1.  
 patri quod licitum est per testamentum, licitum est per  
 contractum. dec.127.n.5.  
 pater non præjudicat filio super amissione emphyteutis,  
 etiam si non solvat canonem. dec.154.n.5.  
 pater non præjudicat filio renuntians juri primogenitu-  
 ræ. dec.96.n.7.  
 pater sicut potest vendicare filium, ita Abbas monachum.  
 dec.196.n.2.  
 patris auctoritas sufficit in re, in qua habet usufructum,  
 nec filij citatio requiritur. dec.197.n.13.  
 pater non potest illum in jus vocare, qui se filium ejus esse  
 dicit, asserendo patrem esse plebeium, & ita iudicatum  
 fuit. dec.43.n.3.  
*pater*. verb. *Filius.* & verb. *Legitima.*  
*Patronus* laicus licet non possit circa res Ecclesiæ se intro-  
 mittere, potest tamen quoad earum defensionem. dec.  
 84.n.3.  
 patroni & defensores sunt Reges in Episcopatibus regni  
 sui, & sub ejus protectione sunt Ecclesiæ viduaræ. ibid.  
 num.2.  
 patronus non cogitur patrocinari pro inimico, nec contra  
 se, vel contra suos. dec.214.n.8. & verb. *Advocatus* &  
 verb. *Procurator.*  
 pro Paupere cliente patrocinari cogitur Advocatus. dec.  
 214.n.7.  
*Peccati* materia pertinet ad Ecclesiam, & ad iudices Eccle-  
 siasticos. dec.87.n.5.  
*Peculium* quasi castrense, censetur acquisitum per Advo-  
 catos. dec.214.n.16.  
*Pensio* secundum mensuram currentem tempore quo con-  
 tractus fuit celebratus solvenda est. dec.110.n.1.  
 pro pensionibus præteritis tenetur successor in beneficio,  
 commenda, & emphyteuti. dec.149.n.3. & 4.  
*Periculum* venditoris. verb. *Venditio.*  
 propter Pestem non fit remissio pensionis conductori,  
 quando culpa ipsius conductoris locus pestilentiosus  
 effectus est. dec.93.n.3.  
 pestilenti morbo infecti à congregatione hominum ar-  
 ceri debent, & si invitis custodibus intraverint civita-  
 tem, vel domum alicujus, puniri possunt. ibid.n.5.  
 pestilenti morbo contaminata bona mobilia, an comburi  
 possint. ibid.n.7.  
*Petitorio* agere. verb. *Possessorio.*  
*Piscandi* jus omnibus commune est. dec.95.n.1. & piscandi  
 jus solus Princeps potest prohibere, & hoc moderatè  
 causa recreationis. ibid.  
 piscari, verbum generale est, & ad omnes pisces referur.  
 ibid.n.3. & qui piscationem concedere vult, vel probi-  
 bere, certi generis piscium, nomen particulare adjun-  
 gere debet. ibid.  
 Pœna debet commensurari delicto. dec.71.n.3. & in eo  
 quis tantum punitur, in quo delinquit. ibid.n.2.  
 pœna privationis non imponitur nisi in casibus jure ex-  
 pressis. ibid.n.4.  
 pœnae



- pœnas delictorum potest Princeps delinquentibus remittere, & quomodo id fieri debeat. dec. 75. n. 2. 3. & 4.  
 pœnæ commutatio, & exilij remissio fit sine partis venia apud nos de stylo, quod in delictis gravibus nunquam fit. ibid. n. 6.  
 pœnale præceptum imponi non potest sine causæ cognitione. dec. 29. n. 4.  
 Summus Pontifex potest statuere contra jus Canonicum. dec. 61. n. 1. & contra jus positivum. ibid. n. 6. & si id faciat motu proprio præsumitur, quod iusta causa intervenit. ibid. n. 2.  
 Possessionem qui prius accepit in dubio præferendus est, si non appareat quisnam prius in Cancellaria litteras expedit. dec. 3. n. 7.  
 & idem dicendum de jure communi quando dubitatur de proprietate datæ. ibid.  
 possessio actualis præferenda est civili & verbali à Principe datæ. dec. 5. n. 2.  
 possessionem qui prius accepit, & officium exercuit præferendus est illi, qui prius fuit in data, & prius litteras gratiæ per Cancellariam expedit, in quibus continebatur quod Princeps eum statim in possessionem mittebat. ibid. num. 1. & quid si in provisione continebatur, ut antiquitas currat à tempore datæ. ibid. n. 6.  
 in possessione capienda, qui passus est, senatorem priorem fuisse, sibi præjudicat, etiam si in data prior senator sit. dec. 4. n. 10.  
 de possessorio prius agere quam de petitorio, tam de jure Canonico, quam civili ordo datus est. dec. 61. num. 3. & 6. & 8.  
 & ut super possessorio, & petitorio causâ judicetur potest Princeps committere etiam partibus renitentibus, licet possessorium fuerit prius intentatum. ibid. n. 4. & quæst. num. 6. & de consensu partium id fieri posse non est dubium. ibid. n. 5.  
 possessionis, & proprietatis utraque causa commissa censetur, commissa aliqua causa. ibid. n. 6.  
 possessoria remedia non dantur pro rebus mobilibus. dec. 120. n. 6.  
 in possessione momentanea, an admittatur appellatio. dec. 66. n. 5.  
 possessor malæ fidei. verbo, *Fructus*.  
 possessoria causa, quantumvis de re spirituali, prophana dicitur. dec. 82. n. 2.  
 in possessione semper censetur esse Ecclesia. dec. 172. n. 2.  
 possessionem recuperare potest dejectus per vim, dummodo id fiat incontinenti. ibid. n. 4. & id arbitrio iudicis relinquitur. ibid. n. 5.  
 super possessoriis licibus uxoris citatio debet intervenire. dec. 182. n. 1.  
 possessio. verbo, *Proprietas*.  
 possidentis melior est conditio in pari causa. dec. 131. n. 4.  
 Præbenda primo impetranti semper est conferenda, si duo à Papa recipiantur in Canonicos. dec. 3. n. 10.  
 ex Præfationibus intelligitur dispositio. dec. 33. n. 3.  
 Præferendus est Doctor modernus cathedraticus antiquiori non cathedratico. dec. 4. n. 14.  
 præferendus est creditor, cui prius est facta realis traditio. dec. 131. n. 4.  
 præferri. verbo, *Possessio*. verbo, *Prius*. & verbo, *Senatores*.  
 Præfati prætorio officium priorem locum obtinet in senatu supplicationis. dec. 1. n. 1. & præsidet senatui supplicationis. ibid. n. 3.  
 præfati prætorio Cæsarium temporibus quam dignitatem habebant. ibid. n. 4.  
 præfectus prætorio unde dictus sit. ibid. n. 5.  
 præfati prætorio dignitatem Imperator Titus nobilitavit, qui patris sui præfectus prætorio fuit. ibid. n. 7.  
 præfectus prætorio diversis Cæsarium temporibus coepit esse magistratus palatinus, & togatus. ibid. n. 8.  
 præfectus prætorio dictus fuit, qui consiliariis, & assessoribus Principum ad decidendas lites, præpositus præstibat. ibid. n. 9.  
 præfatis prætorio Severus Imperator senatoriam dignitatem addidit, & clarissimi vocabantur. ibid. n. 10.  
 præfati prætorio, quamvis à recentioribus supremis Cancellariis æquiparentur, id apud nos non procedit. ibid. num. 10.  
 præfectos prætorio Justinianus Imperator in provinciis constituit. ibid. n. 11.  
 à præfecto prætorio non erat licitum appellare, sed tantum supplicare intra biennium. ibid. n. 9.  
 præfectus. verbo, *Reitor*. verbo, *Præfati*.  
 Præjudicare. verbo, *Jus*. verbo, *Princeps*.  
 Præiudicium non potest bona Ecclesiæ alienare, nec hereditatem aut legatum repudiare sine solemnitatibus à jure requisitis. dec. 109. n. 4.  
 prælati inferiores non possunt statuere contra jus. dec. 61. num. 7. & 8.  
 prælatum potest conveniri nomine suæ Ecclesiæ per clausulam generalem, etiam si post imperationem Prælati factus sit. dec. 198. n. 1.  
 & in prælatum successorem instantia litis transit. ibid. num. 1. & 2.  
 Præscribi non possunt à laicis, quæ ab eis possideri non possunt. dec. 87. n. 7.  
 præscribere jus majoratus. verbo, *Majoratus*.  
 præscribere potest tertius possessor fundum tempore ordinario, dato titulo, & bona fide, licet à principio venditus fuisset cum pacto de retro usurario. dec. 160. n. 1. & 2.  
 Præses Consilij Regalis vocatur præfectus prætorio, ab Hispanis scriptoribus. dec. 1. n. 14.  
 præses provinciæ non potest cognoscere de crimine commissio à iudice, & ad prætorem curialem acta remittere debet. dec. 209. n. 1.  
 præses provinciarum. verbo, *Correitor*.  
 Præsumptio mala cessat, & habitus malus tollitur, per triennium. dec. 55. n. 2.  
 præsumitur talis quis, qualis habitu reperitur: & talis iudicatur, qualis invenitur. dec. 58. n. 3.  
 Prætores qui dicebantur. dec. 1. n. 5.  
 prætorio cohors, quæ dicebatur. ibid.  
 prætorium quid sit. ibid. n. 5.  
 prætor curialis iudex competens est de criminibus ab officialibus durante officio commissis. dec. 209. n. 1.  
 prætores. verbo, *Curiales*.  
 Præteriti nepotes dicunt de jure testamentum nullum. dec. 110. n. 13.  
 Præventio non est locus in casibus qui non sunt mixti fori. dec. 87. n. 7.  
 præventiva jurisdictio in dubio censetur in iudicio seculari. dec. 88. n. 3. etiam in executione testamenti. ibid.  
 præventio jurisdictionis fit per solam citationem in casibus mixti fori. dec. 142. n. 1. & 4.  
 ut præventio loci sit, non requiritur quod fiat inter easdem partes; sed sufficit, quod sit eadem materia, idem contractus & idem jus. ibid. n. 2.  
 præventio inducitur per solam citationem mariti in casibus, in quibus ad litem requiritur uxoris citatio. ibid. num. 6.  
 præventio inducitur per capturam personalem. ibid. n. 7.  
 præventiva jurisdictio non inducitur per iudicem Ecclesiasticum in executione testamenti, per citationem factam à Parocho, & utpote nulla iudicatur. dec. 157. n. 3.  
 & in materia, verbo, *Testamentum*, verbo, *Citatio*, verbo, *Jurisdictio*.  
 Primo impetranti, prius jus acquiritur, quando non invenitur factum completum in persona alterius impetrantis. dec. 3. n. 9.  
 prior in data præfertur in duabus concessionibus factis à Principe. ibid. n. 3.  
 & in materia, verbo, *Possessio*. verbo, *Præferendus*.  
 Primogenitura jus potest in sequentem renuntiari. dec. 96. num. 4.  
 primogenituræ renuntians si filios habeat, illis præjudicare non potest. ibid.  
 primogenituræ juri renuntians jam ordine successivo ab antecessoribus venienti, in præposteratione potest sibi præjudicare, non verò omnino in successione. ibid. num. 6.  
 Princeps est super jus positivum. dec. 12. n. 3. & actum nullum ex defectu juris positivi potest confirmare. ibid. n. 15. & quæst. n. 20.  
 per Principis rescriptum potest tolli jus alteri quaesitum per sententiam diffinitivam, quæ transiit in rem iudicatam, dummodo apponatur clausula, non obstante sententia, vel tertia appellatione. ibid.  
 princeps

# I N D E X.

princeps de plenitudine potestatis potest rem propriam alicui auferre. *ibid.* n. 4.  
 princeps ex certa scientia potest concedere tertiam appellationem per viam privilegij. *ibid.* n. 5.  
 principi merè arbitrarium est plures instantias & plura tribunalia constituere. *ibid.* n. 6. & intellige, ut n. 23.  
 princeps sine justa causa non potest concedere sæpius revisionem, nec tertiam provocationem, nec commissionem ad cognoscendum de sententia, quæ transivit in rem judicatam. *ibid.* n. 8. & n. 10.  
 in principe potestas absoluta damnatur. *ibid.* n. 9.  
 princeps quemadmodum justis legibus derogare non potest absque justa causa, ita nec sententiæ quæ illis nititur. *ibid.* n. 15.  
 princeps non potest remittere pœnam pecuniariam alicui delatam, potest tamen publicam vel fiscalem. *ibidem.* num. 16.  
 princeps tenetur servare legem quam statuit, & contra faciendum peccat. *ibid.* n. 18. & 19.  
 princeps potest concedere supplicationem à sententiis quoties voluerit, & quomodo id intelligatur. *ibidem.* num. 23.  
 princeps non potest derogare juri positivo habenti fundamentum consonum juri divino. *ibid.* n. 20.  
 princeps potest auferre alicui jus quærendum, & alia in materia. *ibid.* n. 23. & 24.  
 princeps ex causa potest concedere, ut appellatio pro deserta non habeatur. *ibid.* numer. 26. & quod restituatur victus ad appellandum qui intra tempus non appellavit, & hoc fit in senatu palatij. *ibid.*  
 princeps in dubio beneficium non concedit cum præjudicio tertij. *dec.* 65. n. 6.  
 princeps an possit gratias & remissiones delictorum facere, idque expediat bono publico. *dec.* 75. n. 1.  
 princeps non potest rem invito domino auferre, nec illius liberum usum prohibere, nisi causa necessitatis. *dec.* 151. num. 6.  
 princeps de novo nihil concedit, si alicui dignitatis administrationem concedat, quæ jamdiu illi erat concessa. *dec.* 4. n. 2.  
 princeps. vide verbo, *Lex* & verbo, *Juri*.  
 ad *Principale* attendendum est non ad secundarium, remissive. *dec.* 91. n. 4.  
 principalis judex est etiam in accessoriis. *dec.* 17. n. 3.  
 privatio supponit habitum. *dec.* 4. n. 7.  
 privatum crimen. verb. *Crimen*.  
 Privilegium est stricti juris, & idè non extenditur. *dec.* 25. num. 3. & *dec.* 88. num. 10.  
 privilegium superveniens an extendatur ad lites pendentes quando non est procuratum. *dec.* 24. num. 4. & 5. & *dec.* 25. num. 1. & 3. & 10.  
 privilegium fori senatoris in causis criminalibus tunc demum locum habet, quando ipse accusat, non quando accusatur. *dec.* 26. n. 1.  
 privilegium superveniens, dignitas, & jus liberat ab onere antea adjuncto, solvit vinculum præcedentis obligationis, adjuvat & excusat pendente lite. *dec.* 58. num. 4. & ordines adepti post commissum delictum patrocinantur delinquenti. *ibid.* num. 4. & in materia, verbo, *Lite pendente*. & verbo, *Jus*.  
 privilegium concessum uxori, videtur etiam concessum marito. *dec.* 114. n. 5.  
 privilegium miserabilium habens, si conveniatur à simile privilegium habente potest eligere judicem. *dec.* 54. num. 12.  
 privilegiati sunt vicini agri, & vetiti quoad illos, qui privilegio aliquo Regio possunt prohibere pascua. *dec.* 213. num. 9.  
 Quod in privilegiatis, habentibus privilegia clausa in corpore juris, locum non habet. *ibid.* n. 9.  
 privilegia Senatorum. verb. *Senatores*.  
 privilegium clericale. verbo, *Clerici*. & verbo, *Fori*. & verbo, *Vidua*. verbo, *Miserabiles*.  
 Probatio per conjecturas admittitur, quando evidenter probari non potest, & minor probatio requiritur. *dec.* 187. num. 4.  
 probari non indiget dolus, quando reipsa inest. *ibid.*  
 probare quando quis intendit per fraudem non contractum, per testes id facere potest, licet in contractu

scriptura publica requiratur. *dec.* 31. n. 4.  
 si probari non potest contractus nisi per scripturam publicam, articuli de eo mentionem facientes delendi sunt. *ibid.* n. 1.  
 probatio. verbo, *Juramentum*.  
 Procurator fines mandati excedens non ob id domino præjudicat. *dec.* 175. n. 1.  
 procuratoris error domino non præjudicat. *ibid.*  
 procurator si mandatum habeat, ut pro certo negotio compromittat, non potest compromittere appellatione remota. *ibid.* n. 1.  
 procurator recusari non potest. *dec.* 214. n. 9.  
 procuratores Regij in partibus omnes alios licet antiquiores præcedere debent. *ibid.* n. 10.  
 procuratoris instrumentum an possit facere tabellio pro se in causa propria. *dec.* 128. n. 1. & 2.  
 procurator. verbo, *Advocatus*. verbo, *Patronus*.  
 Pro derelicto habere videtur proiciens in mare librum apertum, seu merces malè compositas alias perituras. *dec.* 186. num. 5.  
 pro derelicto servum quando quis habeat. *ibidem.* numero 5. 6. & 7.  
 Prodigus testamentum facere non potest. *dec.* 171. num. 1.  
 quod intelligitur postquam ei interdicta est bonorum administratio. *ibid.* n. 2.  
 prodigo manifesto non ipso jure interdicatur bonorum administratio, & ut interdicatur, necessarium est ut solemnne judicis decretum interveniat. *ibid.* n. 2.  
 quando prohibetur actus regulariter fieri, & in casu aliquo speciali permittitur, casus seu qualitas permessa debet exprimi, ut admittatur. *dec.* 34. n. 15.  
 Promissio adversus bonos mores & jus gentium non valet. *dec.* 138. n. 5. & sic promittens an teneatur ad interessè. *ibidem.* num. 5.  
 promissio de emphyteuticando alteri vivente adhuc emphyteuta an valeat. *ibid.* n. 3.  
 Prorogatio termini à Rege concessa ad solvendum, extenditur ad debita, super quibus jam est lata condemnatoria sententia. *dec.* 25. n. 3.  
 prorogatio jurisdictionis. verb. *Jurisdictionis*.  
 super *Proprietate* alicujus rei conventus coram uno iudice non potest actorem convenire super possessione eiusdem rei, coram eodem iudice, sive possessionis dureriudicium, sive sit finitum. *dec.* 32. n. 1.  
 super proprietate beneficij potest reconveniri clericus, qui convenit laicum super possessione beneficij coram iudice laico. *ibid.* num. 4. & verbo, *Iudex*.  
 proprietates. verbo, *Possessio*.  
 Publicis instrumentis, seu scripturis decendum, & privilegium processus executivi jure communi non conceditur. *dec.* 33. num. 12. & verbo, *Scriptura*.  
 publica scriptura. verbo, *Scriptura*.  
 Pupillus verè & propriè est, qui patre caret. *dec.* 99. n. 12.  
 pupilli apud vitricum alij non debent. *ibid.* n. 1.  
 pupillorum educationi suspectior censetur, qui illorum successioni propinquior est. *ibid.* n. 2.  
 pupillus educari non debet in loco non tuto suæ pudicitia, ac salutis. *ibid.* num. 3. & casus in quibus apud alium potius quàm apud patrem educari debeant pupilli, referuntur. *ibid.* n. 6.  
 pupillus apud avum paternum educandus est, cujus mater transit ad secundas nuptias, & sic judicatum fuit. *ibid.* num. 13.  
 pupillum aut tutorem potest eligere actor ad deponendum. *dec.* 137. n. 2.  
 Et pupillum teneri deponere judicatum fuit, & praxis observat. *ibid.* n. 3.

**Q**uarta Falcidia & Trebellianica deducitur de hereditatibus & legatis relictis contra S. Misericordia. *dec.* 51. num. 2.  
 Querelam de reo dare potest actor coram præfide curiali criminalium causarum quòd testes falsos induxerit in processu pendente coram iudice civilium causarum. *dec.* 23. num. 1.  
 Querela de falsitate, seu subornatione aut aliis casibus tangentibus processus sententia finitos, non potest dari nisi coram

# I N D E X.

- coram iudicibus, qui de prædictis processibus iudicaverunt in superiori instantia. *ibid.* num. 2. & an hoc locum habeat in iudicibus delegatis. num. 3. & an in arbitris. num. 4.
- Querelatus non debet incarcerari absque eo quod summarium testium fiat examen. *dec.* 56. n. 1.
- & quid si per inquisitionem proceditur. *ibid.* n. 2.
- in querelis vulnerum fit examen, & fit etiam de no doas & pisaduras negras & sanguentas. *ibid.* n. 2.
- Quosdam alios, verba posita in rescriptis, tres aut quatuor comprehendunt. *dec.* 168. 1. & n. 5.
- Quoscumque, verbum est indefinitum, & potest trahi ad futura. *ibid.* n. 7.
- R.
- R**atione diversa data, diversa datur etiam juris dispositio etiam in correlativis. *dec.* 114. n. 2.
- ex rationis majoritate casus contingens præter ordinationem contrahentium in dispositione minimè comprehenditur. *dec.* 140. n. 3.
- Rapere mulierem. *verb.* *Mulier.*
- Reclamari non potest iterum à sententia in causa reclamationis, nec si reclametur, admittitur talis reclamatio. *dec.* 12. n. 11.
- Reconvensio. *verb.* *Convensio.*
- Rector iustitiæ, seu præfectus prætorio præsidet senatui supplicationis. *dec.* 1. n. 3. & *dec.* 2. n. 9.
- rector iustitiæ an in toto regno jurisdictionem exercent. *dec.* 1. n. 15.
- rector iustitiæ olim vocatus fuit præfidente, & fuit Rodericus Gomez de Alvarenga. *ibid.* n. 17.
- rector iustitiæ fuit etiam in provincia Durij, & Minij. *ibid.*
- rector iustitiæ olim etiam vocabatur, Adelantadus. *ibid.* num. 20.
- rector iustitiæ debet esse ex nobili familia. *dec.* 2. nu. 1. & dives. *ibid.* n. 2. & oportet ut sit litteratus. *ibid.* n. 3.
- rectores iustitiæ, & gubernatores non pauci fuerunt litterati. *ibid.* n. 3.
- rector iustitiæ cum Rex senatum visitat, ad illius dexteram sedet, & capite cooperito. *ibid.* n. 3. & 4. cum Rex abest, sedet in primo loco in capite mensæ magnæ. *ibid.* n. 3.
- ad rectoris officium pertinet senatores per mensas distribuere ad causas expediendas. *ibid.* n. 5.
- rector iustitiæ debet esse naturalis regni, & non exterus. *ibid.* n. 8.
- rector iustitiæ ipsius Regis vices gerit, & curare debet, ut unicuique iustitia fiat. *dec.* 2. n. 9.
- rector iustitiæ summè vigilare tenetur circa rectam iustitiæ administrationem, reformationem senatus, senatorum electionem ad officia. *ibid.* n. 9.
- rector iustitiæ debet curare, ut Rex senatoribus retribuat secundum uniuscuiusque merita. *ibid.* n. 10.
- rector iustitiæ votum dat in paritate votorum. *dec.* 6. n. 3. & casus in quibus rector iustitiæ votum dat. *ibid.*
- rector iustitiæ salarium senatoribus persolvere jubet. *dec.* 8. n. 1.
- rector. *verb.* *Præfectus.* *verb.* *Gubernator.*
- Refusationis plures causæ. *dec.* 20. n. 1.
- refusandi non sunt senatores ex levibus causis. *ibid.* num. 7.
- refusationum senatorum iudex est Cancellarius senatus supplicationis: refusationum autem magistratum, & officialium civitatis Olisipponenfis, iudex Cancellariæ. *dec.* 44. n. 1.
- si in refusationis procedimento sententia posita est per quinque senatores, an postea in sententia finali, quinque an tres intervenire debeant. *ibid.* n. 2. & 3.
- refusationem probare solo juramento recusantis iure civili permittitur. *dec.* 45. n. 4.
- refusatio potest intentari iudice mortuo, ad effectum sententiæ annullandæ, quam ipse tulerat. *ibid.* num. 7.
- refusatio fieri non potest nisi per Advocatum litteratum: & 45. dies non currunt à die primæ refusationis factæ per partem, sed post secundam factam per Advocatum. *ibid.* n. 8.
- in refusatione scribæ minor probatio requiritur, quam in recusatione iudicis. *ibid.* n. 9.
- recusari potest quilibet nisi excipiatur à regula. *dec.* 64. n. 2. an consularij Regis possint recusari. *ibid.* n. 3. an senatores palatij. *ibid.* n. 3. & 4. an Cancellarius maximus, & alij Cancellarij. *ibid.* n. 6. an inquisitores Apostolici. *ibid.* n. 8.
- recusati si non fuissent senatores, non poterant se eximere à iudicandi munere, postea tamen lege novissima iurejurando se eximere possunt. *ibid.* n. 7.
- refusationis lata sententia per Cancellarium maximum, an possit de ea conqueri ad senatum supplicationis per petitionem gravaminis. *dec.* 207. n. 1.
- recusari non potest in totum tamquam suspectus iudex ordinarius, nec omnino removeri à causæ cognitione: secus de iure canonico, & de iure regni. *ibid.* n. 3.
- recusari procurator non potest. *dec.* 214. n. 9.
- Regalia jura solvuntur in hoc regno sine deductione impensarum. *dec.* 188. n. 2.
- à Regulis juris recedendum non est per subauditos intellectus. *dec.* 11. n. 18.
- regula generalis & communis per regulam accidentalem non debet vitari. *dec.* 32. n. 5.
- in regula expressi casus, exempli gratia, & frequentioris usus non faciunt, quò minus dispositio extendatur ad casus similes. *dec.* 43. n. 5.
- regulam in contrarium firmat particularis dispositio. *dec.* 106. n. 4.
- Religiosos verbum, comprehendit clericos. *dec.* 81. n. 1.
- de Remissione delinquentium de regno ad regnum, remissivè. *dec.* 156. n. 2.
- remittens delinquentem, an iudex teneatur appellare. *verb.* *Appellatio.* & *verb.* *Iudex.*
- Remuneratoria donatio. *vide verb.* *Donatio.*
- Renovatio emphyteusis non conceditur quando ipsa Ecclesia sibi vult retinere emphyteusim. *dec.* 203. n. 1. & hoc procedit, quando Ecclesia, seu monasterium indigentiam probat. *ibid.* n. 2.
- renovatio, seu investitura emphyteusis peti intra annum debet. *ibid.* n. 3.
- renovationem tenetur concedere Ecclesia si probetur meliorationes factas fuisse. *ibid.* num. 4. quod procedit tam in emphyteusi Ecclesiastica, quam in alia quacunque, sive detur ad tertiam generationem, sive ad certum tempus, & etiam si Ecclesia velit sibi emphyteusim retinere. *ibid.* num. 6. & qualitas rei attendi debet, ut meliorationes magnæ, aut parvæ appareant. *ibid.* n. 10.
- renovationem petendi annus mero iure currit majori 14. annorum, & minori 25. datur tamen restitutio. *ibid.* n. 8. quod conceditur etiam non petenti, si de læsione appareat. *ibid.* n. 9.
- renovatio. *verb.* *Emphyteusis.*
- Renuntiatio in scriptis fieri debet. *dec.* 109. num. 5. & verbo, *Iura.*
- Repeti non potest debitum, quod naturaliter debetur. *dec.* 115. n. 5.
- ad repetendum datum pro turpi non competit actio. *ibid.* num. 2.
- Rescriptum non trahitur ad lites, & nec crimina futura: secus si lites, seu crimina sint connexa criminibus perpetratis tempore rescripti imperati. *dec.* 168. n. 6.
- rescripta imperata ad lites licet vitium aliquod subreptionis contineant, non sunt ipso iure nulla, sed ope exceptionis. *ibid.* n. 9.
- in rescriptis posita verba, quosdam alios, & quoscumque, in quo numero debeant verificari. *ibid.* n. 5.
- Respublica bene ac sapienter instituta non debet repleti artificibus mechanicis, sed tantum ad usum necessarios. *dec.* 74. n. 1. & 2.
- reipublicæ interest ut nobiles, & divites viros habeat, qui eam possint defendere. *dec.* 133. n. 6.
- Restitutio non conceditur minoribus in causis interlocutoriis. *dec.* 28. n. 5.
- restitutio in integrum est privilegium contra jus commune, & non debet extendi ad alias personas, quam ad eas quibus à iure concessa est. *dec.* 51. n. 1.
- restitutione in integrum gaudet confraternitas S. Misericordiæ. *ibid.* n. 6. 10. & 12.



I N D E X.

in quibus reſtitutoriis interdictis iudex laicus poſſit cognoſcere intra annum & diem, dec. 82. n. 4. & verb. *Spoſitius* & verb. *Interdictum*.  
 reſtituere gravatus, an poſſit alienare, verb. *Alienatio*.  
 reſtitui poteſt Eccleſia adverſus compromiſſum factum ſuper rebus ipſius Eccleſiæ, dec. 175. n. 3.  
 reſtitutio ſemel denegata minori, an amplius peti non poſſit, & an iterum concedi debeat, ſi ſemel fuit conſeſa, dec. 200. n. 2. & 3.  
 reſtitutio ſemel concedi poteſt in una & eadem cauſa & non bis, ſecus ſi ſint diverſæ cauſæ, ſeu articuli, ibid. n. 4. & quæſt. n. 5. & quid decretum ſit in ſenatu, ibid. n. 6. & quid in Eccleſia, ſi litigat in iudicio ſæculari, ibid. num. 7.  
 reſtitutio gratiæ à Principe facta tantum operatur circa principale, ſuper quo fuit lata ſententia, & ſic non comprehendit fructus, dec. 192. n. 1. niſi verba reſcripti plenariam importent reſtitutionem, ibid. n. 2. & 4.  
 reſtitutio, verbo, *Minor*, verbo, *Fructus*.  
*Reviſionis* denegatio, ſeu conſeſſio, quæ per ſenatores palatii ſit, non eſt ſententia, dec. 10. n. 8.  
 reſiſio quando conceditur proceſſus in ſenatu ſupplicationis expeditur, quando verò denegatur per informationem ſenatorum, in ſenatu palatii denegatur, dec. 12. num. 1. & utroque caſu formulæ ponuntur, n. 2. ibid.  
 reſiſionem ſemel denegatam Princeps concedere non poteſt, ibid. n. 10. & quæſt. n. 27. ibid.  
 reſiſio an concedatur à ſententia lata ſuper reſiſione conſeſſa, quando pars quæ victa fuit, illam petit, ibid. n. 29. & de materia vide citatos, n. 30. ibid.  
 reſiſionis impetratio ſolum prodeſt impetranti, & in favorem tertij, qui oppoſitor fuit cauſæ ſententia ferti non poteſt, licet ex actis conſtet de iuſtitia illius, dec. 190. num. 1.  
 in reſiſorio iudicio inducitur litis conteſtatio per ſupplicationem Principi oblatam, ſeu in menſa palatii diſtributam, dec. 144. n. 2.  
 in reſiſionis ſententia fructus quando adjudicandi ſint victori, ibid. & de reſiſionis materia vide citatos, ibid. num. 3.  
 inter revocatam ſententiam & annullatam diſcrimen, dec. 18. n. 4.  
*Reus* ut abſolvatur, requiritur qualitas concludens ſimpliciter & abſolute, dec. 34. n. 4.  
 reus qui iuravit ſe non eſſe debitorem ex duplici cauſa: altera ſterilitatis, altera læſionis ultra dimidiam, an ſit abſolvendus, dec. 34. n. 3. & vide in materia, verb. *Iuramentum*.  
 reus poteſt eligere iudicem, ſi plures habeat ex privilegio, dec. 54. n. 6.  
 quod intelligitur ſi non detur fraus & dolus, ibid. n. 14.  
 Rex & Summus Pontifex poſſunt ſtatuerè contra ius canonicum, & civile, dec. 61. n. 1. & ſi id faciunt motu proprio, præſumitur quòd intervenit juſta cauſa, ibid. num. 2.  
 regum proprium eſt violentiis, & exceſſibus vaſallorum occurrere, dec. 76. n. 3.  
 reges ſunt deſenſores, & patroni in Episcopatibus in regno ſuo, dec. 84. n. 2.  
 rex non tenetur ſervitia ſubditis remunerare obligatione aliqua efficaci ad agendum, dec. 115. n. 5.  
 rex poteſt lite pendente, vaſallum etiam Prælærum Eccleſiaſticum privare iurisdictione alicujus caſtri, quod in regno ſuo habet, ſi Regiam donationem, aut ſimilem titulum non oſtendat, dec. 120. n. 3.  
 rex non poteſt facere in ſuo regno leges contra ius commune, dec. 211. n. 3.  
 reges Hiſpaniæ habent jura imperij, ibid. n. 3. & vide verb. *Leges*.  
*Romani antiqui*, diei primis ſeptem horis rebus feriis vacare ſolebant, dec. 2. n. 6.

S.

**S**alarium perſolvere jubet Rector juſtitie ſenatus ſupplicationis, ſenatoribus ejuſdem ſenatus, dec. 8. num. 1.  
 ſalarium ſenatoribus conſtitutum quonam tempore ſit

ſolvendum, ibid. n. 2.  
 ſalarium Integrum debet ſolvi officiali in principio temporis, cui committitur officium pro certo ac diſſinito tempore, quod procedit etiam in rectoribus terrarum, ibid. n. 3. & idem in legatis reipubl. ad Principem miſſis, ibid. n. 4.  
 ſalarium ſi ſolvatur tantum pro labore, ut laboris merces, tunc debetur in fine temporis, ibid. n. 5.  
 ſalarium ſi ſolvatur partim pro labore & opere, partim pro expenſis, tunc ſolvendum eſt in fine temporis, ſeu pro rata operarum, ibid. num. 6. Hoc autem applicari non poteſt ad præſides provinciarum, quos correctores dicimus, ſeu ad iudices civitatum & oppidorum, ibid. n. 5.  
 ſalarium certum annuum, quod præſidibus debetur, per quatuor vices, & ſolutiones illis ſolvitur, quas vulgò vocamus quarteis, ibid. n. 8.  
 ſolutiones anticipatæ factæ iudicibus, ſi moriantur antequam impletum ſit totum tempus, utrum ab eis repeti poſſint, ibid. n. 9.  
 ſalarium integrum debetur heredi, ſi poteſtas alicujus civitatis decedat, nondum officij tempore finito, ibid. num. 9.  
 ſalarium integrum totius reſidui temporis an conſequatur officialis, qui inceperit ſervire pro certo, ac limitato tempore, ſi ante illud finitum decedat, ibid. n. 10.  
 ſalarium totius temporis transmittitur ad heredes, ſi unus ex duobus ſiſci patronis decedebat inchoato anno, vel nondum finito, ibid. num. 13. idem erat, ſi aliquis Agentium in rebus decedebat, ibid. num. 14. idem obſervabatur in proximo ſacrorum ſeriniorem, ibid. num. 15. idem in domesticis conſtitutum erat, ibid. num. 16. & domesticorum privilegium erat, quòd etiam ſequentis anni ſalarium illis concedebatur, ibid. num. 16. idem in comitibus legati obſervandum eſt eo defuncto, ante tempus legationis elapſum: ſecus erit ſi cum aliis legatis eodem tempore inſervierint: vel ſi legatus removeatur, & detur illi ſucceſſor, ibid. num. 17.  
 quando ſalarij unica quantitas præſtanda eſt pro toto anno, aut biennio, ſine ulla menſium, aut temporis diſtinctione, tunc totum ipſum ſalarium debetur, ibid. n. 19.  
 ſalarium totius quarterij, ac ſi viveret conſequitur magiſtratus, ſi decedat incepto quarterio, ibid. n. 20. idem in ſenatoribus erit dicendum qui ſine præſinitione temporis ſerviunt in ſenatu, & ſolvitur illis ſalarium ſingulis tribus menſibus, ibid. n. 21. cujus contrarium apud nos ſervatur, & redditur ratio, ibid.  
 ut ſalarium totius quarterij habeant heredes defuncti ſenatoris aliquando rex concedit, licet defunctus moriatur in principio quarterij, ibid. n. 23.  
 idem in ſalario totius anni, ſi ejus erat qualitatis, ut in anno ſolvatur, licet medio tempore moriatur, ibid.  
 ſalarium menſtruum, aut annuum, an transmittat ad heredes officialis, qui paravit ſe ad officium inchoandum, illud tamen non eſt ingreſſus, ibid. n. 28.  
 ſalarium ſenatori ægroto debetur, quod non procedit in famulo ægroto, ibid. n. 30.  
 ſalarium debetur ſenatori abſenti de licentia Regis, vel præfecti prætorij, ibid. & abſens cum licentia, quoad hoc pro præſenti habetur, ibid.  
 ſalarium officij ſenatoris, vel cujuſcumque alterius officialis numquam incipit deberi, niſi à die captæ poſſeſſionis, non autem à die datæ, ibid. n. 31. in annonis autem civilibus, vulgò tencas, à tempore gratiæ factæ ſolvitur, ibid.  
 ſalarium præſidibus provinciarum, qui Corregedores vocantur, expenſis Regis ſolvitur, ibid. n. 33. & ibid. quòd apoſentadoriæ de bonis conciliorum apud nos ſolvuntur, n. 33.  
 ſalarium perdit officialis, qui culpa ſua pro aliquo tempore ab officio removeatur, ibid. n. 34.  
 ſalarium habere debet officialis pro tempore quo ſyndicatur, dum officium vacat, & ita apud nos ex ſtylo obſervatur, ibid.  
 ſalarium Canonicis ob ſervitium Episcopo factum ſolvi non debet, dec. 94. n. 2.  
 ſalarium famulo debetur omni jure, etiam divino, dec. 162. n. 1. & juxta mercedem debet ſolvi, ibid. n. 2. ſala-

- salarium servitij non debetur famulis scholasticorum, quibus datur tempus ad studendum. *ibid.* n. 3.  
 salarium non solvitur famulis in officiis mechanicis, imò qui docetur est qui solvit. *ibid.* n. 4.  
 salarium servitij an puer mereatur, qui nondum decimum quartum annum complevit. *ibid.* n. 5.  
 salarium servitij solvendum est, secundum quod consuetum erat solvi tempore quo servitium factum fuit, non verò juxta tempus sententiæ latae, vel liquidationis factæ. *ibid.* n. 6.  
 cum salario servitij famulo debito compensandum est beneficium seu honor, quem Rex contemplatione domini famulo fecit. dec. 167. n. 4. & de salario famuli testificantes alio famulo debito, non sunt facile credendi, tamquam in re propria testificantes. *ibid.* num. 6.  
 pro salario debito ratione advocacionis possunt Advocati curiales debitores ad curiam trahere. dec. 214. num. 6.  
 Salarium. vide verb. *Advocatus.* & verb. *Absens.* & verbo. *Arrestum.*  
*Salvum conductum* Mauris generaliter præstitum illis prodest ad eundem & redeundum. dec. 90. num. 1. & si in eundo, aut redeundo delictum committunt illi, quibus datus est, possunt puniri pœna arbitraria. *ibid.* num. 2. & *ibid.* quòd dimissio, vulgò (encampação) licita est si fiat in forma Ordinationis. *ibid.* n. 3.  
 Salvus conductus non liberat à delictis futuris. *ibid.* num. 2.  
 Sanguinem suum redimere, cuilibet licet. dec. 113. n. 4.  
 Sanus in dubio quis præsumitur, & qui allegat infirmitatem, illam probare debet. dec. 93. n. 1.  
 Scriptura conditionalis, si conditio sit impleta dicitur pura. dec. 33. n. 9. idem erit dicendum si scriptura purificetur ex conjunctione actorum, vel ex conjunctione alterius scripturæ. *ibid.* n. 10. idem, si purificetur ex confessione partis. *ibid.* n. 11.  
 Scriptura publica probans contractum inter fratres initum debet etiam facere mentionem de consensu uxoris. dec. 31. n. 3. & articuli qui mentionem faciunt de contractu, qui sine scriptura publica probari non potest, delendi sunt. *ibid.* n. 2. quòd si non contractum, sed fraudem probare quis intendit, per testes id facere potest. *ibid.* n. 4.  
 scriptura. verb. *Gratia.*  
 Sebastiani Regis Epistola ad Rectorem senatus supplicationis missa. dec. 3. n. 13.  
 Sæcularis brachij auxilium. verb. *Auxilium.*  
 Sæcularis iudex. vide verb. *Iudex.*  
 Securationis chartam concessivam, cum defensione, quam Prætor curialis in senatu concessit, potest solus per se secundam concedere, & reformare, casu quo impetrans, prima effectus est dignus. dec. 57. n. 1.  
 Securationis charta concessiva semel concessa negari non potest. *ibid.* n. 2.  
 Securationis charta pro uno crimine impetrata ab eo qui incarceratus est pro alio crimine, non proficit ei, si pars adversa contradicat. dec. 65. n. 1. & idem dicendum est, etiam si incarceratus de captura mentionem faciat. *ibid.* n. 2. secus tamen si pars non contradixerit. *ibid.* n. 3. 4. & 5.  
 Securitatis chartam qui assumit, non dicitur carceratus: quod dicitur de eo qui datus est sub fidejussoribus. dec. 67. n. 1.  
 Securationis chartam qui habet, & eam frangit, perinde manet, ac si eam non acciperet. *ibid.* n. 2. & tabellio qui non notificaverit judici quòd qui chartam securacionis habet non compareret, privatur officio: secus erat in eo qui datus est sub fidejussoribus, quod hodie immutatum est. *ibid.* n. 4.  
 ut securacionis Regiæ charta concedatur, utrum informatio judicis sit facienda per testes de causa interrogatos? & an sufficiat alia judicis informatio, de qua non apparet: & an talis informatio præsumatur si iudex ad simplicem partis petitionem hujusmodi securitatem concedat? dec. 29. n. 1. & 2.  
 securitas talis ut præstetur, justus metus debet probari. *ibid.* n. 3. & citatus ad præstandum asscuramentum, *Index Partis I.*
- rejectis omnibus exceptionibus tenetur illud præstare, & ita servat stylus in Parlamento Franciæ. *ibid.* num. 4.  
 idem servatur apud nos, quando talis securitas petitur à prætore curiali criminalium causarum. *ibid.* num. 5.  
 securitatis concedendæ quæ sit justa causa, arbitrio judicis relinquendum est. *ibid.* n. 6.  
 securatio mercium. verb. *Socius.*  
 Senatores manè idque citò debent ad senatum venire. dec. 2. n. 5. & *ibidem* ratio ponitur propter quam senatus potius manè quàm vespere fiat. *ibid.* n. 5.  
 senatorum nomina referuntur, qui tempore Regis Edoardi in senatu officia habebant. *ibid.* n. 12.  
 senatores septem tantum, tempore Regis Sebastiani constituti erant ad expediendas causas gravaminum, postea verò octo constituti sunt. dec. 4. n. 1.  
 senatores alij actuales, alij vacantes, alij honorarij. *ibid.* n. 3 & vacantes in duplici sunt differentia. *ibid.*  
 senatores honorarij alij fiunt per codicillos, alij per insignia. *ibid.* n. 4.  
 senator actualis ut quis dicatur, quæ requirantur. *ibid.* num. 5.  
 senator extravagans si pro aliquo senatore gravaminum officium exerceat, non ob id dicitur actualis. *ibid.* num. 6.  
 senator vacans dici non debet, qui numquam fuit actualis. *ibid.* n. 7. & antiquitas senatorum dignoscitur ex ordine servato à Rege in narratione nominum senatorum. *ibid.* n. 8.  
 senatoris negligentia, qui prior fuit in data, sibi imputatur, si passus est senatorem alium in capienda possessione esse priorem. *ibid.* n. 10.  
 senatoribus forma circa prolationem votorum datur per Ordinat. regni, & qui numerus senatorum dari debeat. dec. 6. n. 1.  
 senatores quinque, & non minùs debebant esse in expediendis processibus criminalibus, quod emendatum est per legem Dominicanam. *ibid.* n. 2.  
 senatores in senatu cavere debent à colloquiis privatis, & graves esse debent. *ibid.* n. 14.  
 senatores non debent detegere secreta eorum, quæ in senatu geruntur. *ibid.* n. 15.  
 senatorum vota quomodo reducantur ad concordiam in causis criminalibus remissivè. dec. 7. n. 1. & quomodo reducantur in causis civilibus, in casu l. 2. C. de rescind. *ibid.* n. 2.  
 senatores gravaminum sunt supremi iudices & illustres dicuntur. dec. 9. n. 1. & ad officium eorum spectat concedere auxilium brachij sæcularis iudicibus Ecclesiasticis. *ibid.* n. 1. & quomodo hoc declaratum sit per legem regni. *ibid.* n. 2.  
